IN REGULAM SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI BENEDICTI ABBATIS, ...

Johannes Craesbeeck,
Giovanni Battista Coccini

Digitized by Google

NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
26 L
13

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-2-B-24

Digitized by Google

Digitized by Google

IN REGVLAM SANCTISSIMI *PATRIS NOSTRI* BENEDICTI ABBATIS,

TOTIVS OCCIDENTIS PATRIARCHÆ,

COMMENTARIVS.

Auctore R. D. F. IOANNE CRAESBEECK Monaſterij S. Mariæ, loci S. Bernardi ad Scaldim, ſacri Ciſtercienſis Ordinis, Religioſo, Priore.

Curâ & diligentiâ Religioſorum eiuſdem Monaſterij in lucem editus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV



DVACI,
Ex Typographia BALTAZARIS BELLERI
ſub Circino aureo. Anno M. DC. XXIV.

R.^{mo} *IN CHRISTO PATRI*
AC PERILLVSTRI
DOMINO
D. IOANNI
MALDERO
Epiſcopo Antuerpienſi,
MONASTERII BEATÆ Mariæ Virginis loci ſancti Bernardi ad Scaldim Prælato ſuo digniſsimo Prior & Conuentus eiuſdem Monaſterij debitæ obſeruantiæ Symbolum.

FOETVS hic, R.^{me} DOMINE, nouiter inter fragmenta ac lucubrationes R. D. IOANNIS

 CRA-

CRAESBEECK, quõdam Prioris noſtri repertus, à tuis humili animi ſubmiſſione in manus Reuerendiſſimæ Paternitatis veſtræ offertur, vt qui à prædicto REVERENDO PATRE concinnatus erat, aliquando quidem lucem viſurus ſi vita vlteriori Comite eum politiori limatione & vberiore explanatione proferre potuiſſet, modo tamẽ tua authoritate in publicum egrediatur & luceat omnibus qui in domo Dei ſunt. Genuinam ſiquidem Parentis noſtri SANCTI BENEDICTI mentem in omnibus ſequi conatus, in pleriſque, vt ſperamus, (niſi quod ad calcem morbo & diuerſis occupationibus diſtractus breuitati magis quàm in

princi-

principio ſtuduerit) aſſecutus, atque è limpidiſſimis Sanctorum Patrum fontibus intelligentiam eius eduxit.

Hæc enim in auream eiuſdem S. PATRIS BENEDICTI Regulam commentaria coaceruauerat, vt normam, ſecundum quam voto viuere ſtabiliuerat, inoffenſo pede decurreret. Deinde vt nobis deſidioſis facula eſſent & lumen ſemitis noſtris, vt quando ad ipſorum lectionem in regula progredimur habeamus ſubiectum imitationis campum, vbique pleno Sanctorum Patrum animos loquente penicillo, quaſi in viua pulcherrimarum virtutum tabella expreſſos intueamur. Enimvero turpe eſt quo,

 quan-

quantoque parente quis natus ſit neſcire & ſanctimoniæ exẽpla alieno fonte potiùs quàm domeſtico petere. Vnde Prouerbio Amphiſtidem ſtultitiæ damnauit antiquitas, quod vtrius parentis enixu patris an matris eductus eſſet in lucem, ignoraret. Accipe igitur, REVERENDISSIME PATER quem pietas, Religionis zelus, odium corruptorum morum huius æui, ſcientia inſignis, indefeſſus labor, cum aurea illa omnium virtutum catena exornat, hunc D. IOANNIS CRAESBEECK conſarcinatum libellum, ingenio excultum, iudicioque expolitum, induſtriâ certè maximâ elaboratum, eiuſq; in communem parentem BENEDICTVM

amoris

amoris teſſeram. Vtque per REVERENDISSIMAM VESTRAM GRATIAM ad manus aliorum deueniat, benignè permitte. Certè vnum nos non parum ſolatur, quod ille ſub tutela & auctoritate nominis veſtri prodiens faciliùs incerta itinerum decurret. Faueat igitur Deus vt ſub REVERENDISSIMÆ VESTRÆ PATERNITATIS moderamine ſemitas Sanctorum Patrum noſtrorum obſeruantes, finem fæliciſſimum illis propoſitum tandem conſequamur atque vt eius gratia Monaſterij noſtri & Eccleſiæ ſuæ bono eadem viuat fæliciter diutiuſque ſuperſit

precabimur ſemper.

Ex Diui BERNARDI *loco, decimo quarto Kalendas Martij, anno Domini 1624.*

Facul-

Facultas Vicarij Generalis Ord. Ciſterc. in Belgicis & Leodienſ. Prouincijs.

NOs F. IOANNES FARINART Abbas B. MARIÆ de Camberone, Ordinis Ciſtercienſis, S. Theol. Doctor, Vicarius Generalis eiuſdem Ordinis in Belgicis & Leodien. Prouincijs, facultatem concedimus vice & nomine Reuerendiſſimi in Chriſto Patris ac Domini, D. NICOLAI BOVCHERAT Abbatis Ciſtercij dicti Ordinis Generalis, vt Commentarius iſte in Regulam Sanctiſſimi Benedicti à venerabili Patre, D. IOANNE CRAESBEECK piæ memoriæ Religioſo loci ſancti Bernardi ad Scaldam compoſitus & collectus, cum præuia cenſura & approbatione Eximiorum ac Reuerendorum Dominorum Præſidum & Doctorum, ſeu Cenſorum ordinariorum, Typis mandetur & euulgetur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas & ſigillo noſtro munitas dedimus Camberone die 23. Menſis Aprilis, anno *1624.*

F. IOANNES ABBAS *de Camberone Vicar. Generalis.*

APPROBATIO.

HIc *Commentarius in Regulam S. Benedicti, auctore R. P. D.* IOANNE CRAESBEECK *Brabantino Ord. Ciſtercienſis, Monaſterij S Bernardi ad Scaldim quondam Priore,* dignus eſt qui lucem adſpiciat, vtpote qui diligenti ſtudio ex ſcripturis & ſanctis Patribus adornatus, multa habeat ad pietatem & ſanctos mores conducentia. Actum Duaci xxx. Iulij 1624.

GEORGIVS COLVENERIVS
S. Theolog. Doctor & Regius ordinariusq; Profeſſor, in Academia Duacena librorum Cenſor, & eiuſdem Academiæ Cancellarius.

APPROBATIO.

ISTE ad regulam S. Benedicti commentarius, à R.P. IOANNE CRAESBEECK Priore Monaſterij B. Virginis loci S. Bernardi ad Scaldim, compoſitus, & ex ſanctis Patribus egregiè concinnatus, nihil fidei aut bonis moribus aduerſum continet; ſed plurima tum Prælatis, tum alijs Religioſis Benedictinis vtiliſſima præbet documenta, quibus ſancti Patris ſui regulam & penitius intelligere, & intellectam ſeruare queant. Quapropter vtiliſſimè excudetur. Ita cenſui die 17. Septemb. (quæ impreſſione ſacrorum ſtigmatum S. Franciſci eſt celebris) anno 1623. Duaci.

FRANCISCVS SYLVIVS S.
Theol. Doct. eiuſdémque
Regius ac ordin. Profeſſ.

HOc opus quod inſcribitur *Commentarius in regulam Sanctiſsimi Patris Benedicti*, compoſitum à R.P.D. IOANNE CRAESBEECK *Religioſo Priore Ordinis Ciſtercienſis Monaſterij D. Virginis loci S. Bernardi ad Scaldim*, diligenter euolui. Nec euoluiſſe pænituit, reperi equidem hominem planè doctum, in colligendis SS. Patrum dictis diligentem, in examinando regulæ Patroni ſui textu acutum & ſubtilem, in ferendis documentis pium & prudentem, quem pari voluptate & fructu legent, qui in verſanda regula S. Benedicti ætatem ponunt, maxime Prælati qui ſuorum Religioſorum regendis conſcientijs incumbunt. Propterea, librum hunc prelo digniſſimum cenſeo, auctorique ſuo, nomine omnium ſub regula ſancti Benedicti militantium, gratias rependo, ob ſuos vtiles Benedictinæ familiæ labores. Datum Duaci in Collegio Vedaſtino S. Gregorij. 23. Auguſti 1623.

Fr. RVDESNIDVS BARLO *S. Theo. Doct. Præſes Benedictinorum Congregationis Anglicanæ.*

In Commentarium R. D. ac Patris Ioannis Craesbeeck, &c. in Regulam Sancti Benedicti.

EPIGRAMMA.

QVæ nos ex humili raptos ſuper æthera terrâ,
Mortaleis ſuperis inſerat ordinibus;
Æ Cœlo dictata tibi, BENEDICTE, *recludit*
REGVLA, *nec dubiam nos docet ire viam.*
Hunc olim Atratâ proceres è claſſe Monotôn
Sat planè ſcriptis expoſuere ſuis,
Vnus at Albato CRAESBEECIVS *è grege, punctũ,*
Felici calami præ Genio, omne feret.
Hoc auctore notis prælustribus aucta legetur
REGVLA, *non paucis quæ tenebroſa locis:*
Et quod habent veterum ſpatioſa volumina patrũ,
Argutâ includet hic breuitate liber.

ANDREAS HOIVS Regius in Academia Duacena Latinę linguæ & publicus Profeſſor.

AD D. IOANNEM CRAESBEECK CELEberrimæ Abbatiæ loci S. Bernardi ad Scaldim, Priorem, de Commentario in Regulam S. Benedicti adgratulatorium.

ILiadem quę nux olim, qua ciſtula clauſit
Vel nunc ex illo tempore nomen habet:
Qui dat & explanat tanti præcepta Parentis
Quid nequeat ſummæ laudis habere liber?
Non pietas, non ingenium tibi defuit Autor,
Hoc breue, ſed magnum qui fabricaris opus.
Sic erit in manibus, quibus eſt ea regula cordi;
Gratior, vt ſtudio clarior ipſa tuo.
Sic Benedictina ſancta eſt vbi portio gentis
Non habet indecorem te benedicta domus?
Iſta domus, ſuperis quæ Relligionis amore
Æmula, ſic per te, quod facit, ecce docet.
Qui tua ſcripta leget, de te bene multa loquetur;
Orans, nec poterit non meminiſſe tui.
Et ſi nux rara huic aut ciſtula diues adeſſet
Hîc pius, hocce pium claudere vellet onus.

NICOLAVS DE LA HAYNE S. Theo. Licent. in Colleg. Reg. Duacen. Philoſophiæ primarius Profeſſ.

Auctores, ex quibus hoc opus concinnatum eſt.

A

Anſelmus.
Ambroſius.
Athanaſius.
Auguſtinus.
Aurelius.

B

Baſilius.
S. Bernardus Abbas Clareuall.

C

Caietanus.
Caſſianus.
Caſſiodorus.
Clemens Papa.
Cicero.
Chryſoſtomus.
Cyprianus.
Conc. Trid.
Conc. Agatenſe.
Conc. Braccarẽſe

D

Definitiones cap. Generalis ordin. Ciſtercien.
Dionyſius Areopagita.

E

Effrem.
Epyphanius.
Euſebius Emiſſenus.
Euthymius.

F

Ferreolus.
Fructuoſus.

G

Gregorius Magnus.
Gregor. Nazian.
Grego. Niſſenus.

Gille-

Gillebertus Abbas Ord. Ciſterc.

H

Henricus Harpheus.

S.Hieronymus.

Hugo de ſancto Victore.

I

Ignatius Societ. Ieſu Fundator.

Innocentius III. Papa.

Ioan.Heſſelius.

Ioan.Diaconus.

Ioan.Haſſelius.

Iſidorus.

L

D. Leo Papa.

Maximus Epiſco.

O

Origines.

Optatus.

P

Patres Congregationis Caſſ.

Panormitanus.

Paulinus.

Paulus Diaconus Neapolitanus.

Proſper.

Poſſidonius.

R

Rabanus Maurus

S

Seneca.

Seuerus Sulpitius

Smaragdus.

Sylueſter.

T

Theodoretus.

S. Tho. Aquin. Angelicus Doct.

Turrecremata Ord. Præd.

V

Valerius Maximus.

Vrbanus Papa.

PROLOGVS S. BENEDICTI JN REGVLAM SVAM,

Vnà cum Commentario D. IOANNIS GRAESBEECK Prioris monaſterij Sancti Bernardi ad Schaldim Ord. Ciſterc.

AVSCVLTA, ô fili, præcepta Magiſtri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij patris libenter excipe, & efficaciter comple: vt ad eum per obedientiæ laborem redeas: à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras.

Monet ſanctus Benedictus eum, qui vitam monaſticam ſuſcipere, & ſcholam perfectionis ingredi cupit, ne inſtituta Monaſticæ religionis leuiter, ſed cum magna diligentia & attentione audiat. Nam verbum (*auſculto*) præter audiendi ſenſum & officium aurium; attentionem & vigilantiam apertè ſignificare videtur. Ideo ſanctus Pater vim vocis explicans ſubdit, (*& inclina aurem cordis tui*) ne videlicet verbum doctrinæ ſalutaris cadat aut ſecus viam, & conculcatum comedatur à volucribus cæli; aut ſupra petram, & natum areſcat defectu humoris, aut inter ſpinas, & à ſimul exortis ſpinis ſuffocetur: ſed in terrā bonam excipiatur, & ortum

Cap. vlt. Reg.

Mat. 13.

Luca 8.

faciat fructum centeſimum, hoc eſt, vt in corde bono & optimo audientes verbum retineant, & fructum adferant in patientia. Hoc eſt quod deinde ſubiungit (*& efficaciter comple*) non enim ſufficit admonitionem audire, auditam memoria tenere: ſed tum demum prodeſt audiuiſſe & meminiſſe, ſi ipſum opus accedat. Quia *non auditores legis, iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur.* Et, *non auditor obliuioſus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* Quod autem ſanctus Benedictus, nomen magiſtri & patris ſibi aſſumit, nō hoc putandus eſt præſumſiſſe contra Euangelium, quod dicit: *Patrem nolite vobis vocare ſuper terram: vnus eſt enim pater veſter, qui in cęlis eſt. Nec vocemini magiſtri, quia magiſter veſter, vnus eſt Chriſtus.* Quia etiam Paulus ſe doctorem Gentium eſſe dixit; & in Paleſtinæ ac Ægypti monaſterijs ſeinuicem, Patres vocant. Nam aliud eſt (inquit Hieronymus) naturâ eſſe patrem vel magiſtrum, aliud indulgentiâ. Nos ſi hominē, Patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non authorem noſtrę oſtendimus vitę. Magiſter quoque dicitur ex conſortio veri magiſtri: Hæc S. Hieronymus. Non arrogat igitur ſibi ſanctus Benedictus efficaciam docendi & perſuadendi, quæ vni vero magiſtro Chriſto propria eſt & peculiaris prærogatiua, dicente Apoſtolo: *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Si rectè perpenditur (inquit S. Auguſtinus) nihil prorſus per hominem diſcitur. Magiſtri tantum foris commemorando plantant, & rigant; veritas autem quæ in anima habitat, intus docendo incrementum dat.

Rom. 2. *Iac. 1.* *Mat. 23.* *2. Cor. 5. & Col 1.* *In Mat 23.* *1. Cor. 13.* *Lib de cogn. vera vita cap. 36.*

Patrem

Patrem ergo ſe dicit, quia paternè & benignè, nõ auſterè & imperiosè cum auditore agere cupiat. Ideo enim præcipere, Magiſtro: admonere, Patri attribuere videtur. Pius enim pater filium blandè & benignè admonet, magiſter autem diſcipulum præceptis in officio continet, iuxta illud Apoſtoli: *Nam etſi decem milia Pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres.* Deinde meminit vtriuſque, præcepti nimirum & admonitionis, propterea fortaſſe, vt ſignificet documenta in regula ſua poſita, non omnia eſſe præcepta, nec ad mortale peccatũ religioſos adſtringentia: ſed quædam eſſe conſilia, conſtitutiones & ordinationes. Quod vt fiat planum, ſciendum eſt ſtatum religionis, cui regula ſeruit, eſſe diſciplinam quandam, & exercitium perueniendi ad perfectionem, quæ cõſiſtit in eo, quod hominis affectus à creaturis alienetur, & per charitatem Deo arctiſſimè coniungatur & vniatur. Atque hic finis eſt ſtatûs religioſi, quem nimirum religioſus intueri, ad quem vi voti religionis perpetuò contendere & conari debet, quamuis fortaſſe aut nunquam in hac vita, aut raro illuc pertingat. Vnde S. Hieronymus: Perfectum, inquit, eſſe nolle, delinquere eſt. Eſt autem aliud nolle eſſe perfectum, aliud, non eſſe perfectum. Nam nolle eſſe perfectum, eſt peruerſa voluntate, voto, & profeſſioni religioſæ directè repugnare. Perfectum autem non eſſe, infirmitatis humanæ eſt, quæ veniam meretur. Quemadmodum igitur medici finis eſt ſanare infirmum, quamuis non ſemper ſanet: tamen quando curam infirmi, medicique nomen ſuſcepit, debet velle eum ſanare, alioquin infidelis eſſet me-

1. ad Cor. 4.

Qualiter obligẽt ſcripta in lege S. Benedicti.

Quid ſtatus religionis.

Hieron. ad Heliodorum Epiſt. quanto ſtudio.

 dicus.

dicus, & nomine medici indignus: ita quamuis non peccet religioſus, quia perfectus non eſt, peccat tamen & quidem mortaliter, ſi non vult eſſe perfectus. Et quemadmodum non ſufficit vt medicus velit ſanare, ſed oportet præterea vt omnem operam omneſque modos, quos ad ſanandum valere putabit, adhibeat, ſi profeſſioni & officio ſuo ſatisfacere velit; ita non ſufficit religioſo, vt velit ipſe eſſe perfectus, niſi præterea ijs vtatur legibus eamque viam teneat ac ſequatur, ſine qua ad perfectionem ordinariè non peruenitur. Ad hoc autem vt quis perfectus ſit, & per charitatem intimè & perfectè Deo vniatur, opus eſt ordinariè tribus hiſce virtutibus, obedientia, caſtitate, & paupertate. Ad quas propterea quilibet religioſus, voto ſe adſtringit, tanquam ad ſtatum, religioſum neceſſarias, & eſſentialiter requiſitas. Quapropter in omnium religionum regulis vel exprimuntur, vel ſubintelliguntur, ideoque omni religioſo in præceptis ſunt, ratione ſtatûs ſui religioſi. Et quoties contra eas peccat, ſeu eas notabiliter violat, mortaliter delinquit, quia recedit à via, ſine qua ordinariè nõ venitur ad finem ſuæ profeſſionis, hoc eſt; ad finem religionis, quam ſuſcepit, & voto firmauit. Sunt etiam in regula, præter hæc vota tria ſubſtãtialia, multa alia ſtatuta de corporalibus exercitijs, & externis officijs, veluti de ſilentio, loco, & tempore ſeruando, de cibi ac potûs genere, atque menſura &c. Quæritur proinde quo loco hæc numeranda ac ponenda ſint? an in præceptis, an verò pro ſtatutis & ordinationibus ſint habenda? De his dicit S. Bernardus quod naturaliter & per ſe bona

Media ad perfectionẽ neceſſaria.

non

nõ ſunt, inuenta tamẽ (inquit) fuerũt atque in-ſtituta, non quia aliter viuere non liceret, ſed quod ita magis expediret. Sunt enim adminicula ad trium votorum ſubſtantialium pleniorem & certiorem obſeruationem congruentia, non autem neceſſaria; ac proinde nec vi præcepti impoſita, ſed vtilis & conuenientis ordinationis modo propoſita. Quapropter, nec obligant ad mortale, ſicut tria prædicta, ſed leuiori cenſura (inquit S. Bernardus) neglecta puniuntur. Ex his v. g. dico eſſe vel riſum interdictum, vel indictum ſilentiũ, quæ negligi ſine offenſa, contẽni ſine crimine nequeunt, iniuncta dumtaxat, ab his quibus propriè dicitur, *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Licet namque ipſa per ſe iniuncti operis qualitas innoxia ſit: adiunctæ tamẽ authoritatis pondus obnoxium mandato, mandatumque peccato obnoxium facit, nõ magno tamen, ſi cõtemptus defuerit. Sed exemplis clarius illuceſcat quod dicimus; ſi iubente ſeniore, vt ſileam, verbũ mihi per obliuionẽ elabatur, reũ me fateor inobedientiæ, ſed venialiter: ſi ex contemptu ſciens & deliberans, ſponte in verba prorupero, & rupero ſilentij legem, præuaricatorem me conſtituo, & criminaliter; &, ſi impænitens perſeuero vſque ad mortem, peccaui, & damnabiliter. Ibi enim non peccati ſpecies, ſed peccantis intentio penſatur. Vbique igitur culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis eſt, differũt tamen, quod neglectus, quidam languor inertiæ eſt, contemptus verò, ſuperbiæ tumor. Hæc Bernardus paſſim in libro de præcepto & diſpenſatione. Cũ igitur conſtet ex verbis Beati Bernardi omne periculum damnationis, impendêre religioſo ex contemptu, viden-

Libro de præc. & diſpenſ.

Luc. 10.

Quando ſit peccatum contemptus.

vidēdum hîc eſt quando quis ex contemptu peccet. Tunc contemnit aliquis, vel ex contemptu transſgreditur, inquit D. Thomas, quando voluntas eius renuit ſubijci ordinationi legis vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam, hoc eſt, qui contra legem vel contra regulam facit, non ex negligentia vel cupiditate, ſed directè eo fine, vt ſuperioris mandatum, aut regulæ ordinationem oſtendat ſe nihili facere. Hęc ſunt grauia valde, nec poſſunt cadere niſi in malignum animum, inſtituti ſui, & iudicij, authoritatiſque eccleſiæ, qua inſtitutum eſt confirmatum, & poteſtas ſuperiori tradita, contemptorem. Sed quod diximus, corporales obſeruantias in Regula præſcriptas non eſſe præcepta, cōtra fortè quiſpiam obijciet, authoritatem S. Bernardi dicētis: omnia inſtituta S. Benedicti, non profitentibus monita tantum, ſeu conſilia cenſenda eſſe, nec grauare non obſeruata; cùm tamen profitentibus in præcepta, præuaricantibus in crimina fiant. Reſpondetur, quod Sāctus Bernardus hîc & alibi paſſim in eodem tractatu, accipit præceptum, non proprio & ſtricto, ſed largo modo. Præceptum enim propriè dictum importat rationem debiti, quia nimirum præcipitur illud, (inquit D. Thomas) quod eſt neceſſarium ad finem. Conſtat autem ex doctrina S. Bernardi, iſtas obſeruationes non eſſe neceſſarias, ſed vtiles tantum, ad religionis finem attingendum. Quia, inquit, inuentæ ſunt, non quod aliter viuere non liceret, ſed quod ita magis expediret. Ac propterea nec religioſo præcepta ſunt propriè dicta. Præceptum autem latè acceptum, comprehendit omne id quod ſuperior fieri

2. 2. q. 186. ar. 9. ad 3.

Obiect.

Lib. de Præ. & diſp.

Reſp.

Quid præceptum.

1. 2. q. 99. ar. 1.

Lib. de Præc. & diſp.

ſieri cupit, etſi propriè non præcipiat. Huiuſmodi præcepta impropriè dicta, quæ præcipiuntur & prohibentur, inquit D. Thomas, non quaſi præcisè debita, ſed propter melius, dici poſſunt mandata: quia quandam inductionem habent, & perſuaſionem, ſicut illud; *Si pignus acceperis, veſtimentum à proximo tuo, ante ſolis occaſum reddas ei*, & alia ſimilia. Vnde B. Hieronymus dicit, quod in præceptis eſt iuſtitia, in mandatis verò charitas. Quod autem dicit B. Bernardus, quod præuaricantibus fiant in crimina, hoc intelligi debet, de de contumacibus, vel ex contemptu peccãtibus, quemadmodum ſeipſum Bernardus, eodem tractatu ſatis explicuit. Quamuis verò ad corporales illas obſeruantias, nos religioſi præceptis non adſtringamur, non tamen propterea eas vilipendere, nec facilè negligere debemus. Licet enim non læthaliter, non tamen leuiter vulnerant neglectorem & tranſgreſſorem. Non enim ſine cauſa B. Benedictus, eas tam grauium pænarum, cõminationibus ſanciuit, vt aliàs ſub vindictæ regularis, aliàs ſub excommunicationis, aliàſque ſub alijs non leuibus pænis ſeruandas conſtituerit & ordinauerit.

1.2.q.99. ar. 5.

Exod.22.

Vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ deſidiam receſſeras.

Poſtquam admonuit S. Benedictus diſcipulũ ad attentè audiendum, & diligenter implendum præcepta magiſtri ſpiritualis, nunc fructum attentæ auditionis & fidelis operationis oſtendit, quod nimirum per obedientiam præceptorum

monaſticorum redeatur ad Deum à quo inobe-
Duplex inobedientia in nobis. diẽtia nos abduxerat. Per duplicem autem inobedientiam receſſimus à Deo, per vnam innatam, &, aliena voluntate contractam, *Rom. 5.* *per inobedientiam enim vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi*, omnes Deo rebelles naſcimur. Per alteram propria voluntate commiſſam, cuius prior, fons eſt & origo. Quamuis enim ingenita nobis inobedientia, per baptiſmi gratiam eòvſque tollatur, vt iam legi Dei condelectemur ſecũdum interiorem hominem: *Rom. 7.* manet tamen in membris noſtris alia lex repugnans legi mentis noſtræ, & captiuãs nos in lege peccati, ita vt quamuis altera noſtra parte, ſcilicet Deo mẽte ſubiecti, & obediẽtes ſimus, altera tamẽ vel inuiti adhuc, ipſi rebellamus. *Rom. 7.* Ideo *nõ quod volo*, inquit Apoſtol⁹, *hoc ago, ſed quod odi malum, illud facio.* Cuius perpetuæ pugnę carnis & ſpiritûs pertæſus Apoſtolus: *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Hæc autem carnis rebellio aduerſus ſpiritum, quamuis in hac vita penitus non tollatur, ſed tum demum ceſſabit, quando Deus erit *omnia in omnibus*: tamẽ mortificando membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, & contrariarum virtutum ſtudijs quotidie minuitur. Monet ergo S. Benedictus diſcipulum ſuum, vt innatam & originalem inobedientiam carni adhuc inhærentem, per obedientię laborem coerceat, & paulatim exſtinguat: & hac arcta obedientiæ via ad Deum redeat, à quo per latam pernicioſę libertatis viam receſſerat, quia obedientia, quantum ipſum hominem à ſe, ſuaque voluntate diſſociat, tantum cum Deo conſociat.

Ad

Ad te ergo nunc meus ſermo dirigitur, quiſquis abrenuntians proprijs voluptatibus Domino Chriſto, vero regi militaturus, obedientiæ fortiſſima atque præclara arma aſſumis.

Oſtendit cui hanc ſuam regulam ſcribat, quis vtiliter illam ſuſcipiat, & quis idoneus ſit vt in ſuæ diſciplinę ſcholam recipiatur, qui numerum ſuo ſenſui, proprio iudicio & voluntati nuntium remittens, ſuperioris ſui voluntatem, in omnibus licitis & honeſtis, tanquam vitę ſuæ regulam intueri & ſequi ſtatuit. Si enim miles omnia facit ducis ſui iuſſu, & iniuſſu eiuſdem nihil: multò magis religioſus, miles ſpiritualis, mandatis regis ſui Chriſti, per ſuperiores imperantis promptiſsimè obedire debet. Chriſtum, verum regem vocat, ad diſtinctionem falſorum regum, Diaboli nimirum, mundi & carnis. Chriſtus eſt rex verus, cui iure creationis & redemptionis ſubijci & militare omnes debemus. *Ego* inquit *conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion Montem ſanctum eius*. Falſis autem iſtis regibus, nemo iuſto dominio ſed iniuſta tantum tyrannide ſubijci, & ſeruire poteſt, idque cum iniuria veri Regis. Hi autem tyranni miniſtros ſuos veræ ſeruitutis iugo premunt: at verò Chriſto ſeruire, regnare eſt. Tunc enim verè liberi eritis, ſi vos filius liberauerit, ſcilicet à ſeruitute iſtorum falſorum regum. Obedientiæ arma ſunt, virtutum opera, pia officia,

Chriſtus eſt rex verus. Pſal. 2.

Ioan. 8.

&

& exercitia, quibus diabolo reſiſtitur, mundus calcatur, caro domatur. Hęc enim ſuperior auctoritas dictat & imperat, ſubditus obediendo. Eph. 6. Rom. 13. 2. Cor. 6. Mat. 11. pręſtat. Hæc vocat Apoſtolus, nunc armaturam Dei, nunc arma lucis; nunc arma iuſtitiæ. Sunt autem hęc arma fortiſſima, quia cum dura ſint & aſpera carni, forti animo ferenda ſunt. *Regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Fortiſſima quoque ſunt, quia hoſtes fortiſſimos frágunt & ſubiugant. Præclara ſunt, quia magnæ glorię & laudis eſt, coram Deo & hominibus de fortiſſimis hoſtibus victoriam hiſce armis reportaſſe, & victorię coronam accepiſſe.

In primis vt quidquid agendum inchoas bonum, ab eo perfici inſtantiſſima oratione depoſcas.

Illi, qui eſt iam bonæ volútatis, qui obedire & Deo in monaſterio ſeruire, qui fortiſſima atque pręclara arma militię ſpiritualis ſumere firmiter ſecum conſtituit, nihil deeſt, quàm Dei auxilium, quo adiutus, bonam voluntatem, & ſanctum propoſitum proſequatur. Auxilium autem gratię diuinæ monet petendum eſſe feruenter & cō- 1. Theſſ. 2. ſtanter, iuxta Apoſtolum dicentem: *Sine intermiſſione orantes.* Eſt enim à Deo non tantum inchoatio, ſed & progreſſus, & conſummatio boni cuiuſque operis: *Confidens hoc ipſum* (inquit Apoſto- Philip. 1. lus) *quia qui cæpit in vobis opus bonum perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.*

Vt qui nos iam in filiorum numero

eſt

dignatus eſt computare, non debeat aliquando de malis actibus noſtris contriſtari.

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Et iterum: *Chariſsimi, nunc filij Dei ſumus*, ſcilicet per gratiam adoptionis. Conſiſtit autem ratio huius filiationis in ſimilitudine & imitatione paternæ charitatis, quemadmodum Chriſtus indicauit dicens: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cęlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Cum igitur ab hac proximorum dilectione diſcedimus, contriſtatur Pater noſter cæleſtis, & Spirituſſanctus, quia contriſtantur factis noſtris ſancti, qui habẽt Spiritumſanctum, inquit Auguſtinus.

1. Ioan. 3. *Quomodo ſimus filij Dei.* *Matt. 5.* *Eph. 4.* *Lib. 4. de Gene. ad lit. cap. 9.*

Ita enim ei omni tempore de bonis ſuis in nobis parendum eſt, vt non ſolùm vt iratus pater, non aliquando filios exhæredet: ſed nec vt metuendus Dominus irritatus malis noſtris, vt nequiſſimos ſeruos perpetuam tradat ad pœnam, qui eum ſequi noluerint ad gloriam.

Parere debemus omni tempore Deo imperanti nobis ſiue per ſe, ſiue per ſuperiores noſtros, & hoc de bonis ſuis, non nobis, hoc eſt,

non

non noſtris viribus, ſed auxilio gratiæ ſuæ operantis in nobis, ne quemadmodum pater immorigerum filium exhæredare ſolet: ita nos faciat extorres regni cęleſtis, cuius adoptionis iure hæredes eramus, & tradat æternis gehennæ ſupplicijs. Ideo (inquit B. Hieronymus) nobis iraſcitur, idcirco magis immenſa illa bonitas offenditur, quia eam per tanti etiam præmij detrimenta contemnimus: nec ſolum imperata, ſed etiam promiſſa illius pro nihilo ducimus. Magna enim illa noſtra ingratitudo, quâ non ſolum iubentis Dei authoritatem deſerimus, ſed etiam præmia cæleſtia promittentis bonitatem contēnimus, iram eius maiorem in modum prouocat & accendit.

Exſurgamus ergo tandem aliquando,
Rom. 13. *excitante nos ſcriptura ac dicente: hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.*

Incipit nunc diſcipulum ſacræ ſcripturæ authoritate ad ſalutarem morum conuerſionem inducere. *Exſurgamus*, inquit, *tandem aliquando*, poſtquam ſcilicet magnam vitæ noſtræ partem, in carnis voluptatibus, & mundi huius vanitatibus tranſegimus: Exſurgamus, inquit, quia hora iam eſt & tempus ſurgendi de ſomno. Eſt autem animæ ſomnus, inquit Auguſtinus, obliuiſci Deum ſuum. Sicut enim qui dormit naturali ſomno, lumen cœli non videt, & omni cura vacuus eſt: ita animus rerum præſentium amore captus, lumen veritatis non videt, Dei, propriæque ſalutis immemor.

Somnus animæ quis. In Pſal. 62.

Et

Et apertis oculis noſtris ad deificum lumen, attonitis auribus audiamus, diuina quotidie clamans, quid nos admoneat vox dicens: Hodie ſi vocem eius audieritis, Pſal. 94. *nolite obdurare corda veſtra. Et iterum: Qui habet aures audiendi, audiat quid* Apoc. 2. & 3 *ſpiritus dicat eccleſijs. Et quid dicit? Ve-* Pſal. 33. *nite filij audite me, timorem Domini docebo vos. Currite dum lucem vitæ habetis, ne tenebræ mortis vos compre-* Ioan. 12. *hendant.*

Oculos & aures apertas habet, qui miracula aut bona exempla videns, & verbum prædicationis & ſalutaris admonitionis audiens, animum quoque attendit, audita & viſa diligenter conſiderat, ratione expendit, amore amplectitur. Talis ad vocem Domini cor non obdurat, ſed docile præbet iuxta promiſſionem Domini, filijs noui teſtamenti factam: *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant faciantque ea.* Ezech. 11. Quemadmodum lapis per naturalem ſuam duritiem, ſigni impreſſionem & formam reſpuit: ita Similitudo. is duro & lapideo eſt corde, qui ſalutarem doctrinã in bonis moribus non exprimit, nec oſtendit. Quales nõ fuiſſe Corinth. gratulatur Paulus: *Epi-* 2. Cor. 3. *ſtola,* inquit, *eſtis Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta nõ atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis,*

ſed

ſed in tabulis cordis carnalibus. Quia nimirum verbum ſanctę prædicationis, quod ab Apoſtolo audierant, in vita & conuerſatione ipſorum elucebat. Diſcipulis igitur iam ad audiendum probè affectis, dicit Spirituſſanctus: Venite, non pedibus corporis, ſed affectu mentis, & ſanctæ conuerſationis deſiderio, ad pietatis magiſtrum: & primùm, docebo te timorem Domini, tanquam
Prou. 1. & 9 veræ religionis fundamentum. *Initium enim ſapien-*
Eccl. 1. *tiæ, timor Domini.* Nam *timor Domini expellit peccatum.* Peccatum namque in homine quamdiu dominatur, omnem virtutem & gratiam iuſtificantem abigit. Quoniam *in maleuolam animam non*
Sap. 1. *introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Peccato autem iam per timorem expulſo pręparatur animus ad maiora Dei dona percipienda. Docet autem Spirituſſanctus du-
Timor duplex. plicem timorem, ſeruilem ſcilicet & filialem, iſte, inquit D. Auguſtinus, quo gehennam times, eſt
Ser. 48. de Verb. Apoſt. quidam cuſtos, quaſi pædagogus legis, littera minans, non gratia iuuans. Cuſtodit te, dum mala nõ facis timendo, & veniet charitas, quæ intrat in cor tuum, & quantum illa intrat, tantum timor exit, cùm illa tota intrauerit, nullus timor erit:
1. Ioan. 4. quia *perfecta charitas foras mittit timorem.* Intrat ergo charitas: pellit timorem, non autem intrat & ipſa incomitata, habet ſecum ſuum timorem, quem introducit ipſa, ſed illum caſtum,
Timor ſeruilis. permanentem in ſæculum ſæculi. Seruilis timor eſt, quo times cum diabolo ardere: timor caſtus eſt, quo times Deo diſplicere, gaudium paternum offendere: eſt autem timor vterque Domini. Nã etiam timorem ſeruilem dat Spirituſſanctus, di-
Rom. 8. cente Apoſtolo: *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in*

rum in timore. Dat autem Deus hunc timorem ſeruitutis, non vt maneat, ſed vt charitati & filiali timori locum paret, & venienti cedat, quemadmodum ſcilicet, ſeta introducit filum ſutoris, quo introducto ipſa abit. Reiecta autem ancilla ſeu ſeruili timore, & domina charitate intrante & cor poſſidente, homo currere incipit: quia charitas cor & affectum hominis dilatat, & ſic viam mandatorum latam ac facilem reddit. *Similitudo.*

Et quærens Dominus in multitudine populi ſui, cui hæc clamat operariũ ſuum, iterum dicit: Quis eſt homo qui vult vitam, & cupit dies videre bonos? Quod ſi tu audiens, reſpondeas: Ego: *dicit tibi Deus: ſi vis habere veram & perpetuam vitam; probibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo & fac bonum: inquire pacem, & ſequere eam.* *Pſal. 33. & 1. Pet. 3.* *Pſal. 33.*

Clamat Dominus multitudini populi, quia *vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ſed non omnes obediunt Euangelio.* Eſaias enim dicit: *Domine, quis credidit auditui noſtro?* q.d. pauci. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi?* Nunquid ergo non omnes volunt vitam, & cupiunt videre dies bonos? Interroga, inquit D. Auguſtinus, in pſalmum 33. Quis vult vitam, quis cupit videre dies bonos? nonne omnis in vobis reſpondebit: *1. Timoth. 2.* *Rom. 10.* *Mat. 20.* *Pſal. 33.*

Ego?

Conti. 1. in Pſal. 118. Ego? Beatum quippe eſſe, ait idem, tam magnum eſt bonum, vt hoc & boni velint & mali. Sed vt oſtendat bonos, non malos vitam & dies bonos *In Pſal. 33.* eſſe viſuros, conditionem & legem ponit, qua vita proponitur & datur. Quid vis (inquit) vitam & dies bonos? audi & fac: Contine linguam tuam à malo, fac illud. Nolo, dicit homo miſer, tamen vitam volo & dies bonos. Si operarius tuus tibi diceret: Vaſto vineam tuam, & exigo à te mercedem meam, nonne inſanum illum diceres? Tales ſunt homines, qui & facere volunt mala, & dies bonos videre. Dicitur illi: Non potes mala faciēs, quærere bonam mercedem. Si tu iniuſtus es, iniuſtus erit & Deus? Ergo quid faciam? Contine lin- *In Pſal. 14.* guam tuam à malo. Hæc Auguſtinus. Et labia tua ne loquantur dolum, neminem mendacio circumuenias, nulli fraudem facias. Linguâ agitur *Quid dolus.* dolus (inquit D. Auguſtinus) cùm aliud ore profertur, aliud pectore legitur. Diuerte à malo & fac bonum. Conſidera (inquit Euthymius) optimum ordinē, quia verba in promptu magis ſunt, quàm facta. Primum nos admonet à prauis verbis eſſe abſtinendum. Cohibe, inquit, linguam tuam à malo. Sermo enim (vt dixerunt ſapientes) via quædam eſt ad actiones, & deinde ab ipſis etiam prauis auertit operibus, dicens: Declina à malo, & conſequenter ſublatis impedimentis nos in- *Similitudo.* ſuper ad bene operandum adducit, dicens: Et fac bonum. Nam quemadmodum impoſſibile eſt infirmum aliquem ad ſanitatem reſtitui, niſi prius à malo liberetur; ita etiam impoſſibile eſt, aliquē bene operari, qui à vitijs prius non abceſſerit. Illud etiam conſidera, quomodo abſtinere tantum à vitijs non ſufficit: ſed bonis etiam operationi-

bus

bus opus eſt. Hæc ille. Non enim propterea ſolum ij, qui ſtabant in foro otioſi, à Domino increpabantur, quod otioſi eſſent, & nihil mali facerent, ſed etiam quod in vinea non laborarent. *Pſal. 138.* Parum eſt, inquit Auguſtinus, vt non exſpolies veſtitum: veſte nudum ſi non ſpoliaueris, declinaſti à malo, ſed non facies bonum, niſi cùm peregrinum ſuſceperis in tuam domum. Ergo ſic declina à malo, vt facias bonum. *Inquire pacem & ſequere eam.* Non dixit tibi: Et habebis hic eam, ſed *ſequere eam*. Quò eam ſequar? quò præceſſit. Deus enim eſt pax noſtra, reſurrexit & aſcendit in cælum. Hæc Auguſtinus. Inquiramus igitur hîc pacem cum Deo, peccata noſtra deflendo; cum nobis ipſis, cócupiſcentias malas refrænando; cum proximo, ipſum diligendo. Quiſquis enim pacem, inquit Auguſtinus, cùm hîc eſt, non quæſierit, nec illam habebit, cùm venerit.

Et cùm hæc feceritis, oculi mei ſuper vos; & aures meæ ad preces veſtras: & antequam me inuocetis, dicam; ecce adſum.

Alludit adhuc ad Pſalmum 33. qui ſic habet: *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.* Quemadmodum enim nos oculos auertimus ab ijs, quos ſpernimus, & quibus auxilium negamus: oculos autem conuertimus ad eos, quos amamus, quibus ſubuenire cupimus: Ita loquitur Propheta de Deo, more humano. Dicuntur autem oculi Domini eſſe ſuper nos duas ob cau- *Oculi Domini ſuper nos, duas ob cauſas.*

B ob cau-

ob cauſas, vnam vt ex iniuſtis iuſtos faciat. Sic
Mat. 9. vidit Ieſus hominem ſedētem in thelonio Matthæum nomine, ſic vidit Nathanaelem ſub ficu:
Luca 22. ſic conuerſus reſpexit Dominus Petrum, qui egreſſus foras fleuit amarè. De quo reſpectu ſic pulchrè B. Ambroſius: Ieſu, inquit, labentes reſpice, & nos vidēdo corrige. Si reſpicis, lapſus cadunt, fletuque culpa ſoluitur. Alteram, vt iuſtos in iuſtitia ſtabiliat, & prouehat dum eos protegit, ne de bono propoſito excidant: & auxilium eis præſtat, vt in bono proficiant & creſcant. Et ecce quanta Dei bonitas, vt antequam ore illum inuocemus, beneficijs ſuis & gratiæ operatione præſentem ſentiamus.

Quid dulcius nobis hâc voce domini inuitãtis, nos fratres chariſſimi? Ecce pietate ſua demonſtrat nobis Dominus viã vitæ.

Nihil gratius, nihil lætius homini æternæ morti deſtinato & cæco impetu ad eã ruēti accidere poterit, quã audire vocem Domini gratuitò inuitantis & vocãtis eum ad vitam æternam, & iuſtis legibus atque mandatis illuc dirigentis. Quod merę erga nos & pietatis & charitatis eius eſt. Neque enim, inquit S. Hieronymus, obſequij noſtri
Ad Celantiam Epiſt. Vetus ſcrip. Deus indiget, ſed nos illius indigemus.

Succinctis ergo fide, vel obſeruantia bonorum actuum lumbis noſtris, per ducatum Euangelij pergamus itinera eius: vt mereamur eum, qui nos vocauit, in regno ſuo videre.

Alludit

Alludit ſanctus Benedictus ad illud Apoſtoli: *State ergo ſuccincti lumbos veſtros veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis.* Lumborum nomine (dicit Greg.) luxuria deſignatur. Lumbos autem præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Et Hiero. Videtur nobis accinxiſſe lumbos ſuos; qui nequaquam vxori debitum reddit, nec ſeruit libidini, ſed imitatur ingenitum Deum, generationis negotijs non miniſtrans. Hoc idem reor ſignificare, quod Ioannes zonam pelliceam habebat circa lumbos ſuos. Qui ergo Chriſto accinctus eſt veritate, veſtimenta ſua in altum colligit, & ſurſum trahit ac nudorum laterum fœditatem baltheo ſpirituali velat, ſtringit, includit, & paratus ad prælium eſt, & opera habet lucentia, quæ lucernæ dicuntur ardentes. Hæc Hieronymus. Cuius balthei ſeu cinguli ſpiritualis ſignum eſt cingulum materiale, quo religioſus lũbos cingit & veſtem cõſtringit, dicente Baſilio: Lumbos præcingere, animi ſtrenui & ad rem gerẽdam expediti ſignum eſt, nec ſufficit abiecta carnis voluptate expeditũ eſſe ad operandum: ſed opus præterea eſt munimine contra omnẽ inſurgentẽ aduerſitatem: Vnde ſubdit: *Et calceatis pedibus veſtris.* Animæ pes, inquit Auguſtinus, eſt amor, quia amore mouetur anima tanquam ad locum quò tẽdit. Quemadmodũ pedibus corpus quocunque fertur; ita affectibus homo regitur, huc illucque agitur. Quemadmodũ autẽ pedes calceis muniũtur aduerſus viarũ & vepriũ aſperitatẽ: ita animus terrenis deſiderijs, quę ipſũ pungnut & vulnerãt, exutus; cęleſtiũ amore, quo omnia difficilia & aduerſa ſuperet, indui & imbui debet, vt tutè & vt

Eph.6.

Hom.13.in Euang.

Baſil.c.23. Reg.

In Pſal. 9.

expedit ad beatificam Dei viſionem pergamus:

In cuius regni tabernaculo ſi volumus habitare, niſi illuc bonis actibus currendo minimè peruenitur.

1.Cor.4. *Non enim in ſermone*, inquit Apoſtolus, *eſt regnum Dei, ſed in virtute*: & ſicut vita præſens conſtat in cibo panis: ita ęterna in opere mandati.
Ioan.12, Et Chriſtus: *Scio*, inquit, *quia mandatum eius vita æterna eſt*. Eſt enim vita æterna merces & præmium quod operanti, & mandatum ſeruanti datur.

Sed interrogemus cum Propheta Do-
Pſal.14. *minum, dicentes ei: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Poſt hanc interrogationem, fratres, audiamus Dominum reſpondentem, & oſtendentem nobis viam ipſius tabernaculi, & dicentē: Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam, qui loquitur veritatem in corde ſuo, Qui non egit dolum in lingua ſua. Qui non fecit proximo ſuo malum: qui opprobrium nō accepit aduerſus proximū ſuum.*

Hâc ſerie ſcripturarum id agit ſanctus Benedictus,

dictus quod ſuperius, nimirum vt perſuaſum nobis ſit, neminem intraturum ad requiem æternæ beatitudinis, niſi qui à peccatis ſe abſtinuerit, & proximum nec facto, nec linguâ, nec voluntate læſerit: inſuper nec opprobrium acceperit aduerſus proximum ſuum, id eſt, non libenter audierit criminatorem, nec temerè crediderit detractori.

Qui malignum diabolum aliqua ſuadentem ſibi, cum ipſa ſuaſione ſua, à conſpectibus cordis ſui reſpuens deduxit ad nihilum, & paruulos cogitatus eius tenuit, & alliſit ad Chriſtum. Pſal. 136.

Verè malignus diabolus, qui ſine ſpe emendationis deprauatus perpetuò Deo aduerſatur, cùm non ceſſat malitiã ſuã hominibus ſuggerere & infundere, eoſque à Deo creatore ſuo auertere. In eo enim totus eſt, hocque agit perpetuò, vt homines malignos & ſui ſimiles efficiat. Sed ſuggeſtionibus eius electi reſiſtunt, eumque ad nihilum deducunt. *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis:* id eſt, deſinet tentare, quaſi omni virtute priuatus, & ad nihilum deductus; nullæ illi induciæ concedendæ ſunt, ſed primæ eius ſuggeſtioni cautè & viriliter obuiandũ eſt. *Beatus enim qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram.* Ad petram, ait Gregorius, paruulos noſtros allidimus, cùm orientes motus illicitos imitationis Chriſti intentione mortificamus. Si enim tentationi, inquit idem, in corde naſcenti feſtiuè non reſiſti-

Exercitium diaboli.

Ioan. 4.

Pſal. 136.

In Pſal. 4. pænitent.

tur, hâc eâdem quâ nutritur morâ roboratur, & exiſtens foris in operibus vinci vix præualet; quia ipſam intus membrorum dominam mentem captiuam tenet.

Qui timentes Dominũ, de bona obſeruantia ſua, non ſe reddunt elatos: ſed ipſa in ſe bona non à ſe poſſe, ſed à Domino fieri exiſtimantes, operantẽ in ſe Dominũ magnificant, illud cum propheta dicentes: Nõ
Pſal. 113. *nobis Domine, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam. Sicut nec Paulus Apoſtolus de prædicatione ſua ſibi aliquid imputauit,*
1. Cor. 15. *dicens: Gratiâ Dei ſum, id quod ſum. Et*
2. Cor. 10. *iterum ipſe dicit: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Vnde & Dominus in Euan-*
Mat. 7. *gelio ait: Qui audit verba mea hæc, & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram; venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra petram.*

Hactenus ſanctus Benedictus diſcipulum ad bene operandum adhortatus eſt, nunc autem tota hac ſcripturarum congerie monet vt in bonis ſuis

ſuis operibus humilitatem ſeruet, ne humanam laudem, vel probitatis nomen aucupetur: ſed omnem bonorum operum ſuorum laudem ſoli Deo deferat, nihil ſibi arroget, ne domum cordis, bonis operibus ædificatam, impingentes vanæ gloriæ venti euertant, ac ineptam, & Deo inhabitabilem reddant. Si enim, quemadmodum, dicit Apoſtolus: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*, & Propheta confitetur Domino: *Omnia*, inquit, *opera noſtra operatus es nobis*; quid iniquius, quàm gloriam bonorum operum à Deo vero auctore auertere, & nobis ipſis ſeruis inutilibus, & vilibus inſtrumentis iniuſtè ſumere? *Gloriam meam* (inquit Dominus) *alteri non dabo*.

2.Cor.3. Iſa.26. Iſa.48.

Hæc complens Dominus exſpectat quotidie, his ſuis ſanctis monitis, factis nos reſpondere debere.

Quaſi dicat, hęc quæ hactenus in idoneo habitatore æterni tabernaculi requiſiui, ipſe Dominus perfectè compleuit, & verbo prædicationis annuntians, & operationis exemplum monſtrans: & hoc in eum finem, vt vitam noſtram eius monitis & exemplis conformemus. *Exemplum enim*, inquit, *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Et, *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.*

Ioan.13. 1.Pet.2.

Ideo nobis propter emendationem malorum huius vitæ, dies ad inducias relaxantur (dicente Apoſtolo) An neſcis quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? nam pius Dominus dicit: nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.

Rom. 2.

Ezech. 33.

Quid induciæ.

Induciȩ ſunt, quando fœdere vtrimque inito ad tempus ab armis diſceditur; dies huius vitæ induciæ dicuntur, non cum iurato hoſte noſtro diabolo, qui nunquam hoſtilitatis arma deponit, nunquam oppugnare & ad peccatum ſollicitare deſinit: ſed quia Deus pœnam ęternę damnationis diu promeritam nobis differt. Prorogat autem nobis Deus vitam, & dies noſtros relaxat & extendit ad hoc, vt peccata commiſſa defleamus, ne in peccatis noſtris comprehenſi pœnæ æternę tradamur: Patientia enim Dei, id eſt, punitionis dilatio, ad pœnitentiam nos adducit, & ad hoc conceditur, vt pœnitentiam agamus. quemadmodum & Petrus Apoſtolus de extremi iudicij dilatione dicit: *Non tardat Dominus promiſsionem ſuam ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Non tardat ille qui diu, ſed qui diutius expectat quàm debet & æquum eſt. Non tardat igitur Dominus promiſſionem, id eſt, rem iuſtis promiſſam, non æquè longiùs differt, quia certum tempus iuſtę retributioni deſtinauit. Deinde habet & iuſtam dilationis cauſam. Si enim

2. Pet. 3.

Quis tardat.

iuſtos

iuſtos ſtatim beatæ reſurrectionis gloriâ coronaret, etiã iniuſtos conſequenter damnaret. Quod ſi fieret, multi eorum, qui ad vitam prędeſtinati ſunt, ſed nondum vel ex infidelitate ad fidem, vel de peccato ad pœnitentiam conuerſi, in infidelitate vel peccato deprehenſi perirent. His igitur vt pœnitendi & conuertendi tempus ſuppeditet, etiam cum iniquis patienter agit Deus, diutius eorum damnationem differendo, quàm iuſtitiæ ſuæ rigor poſtulat. Vnde S. Auguſtinus ad illum verſum Pſalmi 34 *Domine quando reſpicies, reſtitue* &c. quaſi dicat quando videbimus vindictam de his, qui nobis inſultant? Verum tamen iudex noſter non tædio, ſed amore differt ſalutem; ratione, non inopiâ; non quia nõ poteſt & modò ſubuenire, ſed vt numerus omnium noſtrorum vſque in finem poſſit impleri. Non enim vult mortem, ideſt, æternam damnationem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam.

Cum ergo interrogaſſemus dominũ, fratres de habitatore tabernaculi eius, audiuimus habitandi præceptum, ſed etſi compleamus habitatoris officium, erimus hæredes regni cælorum.

Id eſt, quando interrogamus Dominum, qualis eſſe debet is, qui ingreſſus eſt æternum Dei habitaculum, & requieturus in mõte ſancto eius, Dominus habitaculi viam oſtendit. Quam ſi rectè ſecuti fuerimus, certè & infallibiliter regni cæleſtis hæreditatem adibimus. Mihi promittuntur

Ad Darda. Epiſ. Quaris Dardane.

tur, inquit S. Hieronymus, in Euangelio regna cęlorum, ſed ſi non fecero quę præcepta ſunt, nequaquam erit culpa in promittēte, ſed in me qui promiſſum accipere non merui.

Ergo præparanda ſunt corda & corpora noſtra ſanctæ prẹceptorum obedientiæ militatura.

Cōparatio.

Quemadmodum miles pugnaturus cum hoſte ſuo omne impedimentnm abijcit, & conuenientibus armis ſe inſtruit, ita religioſus cum hoſte ſuo diabolo pugnam cōmiſſurus, cor & corpus diligenter ad eam comparare & expedire debet: ex vtraque enim parte nobis inſidiatur: quia & animi paſſiones, & inconſtantiam obſeruat, & corporis infirmitatem conſiderat, & ſicut ille vtrimque nos oppugnat; ita vtramque partē, ſanctis virtutibus, ceu armis ſpiritualibus nos munire dẹbemus, vt eius inſidias videre, vim ſuſtinere ac propulſare poſſimus, dicente Apoſtolo: *Induite vos armaturam Dei vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli.*

Epheſ. 6.

Et quod minus habet in nobis natura poſſibile, rogemus Dominū vt gratiæ ſuæ iubeat nobis adiutorium miniſtrari.

Sermo. ſecūdo exhortatorio ad fratres.

Loquens S. Bernardus de ſancta & religioſa vita: Non humanæ poſſibilitatis eſt, inquit, curſus iſte, eius dextera facit virtutem, cui ſemper neceſſe eſt clametis: trahe nos, poſt te in odorem

rem vnguentorum tuorum curremus. Non inquam ab homine forma iſta cõuerſationis. Quoniam igitur natura viribus deſtituitur, quibus Diabolo reſiſtatur, docet nos S. Benedictus confugere ad adiutorium gratiæ Dei, vt cum Paulo dicere poſſimus: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* *Philip. 4.*

Et, ſi fugientes gehennæ pænas, ad vitam volumus peruenire perpetuam: dum adhuc vacat, & in hoc corpore ſumus, & per hanc lucis vitam vacat implere, currendum & agendum eſt modò, quod in perpetuum nobis expediat.

Gehenna eſt locus damnatorum, quorum duplex erit pæna, quia eorum mentem triſtitia, corpus flamma vret nec comburet, dicente propheta: *Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur*. Hanc ſi vitare, & æternam fælicitatem capere volumus, curandum hoc ſedulò eſt dum viuimus. Eſt enim tempus prçſens tempus merendi: futurum autem, mercedem percipiendi; hoc ſeminandi, iſtud fructus religendi. *Qui ſeminant hîc in lachrymis, illic in exultatione metent.* Ideo ſapiens hortatur, dicens: *Quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare: Quia nec opus, nec ratio, nec ſapiẽtia erũt apud inferos, quò tu properas.* Ideo quoq; ille ſeruus nequã, *Ligatis manibus & pedibus proijcitur in tenebras exteriores.* Colligatio autẽ manuũ & pedũ, quid ſignificat niſi dãnatis ademptam eſſe omnem operandi facultatem? dũ tempus igitur *Quid gehēna.* *Eſaiæ 66.* *Pſal. 125.* *Eccleſ. 9.* *Matth. 22.*

eſt,

eſt, dũ liberas adhuc habemus manus, bonum operemur ad omnes. *Ecce enim nunc tempus acceptabile, nunc dies ſalutis ſcilicet promerendæ.*

Gal. 6.

2. Cor. 6.

Conſtituenda eſt igitur à nobis Dominici ſchola ſeruitij.

Schola quid.

Schola vacationem ſonat, quod vocabulum Latini à Græcis mutuati ſunt, ad ſignificãdum ludum litterarium, propterea quod litterarum ſtudioſi ab omnibus alijs occupationibus liberi, vni litterarum ſtudio vacare debeant. Quod S. Benedictus aptè quoque accommodauit ad ſignificationem Monaſterij, in quo religioſus ad pietatem & verum Dei cultum, ſicut puer in ludo litterario, ad eruditionem & humanitatem informat. Vt namque religioſus in hac diuini ſeruitij ſchola proficiat, opus eſt imprimis, vt liber ſit & vacet omni cura & ſolicitudine rerum temporalium, ac mentem ad ſpiritualium contemplationem penitus conuertat. *Volo*, inquit Apoſtolus, *vos ſine ſolicitudine eſſe. Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus*. Quod dicitur, inquit Bernardus, dedito contemplationi, vt abſtineat ſe ab externis occupationibus. Quia mẽs, dicit S. Gregorius, viſibilibus intenta, videre neſcit inuiſibilem: nulla enim niſi viſibilia cogitat, eaque & cũ non agit, eorum imagines introrſus trahit; dumq; in imaginibus corporeis iacet, ſurgere ad incorporea non valet, vnde fit vt tãto deterius creatorem neſciat, quanto in cogitatione ſua familiariùs corpoream creaturam portat. Sic ille.

1. Cor. 7. Pſal. 45. Ser. 5. Aſſump. Hom. 3. in Euãg.

In qua inſtitutione nihil aſperum nihilque

que graue nos conſtituturos ſperamus: ſed etſi quid paululum reſtrictius (dictãte æquitatis ratione) propter emendationem vitiorum, vel conſeruationem charitatis proceſſerit, nõ illico pauore perterritus refugias viam ſalutis, quæ non eſt niſi anguſto initio incipienda.

Indicat Monaſticã inſtitutionẽ tradi, & ſuſcipi ad hoc, vt vitia certius curentur, & charitas facilius acquiratur & cõſeruetur. Vnde & S. Bernardus dicit, pręcepta monaſtica inuẽta & inſtituta eſſe, non ad aliud, quàm ad lucrum & cuſtodiam charitatis. Quibus autem modis vitia extirpẽtur & charitas inſeratur & augeatur, hoc recta ratio, quæ lumine diuinæ gratiæ illuſtrata cauſas & remedia vitiorũ clariſſimè perſpicit, optimè dictat. Si igitur recta ratio dictauerit, & perfectionis ſtudioſo præſcribendum quicquã iudicauerit, quod ſentiat & experiatur ſenſibus ſpiritui & rectæ rationi reluctantibus durum, non propterea à bono propoſito reſiliet, ſed meminerit, quã ardua ſubimus, quàm difficilia cauſa humanę amicitiæ toleramus, & cauſa Dei quid non toleremus? Forti proinde animo cœptam militiam tolerabit, ſciẽs principia cuiuſque inſtituti difficilia, & difficilia quæ pulchra. Charitate autem quid pulchrius? arduum quoque & altum eſt cælum, quid mirum ſi eius aſcenſio eſt difficilis? ſed facilis deſcenſus Auerni. Initia autẽ monaſtices ac omnis virtutis dura ſunt & grauia, propter inueteratam malæ & anteactæ vitæ cõſuetudinẽ, teſte S. Hieronymo, Lata

De Prac. & diſp.

Matth. 7.

Lata via, inquit, vitijs per conſuetudinem, quaſi decliuior ac mollior, & velut quibuſdam amœna floribus voluptatum, facilè ad ſe rapit commeantium multitudinem. Anguſta verò inſueto calle virtutũ triſtior atque horridior ab his tãtũ eligitur, quibus nos tam delectatio itineris cordi eſt; quam vtilitas manſionis. Aſperam enim nobis & inſuauem virtutum viam, nimia facit vitiorum conſuetudo, quæ ſi in alteram partẽ trãſferatur, inuenietur, ſicut ſcriptura dicit, *Semita iuſti, leuis.* Hæc D. Hieronymus ad Celantiã, ep. Vetus ſcripturę &c: & S. Auguſtinus: Magnum ſacramentum, inquit, eſt huius ſententiæ: *In dolore paries filios*, ſ. quod nulla abſtinentia fiat à voluntate carnali, quæ non habet in exordio dolorem, donec in meliorem partem conſuetudo flectatur. Quò cum peruenerit, quaſi natus eſt filius ad bonum opus, paratus erit effectus per cõſuetudinem bonam. Quæ conſuetudo vt naſceretur, cum dolore reluctandum eſt conſuetudini malæ. Nam & illud, quod poſt partum dictum eſt: erit tibi conuerſio ad virum tuum, & ipſe tui dominabitur, quid ſibi vult? niſi, quia illa pars animæ, quæ carnalibus gaudijs tenetur, cum aliquam malam conſuetudinem volens vincere, paſſa fuerit difficultatem atque dolorem, atque ita peperit conſuetudinem bonam, cautius iam & diligentius rationi obtemperet tanquam viro: & ipſis quaſi erudita doloribus conuertitur ad rationem, & libenter ſeruit iubenti, ne iterum in aliquam pernicioſam cõſuetudinem defluat? Iſta ergo quæ videntur maledicta, præcepta ſunt, ſi nõ carnaliter ſpiritualia legamus, lex enim ſpiritualis eſt. Hæc S. Auguſtinus, cuius doctrinæ conſonat id, quod

Lib. 2. Geneſ. contra Manicheos, cap. 190.

Rom. 7.

id, quod deinceps ſubdit S. Benedictus.

Proceſſu verò cõuerſationis & fidei dilatato corde, inenarrabili dilectionis dulcedine, curritur via mandatorum Dei. Pſal. 118.

Tunc fides & ſancta conuerſatio progreſſum habet, cum fides quæ mortua erat, & ſine operibus, reuiuiſcit, & per dilectionem operari incipit, quando bonum, quod tantum fidei oſtenſione notum erat, iam etiam diligitur, & voluntatis acclinatione appetitur, cum mali mores vſu & exercitatione bonę cõuerſationis vincuntur, virtus frequentibus actibus firmatur, augetur, iucũda fit & delectabilis, & paulatim quaſi in naturã vertitur. Ideo enim conſuetudo, altera natura dicitur, quod quẽadmodum natura ſponte, & per ſe & ſine difficultate, immò cũ delectatione, ſuas exercet operationes; ita conſuetudo in agendo difficultatem tollat, quia amanti nihil eſt difficile, & propterea comparat eam Bernardus currui: Cum, inquit, iumento imponitur onus graue & refugit quaſi importabile, adducitur quadriga volubilis, id eſt, Euangelium (ſeu gratia euangelica quę eſt charitas) diſcurrens per totum mundũ & onus quod quaſi graue refugiebat primùm, poſtea ſine labore trahit duplicatũ. Sic auicula, quæ implumis eſt, & ſine alis ſeipſam non poteſt portare, plumarum pondere & alarum addito, aduolat ſine labore. Sic & panis durus, qui per ſe traſire nõ poteſt, adiectione lactis vel alterius liquoris colabilis fit in gutture. Hæc S. Bernardus. Sic vſus ſenſim in cõſuetudinem & affectũ charitatis mutatus, cor ipsũ dilatat & exhilarat, ita vt id quod

Lib. de natura & digni. diuini amoris. cap. 5

quod ante egrè & cum triſtitia, nunc propensè & cum delectatione fiat, iuxta illud: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.*

Vt ab ipſius nunquam magiſterio diſcedentes, in eius doctrina vſque ad mortem in monaſterio perſeuerantes paſsionibus 2. Tim. 2. *Chriſti per patientiam participemus, vt regni eius mereamur eſſe conſortes. Amē.*

Delectatio in quauis re, magna eſt quædam confirmatio, nō enim facile id, quod delectat, deſeritur. Qui igitur in Magiſterio Dei ideſt in modo viuendi à Deo tradito delectatur, is conſtantius in eo conſiſtit. Dicit, *Perſeuerantes in Monaſterio,* qui vnius ſuperioris iudicio gubernantur, permanere in doctrina Domini: quia dictum eſt à Domino ſuperioribus: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Deinde doctrina Dei eſt non ſolum, quam ſancta ſcriptura, (quę verbi & doctrinæ Dei certiſsimus eſt iudex) cōtinet: verum etiam omnia illa, quæ à ſanctis viris eodem ſpiritu, quo ſancta ſcriptura condita eſt, imbutis, ad conſtitutionem, & conſeruationem religionis & charitatis, rectè legitimeque traduntur. Qualia etiam ſunt mandata & inſtitutiones, religioſis in monaſterijs degentibus, vel Patrum conſenſu & authoritate olim conſtituta, vel quæ pro re, & occaſione nata, etiam à ſingulis ſuperioribus ritè & ratione hodie conſtituuntur & mandantur. Dicitur deinde, monacho vſque ad mortem in monaſterio perſeuerandum: Qui enim voto facto, & ſtabilitatis profeſſione ſeſe

loco

loco ſeu monaſterio alicui deuinxit, is omnẽ ſpẽ & poteſtatem non ſolùm redeundi ad ſeculũ, ſed etiam ad aliud monaſteriũ tranſeundi ſibi ademit. Saluis, inquit S. Bernardus, exceptionibus quas Superior diſputatio perſtrinxit, de cętero nulla liceat occaſione monacho locũ, cui profeſſus eſt, citra ſuam mortẽ deſerere, ſuo dũtaxat arbitrio: alioquin præuaricator eſt, dãnationẽ habens, quia primã fidẽ irritã facit. Exceptiones autẽ ob quas inſinuat Bern. Monachũ rectè & licitè, locũ primę ſuæ confeſſionis deſerere, & cauſas ob quas eũ deſerere, nõ licet ſic paulo ante explicauerat. Præſcribat, inquit, proinde ſtabilitatis pactũ omni deinceps remiſſo deſcẽſui, cõtentioſo diſceſſui, vago & curioſo diſcurſui, totius denique inconſtantiæ leuitati: non tamẽ his, quæ in profeſſionis ſerie ſequuntur, morum videlicet conuerſione & obedientiæ quæ ſecundum regulam fit. Nam ſi hæc ibidem pro improbitate nimirum, atque irreligioſitate cohabitantium, obtineri fortè nequiuerint, duce ſpiritu libertatis, tranſire indubitanter ſuadeo ad locum alium, vbi non impediatur homo reddere Deo vota ſua, quæ diſtinxerunt labia ſua. Equidem cum Sancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. Ideo autem in monaſterio ſtabiles & conſtantes animo & corpore eſſe debemus, vt iugiter Chriſtum ibi contemplemur & illius paſſiones & labores deſiderio & voluntante imitandi meditemur. Dat enim ſtatus religioſus imitandæ paſſionis & humilitatis Chriſti occaſiones, quotidie innumeras, in vigilijs, in orationibus, in lectione, in ſolitudine, in ſilentio, in fame & ſiti, in frigore & æſtu, in correptionibus & punitionibus, in obedientia alijſq; infinitis labo-

Lib. de Præcep. & diſp.

Pſal. 17.

Stabilitas Monaſterij vtilis.

ribus & exercitijs. Hæc enim patienter tolerando religioſus, quid niſi viuum Paſſionis Chriſti exemplar in ſeipſo exprimit? Ea propter merito horum nos tędere nec pigere debet. Nihil enim homini Chriſtiano glorioſius, quam Chriſto duci ac capiti ſuo per humilitatis & paſſionis laborem ad ſimilitudinem proximè acceſſiſſe. Exinanitum, inquit Bernardus, Chriſtum vides? non ſit otioſa viſio, quia exaltatum otiosè videre nos poteris. Similis eris illi, cum videris eum ſicuti eſt, eſto & nunc ſimilis ei, videns eum ſicut propter te factus eſt. Si enim ne in humilitate quidem, ſimilitudinem eius abnuis, certę tibi quoque ſublimitatis ſimilitudo debetur. Nunquam ille ſociũ tribulationis, à communione gloriæ arceri patietur. Denique vſque adeo non dedignatur, paſſionis ſuæ conſortem & in regnum mittere ſecum, vt in cruce confitens latro, eadem die cum eo fuerit in Paradiſo. Hinc eſt quod etiam ait ad Apoſt. *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tribulationibus meis & ego diſpono vobis regnum.* Quia ergo *ſi compatimur, & conregnabimus*, ſit interim meditatio noſtra fratres Chriſtus, & hic crucifixus, ipsũ ponamus ſignaculum ſuper cor, ſignaculum ſuper brachium noſtrum. Ipſum amplectamur, brachijs quibuſdam vicariæ dilectionis, ipſum ſequamur ſtudio piæ conuerſationis. Hoc enim iter quo oſtendatur & nobis ipſe qui eſt ſalutare Dei, Hæc Bernardus.

Luc. 22.
Rom.

Finis prologi.

REGV-

IN REGVLAM EIVSDEM SANCTISSIMI PATRIS BENEDICTI.

Commentarius D. Ioannis Craesbeeck.

De generibus Monachorum.

CAP. I.

Monachorum quatuor genera eſſe manifeſtum eſt.

SANCTVS Benedictus Normam viuendi,& regulam Monachis daturus, rectè Monachorum diſtinctionem initio ponit, vt cui Monachorum generi hanc ſuam regulam ſcribit,innoteſcat. *Quid Monachi.* Monachi autem & religioſi ſunt, certum hominum genus, qui ſupra formam communem, & modum diuini cultus & omnibus Chriſtianis ad ſalutem neceſſarium, ex libera ſua electione, ad ſingularem & perfectiorem Dei cultum voto ſe adſtrinxerunt, im-

mo penitus obſequio diuino manciparunt. Ideo enim Monacho, inquit Dionyſius Areopag,) dum profitetur & conſecratur, exponit Sacerdos perfectiſſimam vitam, hoc pro teſtimonio dicens: Eum mediam vitam ſuperare ac tranſire debere. Hinc ſanctis nominibus appellati ſunt, à puro Dei famulatu & cultu. Primũ enim Cultores vocati ſunt duas ob cauſas: tum quod cultui & obſequio numinis penitus dediti: tum quia toti ſunt in animo ſuo curando & virtutibus excolendo. Monachi etiam ſunt vocati ab Apoſtolis, ab Indiuidua, inquit Dionyſius, & ſingulari vita, qua in Deiformem vnitatem colliguntur & perficiuntur, quemadmodum, dicit Apoſtolus, *Qui adhęret Domino, vnus ſpiritus eſt*: Hoc eſt quod ſanctus Thomas dicit: Nomē Monachi ſumi ab vnitate per oppoſitum ad diuiſionem, qua homo ſæculo deditus diuiſus eſt, ne liber & totus in Deum pergere poſſit. Vocat eos S. Baſilius exercitatores, quia eorum munus eſt ſe in virtutis paleſtra exercere. Hinc & quædã ſua ſcripta Aſcetica ſeu exercitamenta Monachorũ inſcripſit & nominauit. Nomē Monachi propriè non conuenit omnibus religioſis, ſed ſolis vitæ cōtēplatiuæ deditis. Mendicãtes proinde, & Religioſi Societatis Ieſu, propriè Monachi non ſunt, cum aſſiduè inter homines verſentur, in cauſis tamen fauorabilibus nomine Monachorum veniunt. Ad ſtatum autem religioſum, ſeu ad hoc vt verè quis ſit Religioſus, requiruntur in primis eſſentialiter, tria conſilia euangelica, ſcilicet Paupertatis, Obedientiæ & Caſtitatis: quia ſine his nulla eſt perfecta religio. Secundò requiritur, vt hæc tria confirmentur voto perpetuo: quia non ſufficit hæc ſeruare ſi-

Eccle. Hierarch. cap. 6. Par. 2.

1. Cor. 6.

Differentia inter Monachum & Religioſum.

ne voto, cum ſic ſeruata non conſtituant ſtatũ, non enim habent firmitatem: nec homo nuda horum obſeruatione abſque voto perfectè dedicatur Deo; quia libertatem reſiliendi ſibi retinet, quæ per votum abdicatur. Hinc Nazaræi, qui erant typus noſtrorum Religioſorum voto consecrabantur Domino. *Numer. 6.* Tertiò debent tria illa firmari voto perpetuo, nec ſufficit ad tempus vouiſſe: quia iſtæc tantum imperfecta eſſet ſui mancipatio retro reſpiciens, & ius retrócedendi retinens. Ad perfectionem autem & naturam religionis requiritur, vt homo totam vitam ſuam Deo conſecret. Quæ, quia non tota ſimul agitur, ſed ſucceſſiuè, non poteſt, inquit D. Thomas, totam vitam ſimul actu Deo exhibere & conſecrare, ideo voto id facere debet. *2.2.q.186, art.2. ad ſecundum.* Quod autem Religioſus totam vitam ſuam Deo conſecrare debeat, conſtat ex eo quod D. Gregorius dicit bonam vitam hominis ſęcularis & Laici eſſe ſacrificium; hominis autem religioſi holocauſtum. *Homi. 20. in Ezec.* Cum quis, inquit, ſuum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, ſacrificium eſt, cum verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo vouerit, holocauſtum eſt. Nam ſunt quidam qui adhuc mẽte in hoc mundo retinentur, & tamen ex poſſeſſis rebus, ſubſidia egentibus miniſtrant, oppreſſos defendere feſtinant. Iſti in bonis quæ faciunt, ſacrificium offerunt, quia & aliquid de actione ſua Deo immolant, & aliquid ſibimetipſis reſeruant. Et ſunt quidam qui nihil ſibimetipſis reſeruant, ſed ſenſum, linguam, vitam atque ſubſtantiam quam perceperunt, omnipotenti Deo immolant. Quid ipſi niſi holocauſtum offerunt, immo magis

holocauſtum ſunt? Iſraeliticus enim populus, primum ſacrificium in Ægypto obtulit, ſecundum verò in Eremo. Qui itaque adhuc mentem habet in ſęculo, ſed boni iam aliquid operatur, Deo iam ſacrificium obtulit in Ægypto: Qui verò præſens ſæculum deſerit, & agit bona quæ valet, quaſi iam Ægypto derelicta, Sacrificium præbet in eremo: quia repulſo ſtrepitu deſideriorum carnalium in mentis ſuæ quiete ac ſolitudine Deo immolat, quidquid operatur. Hæc Gregorius, ſignificans, holocauſtum offerri Domino ab his, qui relicta AEgypto, id eſt, hoc ſæculo ſacrificium offerunt Domino in eremo, id eſt in ſtatu religionis: Sacrificiũ autẽ ab ijs qui in ſæculo remanẽtes boni aliquid faciũt. Quia ergo ſtatus religioſus eſt holocauſtum, ideo tria conſilia euangelica neceſſaria ad eundem requiruntur. Nam per hæc tria homo ſe ſuaque omnia perfectè Deo conſecrat, nec poteſt aliter. Per votum enim obedientiæ offert Deo animam, ſubijciens iudiciũ & voluntatem in rebus agendis ſuperiori propter Deum. Per votum caſtitatis offert corpus, abſtinens ſe cauſa Dei à voluntatibus carnis. Per votũ paupertatis, offert res exteriores, ſe illis propter Deum priuans. Secundò probatur hæc tria eſſentialiter pertinere ad ſtatum religioſum, quia eſt exercitium tendens ad perfectionem. Vt autem homo rectè tendat ad perfectionem, hæc tria itidem requiruntur. Debet namque exuere affectũ & ſollicitudinem rerum terrenarum, quod fit voluntaria paupertate. Debet abſtinere à voluptatibus carnis, quæ mentem ad ſpiritualia maxime reddunt ineptam, quod fit cultu caſtitatis. Poſtremo debet dirigi tanquam diſcipulus in proprio

Modus tendendi ad perfectionẽ.

proprio iudicio & affectu fallatur: quod fit per inobedientiam. Tertiò probatur, quia ſtatus religionis, eſt remotio impedimentorum ſalutis. Sunt autem tria, quæ ſalutem hominis maximè impediunt, cupiditas rerum terrenarum, oble- *Impedimentia hominum ſalutem.* ctationes carnis, & amor iudicij & voluntatis. Hæc tria notat S. Ioannes Apoſtolus, dicens: *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* *Ioan. 2.* Itaque cum hęc tria tollantur tribus votis religionis, certè per religionem exuitur mundus. Ideo dicit S. Bernardus: põtem, per quem tutè tranſitur mare huius mundi, conſtare tribus rite compactis. Hæc autem ſunt, inquit, pœna corporis, paupertas ſubſtantiæ mundialis, & humilitas obedientiæ. Nam & per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei; *Et qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli*; *Act. 14. 1. Tim. 6.* & quem exturbauit à Deo inobedientia, ſine dubio per obedientiam tramite recto ad eum redit. Hæc itaque ſibi inuicem compacta eſſe neceſſe eſt. Nã nec pœna corporis (inſinuat inter alia pœnalia caſtitatem) inter diuitias ſtabilis; nec obedientia ſine pœna, facile poteſt eſſe diſcreta; & paupertas in voluptate & voluntate propria nullius poteſt eſſe momenti; & obedientia in diuitijs & voluptate, nec ſtabilis nec glorioſa. At vero his ritè compoſitis, vide ſi non tria maris huius pericula euaſiſti, concupiſcentiã carnis, concupiſcentiã oculorũ & ſuperbiam vitæ. Hæc D. Ber. Probatur, 4. quia religio eſt forma quædã vitæ, vel obligatio ad formam vitæ, quæ ducit ad imitationem Chriſti, & ad perfectionem charitatis. Ad quam imitationem & perfectionem conſequendam,

hæc tria maximè conducunt: Conſtat enim de
Matt. 19. paupertate, dicente Chriſto: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo*. Et infra, *Amen dico vobis, quod vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis & vitam æternam poſſidebitis*. Habet autem Euangelica paupertas magnam Chriſti
Matt. 8. & Luca 9. imitationem, qui ait: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet*. Quod etiam ad perfectionem plurimùm conducat, magnum argumentum eſt, quod primi Chriſtiani quibus ſtudium perfectionis in primis cordi fuit, illam amplexi ſunt voto paupertatis ſeſe adſtringẽtes, vt patet Act. 4. & 5. exemplo Ananię & Saphyræ votum paupertatis violantium & pœnam præuaricationis ſuę repentina morte luentium. Et Apoſtoli: *Ecce*, inquiunt, *nos reliquimus omnia*. De caſtitate autem minimè ambigitur, quin Chriſtus Dominus & Apoſtoli eam ſeruauerint. Quod ad perfectionem vtilis immo neceſſaria ſit, manifeſtum fit, quia Chriſtus ad illam, perfectionis ſtudioſum hortatur di-
Matt. 19. cens: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Dei, qui poteſt capere, capiat*. Quaſi dicat: res iſta eſt valde eximia, hortor, vt quiſque pro ſuo captu ad eam aſpiret, & qui difficultatem occurrentem paratus eſt vincere, eam amplectatur. Dicimur enim poſſe quando audemus & non ſinimus nos difficultate rei ſuperari; & econtra, non poſſe dicimur, quando cedimus difficultati, quamuis eam poſſemus abſolutè vincere. Sic vulgo dicitur: Non poſſum hanc iniuriam diutius ferre, non poſſum condonare, non poſſum tam tenuiter viuere. Deinde Apoſtolus, qui putat etiam ſe

ſpiri-

ſpiritum habere dicit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do tanquam miſericordiã conſecutus à Domino vt ſim fidelis: Beatior erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.* Ergo certior & compendioſior via veniendi ad perfectionem eſt, corporis caſtitatem ſeruare. De obediẽtia quoque conſtat, quod Chriſtus illam exercuit. Quia obediens patri fuit vſque ad mortem. Et qui Dominũ vult ſequi debet abnegare ſeipſũ. Quæ quidẽ obedientia omnibus Chriſtianis communiter præcipitur, dum in malis ſeipſos abnegare debent: ſed ſingularis eſt in religioſis qui iudicium & voluntatem ſuam in omnibus licitis & honeſtis ſuperiori ſubijciunt, neque neceſſe eſt, vt hæc vota ſint ſolemnia, vt ſtatim Religioſum conſtituant. Quod vt clarum fiat, nota primo ſolemnitatem voti conſiſtere in eo, quod ipſum coniunctum ſit profeſſioni religionis approbatæ; vel ſuſceptioni ordinis ſacri: & ex hac coniunctione, cum tam præclaro actu votum ſolemne dici. Ait enim Pontifex: Votum ſolemnizari per ſuſceptionem ordinis ſacri, aut profeſſionem religionis. Conſiſtit ergo ſolemnitas voti formaliter in hac coniunctione. Nota ſecundò votorum ſolemnitatem, eſſe ex conſtitutione eccleſię, tum quia eccleſia approbat religiones, ſine qua approbatione illa vota non eſſent ſolemnia; ſed tantum ſimplicia; & ordini ſacro annectit votum caſtitatis: tum quia ſtatuit vt ratione huius coniunctionis cenſeantur ſolemnia, & certos effectus habeãt, quos per ſe non haberent, nempe, vt votum caſtitatis reddat inhabilem ad matrimoniũ, & votum paupertatis priuet

1. Corint. 7.

Philip. 2.
Matt. 16.

C. Quod votũ. De voto in ſexto.

omni

omni dominio & reddat illius incapacem. His poſitis patet, ſolemnitatem trium votorum non eſſe neceſſariam ad eſſentiam ſtatus religioſi, ſed ſufficere, vt ab eccleſia in eum finem acceptentur, vt conſtituant vouentem in ſtatu religioſo. *Probatur*, primò quia ea quę ſunt ſecundū ſe religioni neceſſaria, hoc eſt ea, ſine quibus communiter ad finem monaſticæ religionis ſeu ad perfectionem vitæ ſpiritualis non venitur, iure diuino ſunt conſtituta. Nam Deus ſuadens perfectionem, etiam media ad eam comparandam neceſſaria monſtrauit & inſtituit. Solemnitas autē votorum non diuini, ſed iuris eccleſiaſtici eſt, ac præterea poteſt eccleſia in ſolemnitate diſpenſare, quia poteſt relaxare ſuam conſtitutionem. Et ſicut in vna religione poteſt aliquam ſolemnitatē vel conditionem requirere, vt acceptet illam pro religione: ita & in alia poteſt non requirere, & poteſt plura vel pauciora ad voti ſolemnitatem requirere, plures vel pauciores effectus ei tribuere. Sicut etiam ad ſolemnitatem matrimonij plura vel pauciora poteſt exigere, ſic votum olim erat ſolemne, etiamſi religio non eſſet à ſede apoſtolica approbata. *Probatur*. 2. votorum ſolemnitatem non eſſe neceſſariam ad eſſentiam religionis, quia ſolemnitas illa ſolum inducit quamdam inhabilitatem ad proprietatem bonorum, & matrimonium: quæ inhabilitas non eſt neceſſaria ad ſtatum religionis, nam poteſt quis eſſe verus religioſus manente vinculo matrimonij, ſi præſcindatur facultas eo vtendi, vt patet quando coniunx ex conſenſu alterius profitetur. Simili modo dominium non magis repugnat ſtatui religionis, quam vſus, ſi omni momēto dependeat à nutu

nutu ſuperioris, ita vt ad omnem nutum illius ſit paratus reſignare. *Probatur*, Tertio quia ſi per vota ſimplicia non poſſet quis fieri religioſus, id eſſet, vel quia per illa non fit traditio ſui, ſed ſolum promiſſio, vel quia per illa nō ſortitur ſtatum immobilem; vel quia non obligamur ad illas functiones perfectionis, ad quas obligamur per ſolemnia. Non primum, quia per illa fit vera traditio, & eccleſia acceptat illa mediante prælato, cui hanc authoritatem dedit. Non ſecundũ, quia, qui ſe ſic adſtrinxit, non poteſt vllo modo illa obligatione ſe eximere, vnde ex ſe perpetua eſt & immobilis eſt. Non tertium, quia vota ſimplicia poſſunt obligare ad omnia exercitia perfectionis, ſicut ſolemnia. Præterea ad eſſentiam ſtatus religioſi, nō requiritur alia regula, præter eã, quæ diuinis mãdatis & ipſis tribus votis continetur: Quia hęc abſolutè ſufficiunt, & ducunt hominem ad perfectionem. Confirmatur, quia ad reliqua non eſt obligatio in ſingulis, præſertim eſſentialis: Poteſt enim quis eximi à choro, ab vſu piſcium, ab vſu lautorum, & ſimilibus, manente eſſentia religionis. Quia tamẽ ob multas cauſas eccleſia non cõſueuit huiuſmodi ſtatum approbare pro religione, abſque aliqua particulari regula, ideo ea neceſſaria eſt non per ſe, ſed per accidens. Neceſſaria eſt pręterea ad perfectum religionis ſtatum eccleſiæ approbatio & votorum admiſſio. Ideo in primæua eccleſia Monachi per Epiſcopos initiabantur, vt patet ex D. Dionyſij cap. 6. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: vbi formulam huius initiationis deſcribit: & virgines ab Epiſcopis velabantur, teſte Tertulliano, Cypriano, Ambroſio, Baſilio, in regulis fol. cap. 15. & paſſim alijs doctoribus.

Nec

Nec vnquam fuit alia perfecta religio, niſi quæ à Prælatis Eccleſiæ approbata fuit. Ratio eſt, prima, quia ſine hac approbatione nõ poteſt eſſe ſtatus ſpiritualis, ſupra communem ſtatum Chriſtianorum, ſed omnes merè ſunt Laici, ſubiecti poteſtati ſæculari, niſi fortè alia ratione ab illa eximantur, v. g. quia Clerici ſunt, vel Sacerdotes. Religio autem perfecta eſt ſtatus ſpiritualis & ſupernaturalis, diſtinctus à communi ſtatu Chriſtianorum, & proinde à Chriſto, peculiari modo deſcendere debet, idque mediante ipſius Vicario, ſicut omnes gradus eccleſiaſtici, & omnis iuriſdictio ſpiritualis, iuxta illud Apoſtoli: *Ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis.* 2. ratio, quia votum paupertatis & obedientiæ religioſæ reſpiciunt authoritatem prælati habentis iuriſdictionem ſpiritualem. Paupertas enim religioſa non poteſt vlla re vti, niſi dependenter à voluntate Prælati. Obediẽtia autem præceptum prælati intuetur: Itaque requirũt in ſuperiore ſpiritualem poteſtatem à Chriſto deſcendentem. Confirmatur, quia religioſus obedit Superiori tanquam Chriſto, in eoque Chriſtũ intuetur, nimirũ quia à Chriſto poteſtatẽ accepit, & Chriſti vices gerit. 3. ratio, quia ſine hac approbatione non habet tantam immobilitatem; facilè enim talis cõgregatio poteſt diſſolui, vt ſi nolint eligere Superiorẽ. Acceptio quoque voti nõ eſt omnino firma, quia hoc ipſo, quo ille renuntiabit ſuo iuri, vel eo ſpoliabitur, ſubditus deſinet obligari. Debet igitur votorũ admiſſio & religionis profeſſio fieri conſenſu eius, cuius eſt incorporare religioni. Ratio eſt, quia nulla profeſſio

Epheſ. 4.

eſt

eſt valida, niſi duæ perſonę concurrant quarũ altera ſe obliget religioni, tradẽdo ſe in ius eius, & obſtringendo ad manendum in ea, altera religionem obliget illi, recipiendo illũ in filiũ, & iura reliquorum illi communicãdo. Continet enim profeſſio obligationem reciprocã inter facientem eã & recipientem. Regularis profeſſio, inquit D. Bernar. qua ſe iunior ſponte ſubmittit Priori, æquè obligat & Priorem, fiuntque duo per vnius ſponſionẽ alterutri debitores; vnus, fidelis curę, alter, humilis obedientiæ. Poteſtas autem incorporandi religioni, ordinariè eſt apud Pręlatum: eius eſt enim incorporare religioni & religionis priuilegia & iura communicare, qui illi præſidet. Confirmatur hoc doctrinâ D. Baſilij: qui de profeſsione religioſa & voto caſtitatis ita in ſuis regulis conſtitutum reliquit: Porrò, inquit, ſentẽtiæ eiuſmodi (ſcilicet profeſsionis virginitatis) teſtes aſſumendi ſunt eccleſiarũ Antiſtites, quò videlicet per ipſos & ſanctificatio corporis, veluti res ſacra Deo dedicetur, & actionis illius per illorũ teſtimoniũ, confirmatio ſit, *in ore enim duorum vel trium ſtabit omne verbum*. Sic enim & ſtudium fratrũ maledicta maximè euitabit, & qui ſeipſos Deo palam dedicauerint, ſi profeſsionẽ poſtea reſcindere conati fuerint, illis nulla ad impudentiã cauſa reliqua fiat. Quapropter ſiquis iuriſdictionem non habens, admittit aliquem ad profeſsionem, abſque mandato Prælati, profeſsio eſt inualida, quia non poteſt alium incorporare religioni. Si tamen nomine Prælati admiſerit, poteſt Prælatus ratificare; tamen ante ratificationem, non habebit vim profeſſionis, ſed ſolùm voti ſimplicis

Cap. 15. in Reg.

2.Corin.13.

plicis

plicis, quia nos obligat omnino, & abſolutè ſicut profeſſio, ſed ſub conditione, ſcilicet ſi Prælatus ratũ habuerit. Si autẽ nomine Prælati admiſſus non ſit, nõ poterit prȩlatus ratificare, quia ratum nemo habere poteſt, quod ſuo nomine geſtum non eſt. Itaque niſi rurſus profiteatur, non erit profeſſus. Debet præterea prælatus adhibere conſilium capituli ſeu congregationis: quia regula ſancti Benedicti præſcribit, Abbatem prȩcipua quæque cum conſilio congregationis debere explere; admiſſio autem ad profeſſionem vnũ eſt ex præcipuis. Vnde ſequitur eam eſſe irritam iure communi, ſi abſque conſilio illo fiat: quia vbi à iure requiritur conſilium, niſi adhibeatur, actus eſt nullus. Non tamen teneatur Abbas conſilium congregationis ſequi, ſed ſatis eſt exquirere & intelligere. Nam & S. Benedictus, *Audiens*, inquit, *conſilium tractet apud ſe; & quod vtilius indicauerit faciet*. Approbatio autem hæc Eccleſiæ & votorum acceptatio ad religionis eſſentiá pertinere dici poteſt ſi nomine religionis intelligamus ſtatum & formam viuendi, ſecundum primaria Chriſti conſilia, omnino ſtabilem, habentem perfectionem ſupra dictam, quia ſine hac non habȩt tantam ſtabilitatem nec poteſtatem ſpiritalem, neque eximit hominem iuriſdictione ſeculari.

Cap. 3.

Aduerte tamen, non eſſe per ſe neceſſarium, vt hæc approbatio fiat immediatè à ſummo Pontifice: Religiones enim ſanctorum Antonij, Baſilij, Benedicti, Auguſtini; non videntur in initio ſic fuiſſe approbatæ, ſed ab Epiſcopis, quibus tũc ſuberant, ipſo vſu admiſſæ ſunt non repugnante Pontifice: Demum ſenſim à Concilijs & Summo Pontifice laudatȩ & confirmatȩ. Ante admiſsionem

Cauſa religionis reſeruata Summo Pontifici, quare?

miſſionem Prælatorum non erant perfectæ religiones, ſed inchoatæ dumtaxat & veluti mancæ. Poſtea tamen Pontifices hanc totam cauſam ſibi reſeruauerunt, idque ob iuſtas cauſas. Primo vt compeſcerent quorundam hominum indiſcretũ ardorem, qui nouis religionibus ſeu formulis viuendi excogitandis erant intenti, quæ res magnã confuſionem, & alia incommoda, in Eccleſiam potuiſſet inuehere. Secundò ne irreperet aliqua religio errores continens, aut aliter noxia Eccleſiæ, vel ſaluti animarum: qualis erat religio Waldenſium. Tertio quia maiores Eccleſiæ cauſæ ſedi Apoſtolicę ſeruandæ: Approbatio autem religionum, ſicut & canonizatio Sanctorum, ad maiores Eccleſiæ cauſas pertinet. Vnde in concilio Lateranenſi ſub Innocen. 3. Cap. vlt. Ne nimia, de religioſis domibus. Sic dicitur; firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionẽ inueniat; ſcilicet mandando eam executioni, abſque Pontificis approbatione: nam paulo poſt multæ ſunt inuentæ, & approbante Pontifice sũt ſeruatæ. Quęritur, diuerſitas ordinum religioſorum vnde proueniat? Reſp. non ex aliquo, quod religioni eſt eſſentiale, vt ſunt tria vota eſſentialia, & eccleſiæ approbatio, hęc enim omnibus sũt communia. Itaque ſi eſſentialia ſpectentur, omnes ſunt eiuſdem ſpeciei: conſiſtit enim omnium eſſentia in obligatione trium votorum ab eccleſia acceptorum. Diuerſitas autem ordinum, prouenit ex duobus. Primum ex peculiari fine ſeu functione, ad quem quiſque ordo eſt inſtitutus ſpeciatim. Quidam enim ſunt inſtituti, vt pręter obſeruantiam votorum eſſentialium, potiſſimum ſe exerceant in operibus vitæ contemplatiuæ. Tales *Diuerſitas ordinũ vnde proueniat*

ferè

ferè ſunt quos antiquiores patres inſtituerunt, Antonius, Pachomius, Baſilius, Benedictus, Bruno, &c. Alij inſtituti ſunt ad opera vitæ actiuæ corporalia, vt ad redimendos captiuos, ad ſuſcipiendum peregrinos, ad ſeruiendum infirmis, ad ſepeliendum mortuos, ad defendendam Eccleſiam armis, contra hoſtes fidei, &c. Hæc enim omnia ſunt opera charitatis, quibus tendi ad perfectionem poteſt: vnde ad ea peculiari ſtudio obeunda, poteſt aliquis religioſus ordo inſtitui. Alij partim ad contemplationem, partim ad operá vitæ actiuæ, ſpiritualia, quæ contemplationem ſupponunt, vt ſunt ordines Mendicantium, ſecundò prouenit ordinum diuerſitas ex particularibus medijs, quibus vtuntur ad vota ſua melius obſeruanda, vel ad functionem propriam, melius obeundam. Sic inter ordines ad contemplationem inſtitutos, videmus magnã varietatem in habitu, victu, ieiunijs alijſque pijs exercitijs, ſimiliter inter ordines mendicantiũ. Hinc fit vt diuerſę ſint regulæ & conſtitutiones religionum, quibus hęc omnia in particulari præſcribuntur. Et quamuis niſi quatuor regulę approbatæ numerentur, ſub quibus omnes ordines religioſi militant, ſcilicet Baſilij, Auguſtini, Benedicti, & Franciſci, tamen ſinguli ordines, ſuę regulæ proprias conſtitutiones adiunxerunt, quibus inter ſe diſcrepant etiamſi eandem regulam ſequantur: ſub regula enim Baſilij viuunt omnes pœnè Græci Monachi, ſub Regula ſancti Auguſtini, omnes Canonici Regulares, Dominicani, Auguſtiniani, Hieronymiani, Cruciferi & alij. Sub regula ſancti Benedicti, Monachi nigri, Ciſtercienſes, Cluniacenſes, Cæleſtini, Camaldulenſes,

Militia Sãcti Benedicti.

duenſes, Vallis vmbroſę, Humiliatorum, Oliuetani, Syluestrini, & alij. Quamuis, hi omnes proprijs constitutionibus regulæ ſuperadditis, & habitu multum differant. Diuerſitas autem hæc ordinum, religioſorum, & multitudo, temporis progreſſu accidit ex orientibus occaſionibus & rationibus ob quas vtiliter in Eccleſia inſtitui potuerunt, diuerſis nimirum operibus charitatis, vt eſt prædicare verbum Dei, infirmos curare, mortuos ſepelire, iuuentutem docere. Eſt autem hæc ordinum religioſorum Eccleſiæ ornamentum; ſic ut enim Reip. politicæ eſt ornamento, habere omnia genera opificiorum, quę iuuent & oblectent vitam iſtam temporalem, ita Eccleſiam, quę eſt diuina quædam Reſpublica, exornat tanta varietas opificiorum & exercitiorum ſpiritualium, ad excolendam animam & vitam ſpiritualē inuentorum. Demum etiam eſt ſummè vtilis: ſic etiam quam plurimis patet aditus ad ſtatum perfectionis; nam qui non eſt idoneus ad hoc genus exercitij v. g. contemplationem, eſt idoneus ad aliud, ſcilicet ad actionem & contra. Tempore autem D. Benedicti tantum erant quatuor Monachorum, hoc eſt, religioſorum genera. Videtur Sanc. Benedictus nomen Monachi communiter vſurpare, pro quouis religioſo: quemadmodum etiam hodie Monachi & religioſi confunduntur, & vnum pro altero indifferenter ponitur. Neque enim Gyrouagi, Monachi propriè dicti erant, qui nimirum per diuerſas prouincias vagantes, contemplationi, quæ Monachorum eſt, vacare non poterant, quod tamen in numero Monachorum cenſet.

Similitudo.

Primam Cœnobitarum, hoc eſt, Monaſteriale, militans ſub regula, vel Abbate.

Quid Cœnobium. Cœnobium eſt locus in quo communiter viuitur, Cœnobitæ verò, qui ineo communiter viuunt, quibus (ad inſtar primorum Chriſtiano- *Actor. 4.* rum) *eſt cor vnum & anima vna*, vni mores, vna vitæ ratio. Cœnobitæ ſunt, inquit Caſſianus, qui in congregatione pariter conſiſtentes, vnius Superioris iudicio gubernantur. Et hoc eſt quod S. *Coll. 18.* Benedictus: *Militans ſub regula vel Abbate.* Neque enim coniunctio, *vel*, diſiunctiue ponitur, quaſi Cœnobitarum alios dicat ſic ſub regula viuere, vt nullus eis præſideat, qui ad præſcriptum regulæ illos gubernet; atque alios, qui ſolius Abbatis iudicio & voluntate, abſque alicuius regulæ approbatæ præſcripto dirigantur. Quorum vtrumque periculoſum eſt. Congregatio enim in qua omnes ſuo ſenſu & iudicio, quamuis ſub certa regula viuunt, pro diuerſis ingenijs ac deſiderijs in diuerſa & aduerſa ſtudia trahitur. (Sciditur incertum ſtudia in contraria vulgus) & ad ruinam & diſſolutionem tendit. Vita enim quæ ex ſola hominis licet Abbatis voluntate pendet, certa non eſt, quia omnis voluntas, varia eſt & inconſtãs, ſeu periculoſa & errori obnoxia. Coniũctio igitur, *vel*, copulatiuè ponitur, veluti dum dicitur: Maximè me tibi amicum facit, vel virtus, vel doctrina, id eſt, tum virtus tum doctrina. Sic militans ſub regula vel Abbate, id eſt, regula & Abbate, qui ſubditos & Cœnobitas ad dictam õ

ipſius

pſius regulæ dirigat & gubernet. Nemo enim in quacunque religione committit ſe dirigendum & perficiendū Superiori, ſecundum propriam & priuatam ſuam voluntatem, ſed ſecundum certam regulam, & inſtituti ſui rationem diligenti examinatione diſcuſſam & publicò eccleſiæ iudicio approbatam. Quapropter qui in Cœnobijs Superiori ſeu Abbati ſe ſubdiderunt, hi non voluntati humanę ſubiecti ſunt, nec hominis ſequūtur ſpiritum, ſed ſpiritum Dei & Eccleſiæ, quæ regulam & monaſtica inſtituta diligenter examinata approbauit. Eſt autem Cœnobitica & communis vita militans ſub vnius præfecti obedientia, infirmis & imperfectis, qui perfectionis amore ducuntur, perutilis, immò neceſſaria. Si enim ars nulla ſine Magiſtro diſcitur, certè difficilius ad vitæ ſpiritualis perfectionem ſine duce perueniatur. Hæc namque vita, quanto ab humanis ſenſibus & intellectu noſtro, remotior eſt, & quanto agitur ſecretius, ſcilicet in ipſa potiſſimum mente, tanto eſt inuentu & acquiſitu difficilior. Vnde D. Hiero. Ruſtico Monacho Nouitio ſuadens: Mihi, inquit, placet, vt habeas ſanctorum contubernium, nec ipſe te doceas & abſque Doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingreſſus es, ſtatimque tibi in partē alteram declinandū ſit, & errori pateas pluſque aut minus ambules, quā neceſſe eſt, ne aut currens, laſſeris, aut moram faciens, obdormias. Et iterum: Non es dimittēdus tuo arbitrio, ſed viuere debes in Monaſterio, ſub vnius diſciplina patris, cōſortioq; multorū, vt ab alio diſcas humilitatē ab alio patiētiā. Hic te ſilētium, ille doceat manſuetudinē, &c. Deinde iſtud cōmodi & vtilitatis habet vita Cœnobitica, quod *Epiſt. Nihil Chriſtian.*

vitia ibi certiùs & citiùs curentur, virtutes ſecuriùs conſeruentur. Mouent enim fratrum exempla: ſe mutuo fratres obſeruant & benignè adhortantur, ſcientes Deum mandaſſe vnicuique
Reg f. c. 7. de proximo ſuo. Ad cauendas, inquit Baſilius, hoſtis inſidias tutior expergefactio illa, quæ à vigilantibus fit, ſi modò alicui aliquando incidat, vt ſomnum illum, qui eſt in mortem, obdormiſcat, & peccanti qua reſiliat à peccato facilior eſt via: nimirum qui conſentiens aduerſum ſe multorum iudicium magis reuereatur, & rectè & cum virtute aliquid agenti, maior quædam in eo ipſo animi fiducia accreſcit, cum de eo quod agit, multorũ ſecundum ſe habeat approbationem atque conſenſum. Si enim *in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum*, multo ſine controuerſia ſtabilius, is qui bene aliquid & cum virtute agit, ex multorum teſtimonio confirmabitur. Ecce quot præſidia virtutis, quot adminicula ſalutis vita Cœnobitica nobis exhibet? Quæ profectò virtutis amãtem & perfectionis ſectatorem meritò allicere debent. Cuius quidem deſiderium, quo magis accendatur, huius vitæ authores & primos cultores altius parumper repetere libet. Tunc enim,
Coll. 18. c. 4. inquit Caſſianus, poterit quis deſideratæ artis efficaciùs aſſequi diſciplinam; & ad exercendam eam ardentiùs excitari, cum authorum & funda-
1. Reg. 10. torum eius agnouerit dignitatem. Huius igitur vitę figuram quandam expreſſiſſe videtur grex ille Prophetarum deſcendentium de excelſo, quẽ Saul iam vnctus à Samuele in regem, obuium habuit, & ante eos pſalterium & tympanum & tibiam & cytharam ipſoſque prophetantes, chorum nimirum Monachorum pſallentium, præfiguran-

gurantium & filij Rechab & Elizæus Propheta, quando cum filijs prophetarum, in monte Carmelo à reliquo Iudæorum populo vitam, ſeiunctus, egit. De his enim Sanc. Hieronymus: Habet inquit vnumquodq; propoſitum principes ſuos, Romani duces imitantur, Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones. Philoſophi proponunt ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem, & ſic multis alijs diuerſarum profeſsionum, artium ac ordinum hominibus, poſtquam ſingulis ſuos duces ſibi imitandos demonſtraſſet, tandem ad Religioſos venit dicēs: Nos autem habeamus, propoſiti noſtri Principes, Paulos & Antonios, Iulianos, Hylariones, Macharios; & vt ad ſcripturarum authoritatem redeam, noſter Princeps, Helias noſter, Eliſeus, noſtri Duces, filij Prophetarum, qui habitabant in agris, & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula prope fluenta Iordanis. De his ſunt & illi filij Rechab, qui vinum & ſiceram non bibebant, qui morabantur in tentorijs, qui Dei per Hieremiam voce laudantur & promittitur eis quod nō deficiet de ſtirpe eorum, vir ſtans coram Domino. Hoc reor & ſeptuageſimi Pſalmi titulum ſignificare: Filiorum Ionadab & eorum qui primi in captiuitatem ducti ſūt. Iſte eſt Ionadab filius Rechab, & huius filij ſunt qui in tabernaculo ſemper habitantes ad extremum propter eruptionem Chaldaici exercitûs Hieroſolymam intrare compulſi, hanc primi captiuitatem ſuſtinuiſſe dicuntur, & quod poſt ſolitudinis libertatem, vrbe quaſi carcere ſunt recluſi. Hæc Hieronymus. Propterea in primis Chriſtianis & primitiua Chriſti, Eccleſia quid aliud quam manifeſtam vitæ Cœnobiticæ formā

Ierem. 38.
4. Reg. 4.
Ad Paulinū Epiſt. Bonus homo.
3. Reg. 17.
Hiere. 35.

conſpicimus? omnes enim qui credebant, erant pariter & habebant omnia communia. Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Sed poſtquam hic deuotionis feruor in Eccleſia deferueſcere & ſtudium pietatis elangueſcere cœpit; ita vt iam non omnes proprias poſſeſſiones amore religionis abdicarent, pauciſque iam hæc perfectionis regula placeret, immo nonnullos à Chriſtiana religione & fide rigor ille abſterreret, cœperunt deinceps Apoſtoli, eorumque ſucceſſores omnibus ad fidem venientibus permittere dominium & proprietatem eorum, quæ prius poſſederant. Horum tamen qui priſtinum feruorem retinebant, alij in ſolitudines ſeſe abdiderũt, & ab omni hominum conſortio remoti, ſolitariam vitam & Anachoreticam egerunt. Alij, quibus voluntatum, ſententiarum ac ſtudiorum ſumma conſenſio, & vna mens erat; ſocietates certis legibus inſtituerunt, & vitam communem in Cœnobijs duxerunt. Conſideratis igitur tam eximijs vitæ Cœnobiticæ fructibus, eiuſque auctoribus clariſſimis ſanctiſſimiſque meritò nos congratulari debemus, qui eam diuina prouidentia & miſericordia ſortiti ſumus, & qui perfectionem deſiderant, obuijs (vt aiunt) vlnis conſultè eã amplectentur.

Actor. 4.

Deinde ſecundum genus eſt Anachoretarum, id eſt, eremitarum. Horum qui non conuerſionis feruore nouitio, ſed monaſterij probatione diuturna, didicerunt contra diabolum multorum ſolatio iam

docti

*octi pugnare, & bene inſtructi fraterna
x acie, ad ſingularem pugnam eremi ſe-
uri iam ſine conſolatione alterius, ſola
anu, vel brachio contra vitia carnis vel
ogitationum Deo auxiliante pugnare
ufficiunt.*

Anachoretæ, id eſt, ſeceſſores nuncupantur, in- *Coll. 18. c. 6. qui Anachoretæ.*
uit Caſſianus, eo quod nequaquam contenti
ac victoria, quaſi inter homines occultas inſi-
as diaboli calcauerunt, aperto certamine ac ma-
feſto conflictu dæmonibus congredi cupien-
s, vaſtos eremi receſſus penetrare non timeant,
l imitationem ſcilicet Ioannis Baptiſtæ, qui in
emo tota permanſit ætate, Heliæ quoque He-
ſæi, atque eorum, de quibus Apoſtolus ita com- *Hebr. 11.*
emorat, *Circuierunt in melotis in pellibus caprinis,
entes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mun-
is, in ſolicitudinibus errantes, & in montibus & ſpelũ-
s & in cauernis terræ, &c.* Dicitur autem Anacho-
etarum ſecundum Monachorum genus, quia ex
imo genere, id eſt, ex Cœnobitis Anachoretæ
dinariè proficiſcuntur & naſcuntur, dicente *Coll. 18. C. 6.*
aſſiano: De hoc perfectorum (ſcilicet Cœno-
tarũ) numero, & (vt ita dixerim) fœcundiſſima
dice, ſanctorum etiam Anachoretarũ, poſt hæc
ores fructuſq; prolati ſunt. Hi enim sũt, inquit *Anachoretarum initium à cœnobitis.*
. Benedictus, qui non cõuerſionis feruore noui-
o, nec ſubito & temerario deuotionis impetu
ommoti, eremũ petunt; tales enim rarò perſeue-
nt, quia eiuſmodi deuotio initio feruere, & pro-

greſſu deferuere ſolet, qua tepeſcente, laboris & ſolitudinis facilè pertæſi recedunt. Sed qui diu in monaſterio ſub obedientiæ & diſciplinæ iugo exercitati Superiorum ac Seniorum doctrina informati minis, correctionibus & caſtigationibus coerciti, fratrum monitis excitati, exemplis docti, orationibus adiuti, conſolationibus confirmati, alijſque fraternæ charitatis officijs ſubnixi, propriam voluntatem frangere, concupiſcentias carnis extinguere, ſenſuum illecebras, & voluptates contemnere didicerunt; qui diaboli inſidias ac omnis generis tentationes ſæpe experti, eas iam obſeruare & ſuperare norunt, & longo pugnandi vſu, & exercitatione, animum contra eaſdem fideliter obfirmauerunt; tales idonei sūt, qui ſingularem pugnam in eremo hoſti indicāt, & ſolitudinem petant, in qua non eſt, qui ignorantem doceat, dubitantem inſtruat, errantem corrigat, inclinantem erigat, dormitantem excitet, triſtem conſoletur; ſed ſibi relictus, & Dei ſolius auxilio innixus, in arenam cum hoſte deſcendere, eiuſque inſultus, ſuo conſilio ac prudentia, tanquam manu vel brachio ſuo ſuſtinere debet & poteſt, hæc enim eſt ſingularis pugna, in qua pugil omni alieno exutus auxilio, ſuis tantū nititur viribus. Tales quoque D. Hieronymus eremi cultores requirit. De ludo monaſteriorum, inquit, huiuſmodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant, qui ſpecimen conuerſationis ſuæ multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, vt primi omnium fierent, quos nec eſuries aliquando, nec ſaturitas ſuperauit, qui paupertate lætantur, quorum habitus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina virtutum

Anachoretarum ardua vita.

Ad Ruſticū Monachum. Epiſt. Nihil Chriſt.

utum eſt, qui neſciunt (ſecundum quoſdam in-
ptos homines) dæmonum contra ſe pugnantium
portenta confringere, vt apud imperitos & vul-
gi homines miraculum ſui faciant, & exinde lu-
cra ſectentur. Hæc D. Hieronymus. Si autem
abſque præcedenti exercitio (ſcilicet vitæ ſocia-
lis) inquit D. Thomas, talis vita aſſumatur, eſt 2. 2 q. 188.
periculoſiſſima, niſi per diuinam gratiam ſup- *Art.* 8.
pleatur, quod in alijs per exercitium acquiritur,
ſicut patet de beatis Antonio & Benedicto. Soli-
tudo enim contemplanti competit qui iam ad
perfectum peruenit; ad perfectum autem perue-
nitur ordinario exercitio vitæ ſocialis ſeu Cœno-
biticæ. Debet autem ſolitarius perfectus eſſe: quia
omne ſolitarium debet eſſe ſibi per ſe ſufficiens,
inquit D. Thom. vbi ſupra.

*Tertium verò Monachorum teterri-
mum genus eſt Sarabaitarum, qui nullâ
regulâ approbati, experientiâ Magiſtri, ſi-
cut aurum fornacis: ſed in plumbi natura
molliti, adhuc operibus ſeruantes ſeculo
fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcun-
tur. Qui bini aut terni, aut certè ſinguli
ſine Paſtore non dominicis, ſed ſuis inclu-
ſi ouilibus, pro lege eis eſt deſideriorum vo-
luptas: Cum quidquid putauerint vel
elegerint, hoc dicunt ſanctum, & quod
noluerint, putant non licere.*

Poſt-

Poſtquam ſanctus Benedictus deſcripſit duo proborum & laudatorum Monachorum genera, quos imitandos oſtendit & prędicat: nunc improborum & ignobilium æquè duo genera proponit, quos, quorumque malam conuerſationem vice verſa vitemus. Primi itaque generis ſunt Sarabaitæ qui Renuitę ſeu Renuentes dicuntur, propterea quod certam doctrinæ regulam, & ſanctorum Patrum exempla ſequi renuant, proprium iudicium, ſuoſque ſenſus, ceu vitæ regulam ſibi proponentes. Sunt autem hi Monachi valde obſcuri & ignobiles, quia nimirum virtutibus & vitæ ſanctimonia minus clari: nulla enim Magiſtri vel Superioris in Monaſterio diſciplinâ iuxta certam aliquam regulam per dura & aſpera probati fuerunt, an ſcilicet ſpiritus ex Deo eſſent, an virtutem ſectarentur & amarent, ſeipſos odiſſent; non experientia rerum Magiſtra eorum virtus comperta & approbata fuit, quemadmodum ſcilicet fornax aurum probat, eiuſque virtutem ac ſoliditatem comprobat: ſed ècontra adinſtar plumbi, quod ad calorem ignis liquefit & reſoluitur: ſic illi cùm ſenſibus, ſuæque voluntati contraria experiuntur, ſui amantes & omnis laboris & aduerſitatis impatientes turbantur, indignantur, murmurant obloquuntur & in ſeditionem vertuntur: atque ita oſtendunt ſe adhuc ſæculo ſeruare fidem, cum loci & ſtatus mutatione ipſi nihil mutantur, ſed quales in mundo erant, ſcilicet ſuis ſenſibus & voluptatibus dediti, impatientes, immorigeri,

Sarabaitæ ſiue Renuitæ.

ri, cupidi, ſuperbi, & omnis generis vitijs ſubiecti tales exiſtunt, & manent in monaſterio. Sęculo fidem ſeruant, quia mundum, & ea quæ in mundo ſunt, honores, voluptates, diuitias amant, deſiderant, hæc meditantur, & cogitant, hęc ſectantur & captant. Eapropter veraciter dicuntur per tonſuram Deo mentiri, quia id quod tonſura ſignificat & monet, hoc factis non pręſtant. Significat enim tonſura omnium temporalium rerum depoſitionem & abrenuntiationem iuxta illud. *Ecce nos reliquimus omnia*. Ipſi autem ſub tegumento & ſpecie religionis, diuitias & lucra quærunt. Pietatem enim ſimulant, vt plebi admirationi ſint & exinde lucra ſectantur. De qualium vno, ſic D. Hieronym. Vidimus, inquit, nuper & planximus, Cræſi opes vnius morte depręhenſas, vrbiſque ſtipes quaſi in vſus pauperum congregatas, ſtirpi & poſteris derelictas. Tunc ferrum quod latebat in profundo ſupernatauit aquæ: & inter palmarum arbores myrrhæ amaritudo monſtrata eſt, &c. Hi bini vel terni, vel ſinguli non autem multi ſimul degunt, ne diſſenſione in multitudine orta (quod in congregatione ſine Paſtore facilè accidere ſolet) ipſorum error manifeſtetur. Et quia ſine Paſtore ſunt, id eſt, ſine Abbate, qui in Monaſterio vices Chriſti gerit, qui dicit: *Ego ſum Paſtor bonus, &c.* Ideo non in Dominicis, ſed in ſuis incluſi ouilibus dicuntur, Domini enim ouilia ſunt ſanctorum Monachorum Monaſteria, qui à Chriſto Summo paſtore reguntur, & in loco paſcuæ collocantur.

Tonſuræ ſignificatio.

Ad ruſticũ Monachum epiſt. 13. Nihil Chriſtia.

Sarabaitarũ mores.

Hi

Hi autem Sarabaitæ, non Chriſti lege diriguntur, ſed ſuis deſiderijs & voluptatibus ducuntur, quæ animam non ad vitam paſcunt, ſed ad mortem æternam impellunt, & quod elegerunt, hoc dicũt ſanctum, quod autem nolunt, quod minus placet, hoc dicunt non licere. v.g. cum quibus volunt, ieiunia ſoluunt, dicentes; bonum & ſanctũ eſt cauſâ hoſpitis ſoluere ieiunium: Quibus autem hanc humanitatem negant, dicunt; Non licet nobis hodie ieiunium ſoluere. In his & ſimilibus ſequuntur non legem Dei, non exempla Sanctorum, non rectæ rationis dictamen, ſed priuatam & cæcam ſuam voluntatem. Videntur autem hunc ſuum errorem & adumbratam religionem hac ſpecie recti texiſſe, quod dicerent ſanctius & melius eſſe, quod quis ſuâ ſe prudentia regeret, & ſuo motu Deo ſeruiret, quam alteri diſciplinam imponeret: vel ab alio impoſitam acciperet: qui error tam abſurdus eſt & manifeſtus, vt refutatione opus non ſit: aduerſatur enim non ſolum omnium legum auctoritati, ſed etiam omni diuinitus inſtitutæ ſuperiori poteſtati.

Cauſa erroris Sarabaitarum.

Quartum verò genus eſt Monachorum, quod nominatur Gyrouagum, qui tota vita ſua per diuerſas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuerſorum cellas hoſpitantur, ſemper vagi & nunquam ſtabiles, & proprijs voluptatibus, & gu-

læ

læ illecebris ſeruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis.

Gyrus Græcè, circumuolutio in orbem, ambitus, circuitus dicitur Latinè. Hinc Gyrouagi dicti, quaſi qui vagantur per cellas Monachorum in orbem habitantium. Hos S. Auguſtinus. Circumcelliones & Circelliones vocat. Sic dicti, inquit, quia circum cellas vagantur. Solent enim ire hac atque illac, nuſquam habentes ſedes, & facere quę noſtis. Veruntamen chariſſimi, ſunt & qui Monachi falſi ſunt, & nos nouimus tales, ſed non perijt fraternitas pia propter eos, qui profitentur quod non ſunt, tam enim ſunt Monachi falſi, quam & clerici falſi, & fideles falſi. Omnia iſta tria genera fratres mei, habent bonos, ſuos habent malos ſuos, de tribus iſtis generibus dictum eſt; *Duo in agro, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur; & duo in lecto, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur, & duæ in molendino, vna aſſumetur, & vna relinquetur*. In agro ſunt, qui gubernant Eccleſiam, &c. In lecto autem eos intelligi voluit qui amauerunt quietem, per lectum enim voluit quietem intelligi, non ſe miſcentes turbis, non tumultui generis humani, in otio ſeruientes Deo, & inde tamen vnus aſſumetur, & vnus relinquetur. Sunt ibi probi & ſunt ibi reprobi. Ne expaueſcatis quando ibi inueniuntur reprobi. Nam & latent quidam qui non inueniuntur niſi in fine. Duæ itē in molendino. Ex nomine generis fæminini appellauit, plebes enim intelligi voluit, &c. hæc Augu. Gyrouagi hac ſua carnali aſtutia obibant & circuibant perpetuò Monachorum *In Pſa. 132.*

cellas

cellas, propterea quod apud Monachos quibus hoſpitalitas cordi erat, tres, quatuorue dies, hoſpites, & maxime viri religioſi, quales ſe Gyrouagi ſimulabant, benignè exciperentur, hoſpitalitatis gratiâ abutentes ad ſuas voluptates & gulæ illecebras. Cum enim diutius in vno hoſpitio impudenter manentes hoſpitum liberalitatem exhauſiſſent, aliud meditabantur, cuius item benignitate languente, tertium cogitabant, & ſic deinceps ſemper vagantes nuſquam ſedem vnquam figebant. Hos dicit ſanctus Benedictus deteriores Sarabaitis, propterea quod Sarabaitæ ſtabiles in cellis ſuis eſſent, Gyrouagi verò inſtabiles, & inquietudine ſua diuerſorum locorum homines ſcandalizarent: Deinde quod Sarabaitæ labore manuum ſuarum, ſobriè viuerent: illi autem alieni laboris fruges luxurioſè conſumerent.

De quorum omnium horum miſerrima conditione melius eſt ſilere quam loqui.

Quia de his nihil dici poteſt quod ſit ad vtilitatem audientium.

His ergo omiſsis, ad Cœnobitarum fortiſsimum genus diſponendum adiuuante Domino veniamus.

Cœnobitarum genus fortiſſimum dicit, quia habet plurimũ fortitudinis, mutuis orationibus, admonitionibus, conſilijs alijſque officijs. *Frater enim qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma.* Ad hoc igitur certis regulis conſtituendum iam accedit.

CAP.

CAP. II.

Qualis debeat eſſe Abbas.

Abbas qui præeſſe dignus eſt Monaſterio, ſemper meminiſſe debet quod dicitur, & nomē maioris factis implere. Chriſti enim agere vices in Monaſterio creditur. Quando ipſius vocatur prænomine, dicente Apoſtolo: Accepiſtis ſpiritū adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, Pater.

Sanctus Benedictus vitæ monaſticæ formam inſtituturus rectè orditur ab ipſo Abbate, vt à capite ad membra congregationis paulatim deſcēdat. Quin & hoc recti ordinis ratio poſtulat, vt qui cæteris præeſſe & virtutibus prælucere debet, is primùm quid officij ſui ſit, diſcat. Abbas ergo qui præeſſe monaſterio dignus & idoneus indicatus eſt, conſenſu & communi congregationis electione, meminiſſe ſemper debet nominis ſui, præſertim in omni actu & functione poteſtatis atque officij ſui, v. g. negotium habet cum delinquente fratre, meminerit ſe & dici & eſſe eius Abbatem, id eſt patrem qui moueatur ad paternè cū peccante fratre agendū, vt nimirū quemadmodum

Abbatis officium paternum.

dum

dum paterfamilias de filij ſui errore & malis moribus dolet, eumque omni ſtudio reuocat, ita & Abbas omnem rationem ineat, vt peccantem fratrem corrigat, & curet. Ipſum oret, moneat, corripiat, ſuadeat, præcipiat, caſtiget, eaque planè vtatur ratione, quam ad eius correctionem, aptiorem & conuenientiorem iudicabit. Et ſimiliter in omnibus alijs negotijs, quemadmodum pater filios, ita ſubditos ſuos, ſubditorumque ſalutem paterno amplectatur amore & ſolicitudine, & quemadmodum nomen maius & locum cæteris digniorem obtinet, quemadmodum omnes dignitate & auctoritate antecedit, quia Chriſti vices in monaſterio gerit, ita etiam omnibus ſapiẽtia & virtute vt præſtet, curare debet. Atque ita fiet vt non fruſtra nomẽ Abbatis gerat, ſed nominis maioris virtutem & dignitatem oſtendet. Nihil enim, inquit Chryſoſtomus, prodeſt alicui vocabulum, virtute vacuum. *Hom. 21.*

Ideoque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod abſit) debet aut docere, aut conſtituere, vel iubere. Sed iuſſio eius, vel doctrina fermentum diuinæ iuſtitiæ in diſcipulorum mentibus conſpergatur.

Quoniam Abbas in Monaſterio loco Chriſti præſidet, ideo ſummopere cauere debet, ne quid doceat, nihil communitati conſtituat ac ordinet, nihil cuique ſuorum iubeat, quod doctrinæ &

mandatis

mandatis Chriſti aduerſetur. Abſurdum enim eſſet, ſi capitaneus militibus ſuis aliquid mandaret contra præceptum & mentem principis ſui. Quapropter ſcopus doctrinæ & omnis iuſſionis eius eſſe debet, vt animi diſcipulorum amore iuſtitiæ & rectitudinis accēdantur. Fermentum enim à feruore dictum, ſignificat hic ignem diuinæ charitatis, qui ſuſcitatur & inflammatur in mentibus religioſorum, pijs & ſanctis monitis Prelatorum. Vel fermentum dici poteſt condimentum & ſapor quidam, vt diuinæ iuſtitiæ exercitium, & operatio ſapida ſit religioſis & ſuauis. Iuxta illud: *Iugū meum ſuaue eſt & onus meum leue.*

Memor ſit ſemper Abbas, quia doctrinæ ſuæ vel diſcipulorum obedientiæ, vtrarumque rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit diſcuſſio.

Coniunctio (*vel*) etiam hic coniunctiuè non diſiunctiuè poſita eſt, quemadmodum capite primo. Examinatio accurata huius iudicij maximè ſollicitum debet habere Abbatem, vt bona & pia doceat, & ſuos in officio contineat. Non ſolum enim requiretur in extremo iudicio ab ijs, qui aliorum curam habuerunt, an ſui curam probè egerint, an bene vixerint & recta docuerint: ſed etiam an eorum ſubditi rectæ doctrinæ obedierint. Quēadmodum Heli ſacerdos (inquit D. Hieron.) ipſe ſanctus fuit, filios malè viuentes corripiebat dicēs: *Quare facitis res huiuſcemodi, quas ego audio, res peſſimas ab omni populo? Nolite filij mei, non eſt bona fama* *In Cap. 6. Epheſ.* *1. Reg. 2.*

E *quam*

quam ego audio, vt tranſgredi faciatis populum domini. Tamē propter filiorū potum morte punitur. Et Apoſtolus ad Timoth. requirit in epiſcopo, vt filios habeat ſubditos. Et idipſum ad Titum inculcat & repetit: *Filios habentem fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos:* & quaſi vitia filiorum parentibus imputentur, coniunctionem cauſalem inferens ait: *oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe,* tanquam Dei diſpenſatorem; non eſt ergo ſine crimine Epiſcopus cuius filius non fuerit ſubditus & in accuſatione luxuriæ. Hæc Hieron. Heli, inquit, D. Leo meruit cum filijs diuinæ iuſtitiæ ſententiam experiri, quia ſegni indulgentia diſſimulauit plectere peccatores. Compertis enim (inquit Chryſoſt.) peccatis filiorum, pater non illos pænâ affecit, cæterum verbis tantum caſtigare, lenique admonitione ab hac eos peruerſitate reuocare conatus eſt, atque huiuſcemodi verba iugiter ad illos loquebatur: Nolite filij, nolite ſic facere; non enim bona fama eſt, &c. Habet autem quilibet ſuperior non ſolùm auctoritatem docendi, hortandi, rogandi ſubditos, vt obediant: verumetiam poteſtatem habet corripiendi, & corrigendi inobedientes. Diſcutietur ergo in iudicio, & inquiretur, vtrum his medijs pro tempore, loco, & perſonarum affectione, & diſpoſitione vſus fuerit Abbas.

1. Tim. 3. Ad Titum 1.

Epiſt. 76. lib. 3. cont. vituperat. vitæ monaſt. Salus ſubditorum habenda per correptionem vtilem.

Sciatq; Abbas culpæ paſtoris incumbere, quidquid in ouibus paterfamilias vtilitatis potuerit minus inuenire.

Quemadmodum paterfamilias annuum fructum

ctum gregis ſui exſpectat, quem ſi exſpectatio fallit, omne damnũ præſtare debet ipſe ouium paſtor, vt patet exemplo Patriarchæ Iacob dicentis ſocero ſuo Laban: *Oues tuæ & capræ tuæ ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi: nec captum à beſtia oſtendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furtum peribat, à me exigebas:* Ita Deus è gregibus & conuentibus religioſorum quotidianum fructum ſanctæ obedientiæ aliarumque virtutum exſpectat, qui ſi minor fuerit, culpæ & negligentiæ ſuperiorum adſcribitur; quibus oues, id eſt, animæ ſubditorum paſcendæ & curandæ ex officio fuerãt. Ideo dicit D. Hieron. detrimentũ pecoris, paſtoris ignominia eſt, & D. Bernardus inferiorum culpę ad nullos magis referendæ ſunt quam ad deſides, negligentesque Rectores qui multam ſępe nutriunt peſtilentiam, dum auſteriorẽ diſſimulabant adhibere medicinam. Fugiat proinde noxius inertię & negligentiæ ſomnus ab oculis omnium Rectorum ſicut ab oculis fugiebat Iacob; cuſtodiant cũ paſtoribus Bethlehemiticis vigilias noctis ſuper gregẽ ſuum, & curioſè circumſpiciant, vbi, vnde, quando, quid mali vel peccati ſubditis ſuis inſidietur & immineat; meditẽtur ſollicitè quomodo infirmos curẽt, proficientes adiuuent, & perfectos ſolident & confirment. Atque ita fiet vt debitum & dęſideratum fructum gregum ſibi commiſſorum locò & tempore patriſamilias pendant & repræſentent.

Gen. ſ. 31.

Lib. 3. de conſider. & Leo, epiſt. 86. cap. 6.

Tantùm iterum liber erit, ſi inquietò & inobedienti gregi paſtoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuerſa fuerit cura exhibita,

Paſtor earum in iudicio domini abſolutus dicat cum propheta, domino: Iuſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi: ipſi autem contemnentes ſpreuerunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ ſuæ ouibus pœna ſit eis, prævalens ipſa mors.

Ezech. 3. Hoc eſt quod dicitur per Ezechielem Prophetam. *Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael vt audias de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via ſua impia, & viuat: ipſe impius in impietate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaueris impio, & ille non fuerit conuerſus ab impietate ſua & à via ſua iniqua, ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti.* Annũtiatio enim ſpeculatoris intelligẽda eſt, non tantũ in ſermone, ſed etiam in actu & omnis diſciplinæ executione, quæ ad peccantium correctionem adhiberi poteſt. Inquietum gregem vocat malos qui cęteros turbant, Superiores ſuos cõtemnunt, fratres offendunt & ſcandalizant, qui nec ſeipſos conquieſcere ſinunt: quia carent quiete humilitatis, obedientiæ, patientiæ. Nec enim virtutes hominem & interiorem & exteriorem, quietum & tranquillum conſtituunt: quemadmodum contraria vitia vtrumque hominem agitant, dum varijs ſcilicet cogitationibus animum, & incompoſitis motibus corpus impellunt. Morbidi actus ſunt, ſuper-

Inquietus grex, quis.

ſuperbia, inobedientia, impatientia & id vitiorum genus. Quemadmodum enim morbi corpus noſtrum paulatim debilitant & tandem perimunt: ita hæc vitia animam ad mortem æternæ damnationis ſenſim diſponunt & tandem illic pręcipitant, quæ & præualens mors dicitur, quia nulla vis, nulla poteſtas, nulla ferocitas, huic reſiſtere, nulla ratio, nulla aſtutia, nullus dolus ſubterfugere illam poterit. Hæc in iudicio malos comprehendet & inuoluet, & ſine omni tormentorum interruptione captiuos in perpetuum tenebit eos, quos hîc nec Dei amor, nec timor gehennæ mouere, nulla ratio vincere, nulla ſuperior poteſtas domare, & ab errore dimouere potuit.

Ergo cùm aliquis ſuſcipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina ſuis præeſſe diſcipulis, id eſt, omnia bona & ſancta, factis ampliùs quam verbis oſtendere: vt capacibus diſcipulis mādata Domini verbis proponat: duris verò corde & ſimplicioribus factis ſuis diuina pręcepta demonſtret.

Quemadmodum Abbas Chriſti locum tenet, ita & Chriſtum imitari ſtudeat. *Cæpit autem Ieſus facere & docere.* *Act.* 1. Ille enim verè ſapiens eſt, inquit Abbas Iperitius, qui facto ſuo alios docet, non qui verbis. Debet igitur Abbas ad inſtitutionem ſuorum vtroque valere & verbo exhortationis, & exemplo bonæ operationis, vt qui verba doctrinæ

non capiunt, veluti ſimpliciores & rudes, ij viuis exemplis inſtruãtur & promoueantur. Nam quod exemplo fit (inquit Cicero) id homines iure fieri putant. Et D. Ambroſius. Amplius, inquit, proficitur exemplo: quoniam nec difficile quod iam factum eſt, æſtimatur, & vtile quod probatum, & religioſum quod hæreditario quodam paternę virtutis vſu in nos eſt ſucceſſione transfuſum. & D. Gregorius. Illa vox (inquit) libentiùs auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo præcipit, oſtendendo adiuuat, vt fiat, ſermo viuus & efficax exemplum eſt operis, facile faciens ſuadibile quod dicitur dum monſtrat factibile quod ſuadetur. Ergo in his duobus mandatis (inquit D. Bernardus Abbati Reatini monaſterij) verbi ſcilicet atque exempli ſummam tui officij ac cõſcientiæ ſecuritatem pendere intellige, necnon & duris corde & cõtumacibus, qui doctrinam contemnunt, opus quoque eſt factis & exemplis, quibus arguantur & conuincantur. Statim (inquit Gregorius) vt bene agentium geſta reſpicimus, noſmetipſos confuſione intima vlciſcente iudicamus, mox verecundia mentem concutit, mox iuſtè ſæuiens reatus addicit & vehementer hoc etiam diſplicet quod adhuc fortaſſis turpiter libet. Vnde per Ezechielem dicitur: *Fili hominis oſtende domui Iſrael templum, vt confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiatur fimbriam, & erubeſcant ex omnibus quæ fecerunt.* Templum quippe Dei filijs Iſrael ad confuſionem oſtenditur, quando vniuſcuiuſque iuſti anima, quam inſpirãdo Deus inhabitat, quanta ſanctitate fulgeat ad confuſionem ſuam peccatoribus demonſtratur: vt in illa bonum quod neligũt, videant; & in ſeipſis malum quod operãtur, erube-

Plus verbis exempla mouent.
L. 1. de virginibus ad Marcellam.
L. 1. regiſt. epiſt. 24.
Epiſt. 201.
Lib 24. moralium cap. 30.
Ezech. 43.

erubeſcāt. Metiri verò fimbriam eſt penſare ſubtiliter ſanctorum vitam. Sed dũ metimur fimbriam, neceſſe eſt vt ex cũctis quæ facimus erubeſcamus, quia bonorum vitam quanto penſando ſubtilius diſcutimus, tanto ſeuerius in nobis omnia iniqua geſta reprobamus. Hæc Gregorius.

Omnia verò quæ diſcipulis docuerit eſſe contraria, in ſuis factis indicet non agẽda: ne alijs prędicans, ipſe reprobus inueniatur, ne quando dicat illi Deus peccanti: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu vero odiſti diſciplinam, & proiecisti ſermones meos poſt te. Et qui in fratris tui oculo feſtucam videbas, in tuo trabem non vidiſti. 1. Cor. 9. Pſal. 49. Matth. 7.

Doctorem, cuius doctrinæ vita non conſentit grauiter ſic arguit Apoſtolus ſub nomine doctoris Iudęi: *Qui alium doces, teipſum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, ſacrilegium facis.* Notatur etiam ille vitio Phariſæorum, *qui alligant onera grauia & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere.* Doctrina eiuſmodi Abbatis qua vitia improbat, & diſſuaſio, qua à peccatis dehortatur, nihil proficit: quia validius & efficacius ſuaſio mali exempli ad Rom. 2. Matth. 23.

malum impellit, quam diſſuaſio bonæ doctrinæ à malo reuocat. Imò bonam doctrinam ſuam contrariæ operationis exemplo funditus euertit: atque adeo doctor qui eſt peruerſæ vitæ, incipit nonnunquam peccata quæ agit, excuſare, extenuare, imò approbare & decedere à doctrina veritatis ad falſitatis errorem, vt nimirum eius doctrina vitæ conſentiat & peruerſæ vitæ ignominia, & inuentio incautis & imperitis abſcondatur quam doctrina veritatis arguebat. Vnde Diuus Greg. Plerumque doctor (inquit) qui docere audet quod negligit agere, cum deſerit bona loqui, quæ agere contempſit, docere ſubditos incipit praua, quę agit: vt iuſto Dei omnipotentis iudicio, in bono iam nec linguam habeat, qui habere bonam vitam recuſat, quatenus cum mens eius terrenarum rerum amore incenditur, de terrenis rebus ſemper loquatur: vnde in Euangelio Veritas dicit. *Ex abundantia cordis os loquitur, bonus homo de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala.* Imitetur proinde hic Abbas gallum gallinaceum, qui priuſquam cantat, & alijs quaſi prædicat, ſeipſum alis percutit, excitat, & vigilem oſtendit: ſic Abbas reipſa & exemplo oſtendat ſe odiſſe ea quæ ſuis interdicit & prohibet. Vnde Gregorius curæ paſt. parte 3. cap. 6. & D. Hieron. Heliodoro Epiſcopo. In te oculi omnium diriguntur, domus tua & conuerſatio quaſi in ſpecula conſtituta, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ. Quicquid feceris id ſibi omnes faciendum putant. Caue ne committas quod aut qui reprehendere volunt, dignè laceſſere videantur, aut qui imitari, cogantur delinquere.

L. 11. moralium c. 10.

Matt. 12.

In Epitaph. Nepotiani.

Non

Non ab eo perſona in monaſterio diſcernatur. Non vnus plus ametur quam alius: niſi quem in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex ſeruitio conuertenti, niſi alia rationabilis cauſa exiſtat: quod ſi ita iuſtitia dictante Abbati viſum fuerit, & de cuiuſlibet ordine id faciat; ſin alias, propria teneant loca: quia ſiue ſeruus, ſiue liber, omnes in Chriſto vnum ſumus: & ſub vno domino, æqualem ſeruitutis militiam baiulamus: quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum. Solummodo in hac parte apud ipſum diſcernimur, ſi meliores alijs in operibus bonis & humiles inueniamur. Ergo æqualis ſit ab eo omnibus charitas: vna præbeatur in omnibus ſecundum merita diſciplina.

1. Cor. 12.

Rom. 2.

Quemadmodum Deus ſine acceptione perſonarum mundum regit, ita cauetur hic & vitatur ne Abbas (qui loco & nomine Dei gubernat) vllam committat perſonarum acceptionem in gubernando ſuos: propterea quod pernitioſa ſit, & in congregatione, ſimultatis, indignationis, odij, diſſenſio-

ſenſionis, litis ſeminarium eſſe ſoleat. Mandat autem ſanctus Benedictus hanc cauendam eſſe Abbati maximè in tribus: in amore nimirum ad fratres, ne vnum plus amet alio; in locorum diſcretione & ordinatione, ne vnum alteri cedere ſuo loco ſine cauſa iubeat; & in culparum correctione ac punitione, vt ea ſecundum merita prouideat. Eſt autem perſonarum acceptio quando in aliqua diſtributione non reſpicitur cauſa, ſed perſona, id eſt, aliqua perſonæ conditio, nihil ad prædictam diſtributionem faciens, ob quam is qui minus dignus eſt, præfertur digniori, vt ſi epiſcopus beneficia, officia, & ordines ſacros omiſſis dignioribus, conferat indignis vel minus dignis, quia ſcilicet ſunt amici, conſanguinei, diuites; ſi iudex ſententiam ferat pro amico, non pro eo, cuius cauſa iuſta eſt; ſi Abbas in monaſterio nobilem ignobili plus amet, diuitem paupere, priore loco conſtituat, cognatum alieno in eodem delicto remiſſius caſtiget, neque enim hic proprias rerum cauſas ſpectat ſed perſonas, hoc eſt, perſonarum conditiones, quæ ad rem nihil faciunt. Nam iuſta & propria cauſa, ob quam Abbas ſuos religioſos amet, non eſt quia nobili ſunt familia orti; ſed quia ipſorum eſt pater, quia ipſos in ſuam fidem accepit, ſic vera cauſa & ratio cur vnus alio ſtet aut ſedeat, priore aut digniore loco, non ſunt diuitiæ, ſed tempus conuerſionis & vitæ meritum, inquit D. Benedictus. Neque cognatio vel ſanguinis gradus remiſſiorem caſtigationem meretur, ſed peccati paruitas. Sed quemadmodum Apoſtolus dicit, *quod omnes qui in Chriſto baptizati ſunt, & Chriſtum induerunt, vnum ſunt in Chriſto; ita vt iam non*

Quid perſonarum acceptio.

Cap. 63. regula.

Ad Gal. 3.

Ad Coloſ. 3.

ſit

ſit Iudæus, neque græcus; non eſt ſeruus, neque liber, non Barbarus neque Scytha: non diues neque pauper, &c. quaſi dicat: non melior aut dignior in Chriſtianis eſt qui conuerſus eſt ex Iudaiſmo, neque is qui liber erat, aut vir, aut diues, aut nobilis ante fidem: nec econtra vilior, quia gentilis, quia ſeruus, quia fæmina, quia pauper, quia ignobilis erat: ſed omnes, Iudæus & Gentilis, liber & ſeruus, vir & mulier, &c. in Chriſto & in Chriſtiana religione pares ſunt, omnes ęquale ius habent ad theſaurum ſanguinis & meritorum Chriſti, ad vſum ſacramentorum, ad communia Eccleſiæ ſuffragia, ad verbum Dei, & alia chriſtianorum bona & priuilegia. Quapropter Epiſcopus, paſtor, aut alius quiuis myſteriorum Dei diſpenſator qui nobilem & magnatem ad hæc admitteret, ignobilem & plebeium ab his arceret, is perſonarum eſſet acceptor: ita religioſi mundum & ea quæ mundi ſunt, vt patrem, & matrem, cognatos, nobilitatem, diuitias &c. relinquentes, omnes eiuſdem fiunt dignitatis, eiuſdem honoris, nobilitatis, libertatis, eiuſdem opulentiæ atque potentiæ. Religio diſciplina, chorus, & quidquid in monaſterio eſt, ad omnes æqualiter pertinet, vnum enim omnium propoſitum, vna profeſſio, omnium ius & conditionem exæquat, *omnes namque ſub vno domino* (inquit D. Benedictus) *æqualem ſeruitutis militiam baiulamus.* Ac propterea Abbas omnes æquali amore complecti, pari loco habere, omnes vna diſciplina continere debet, cæteris tamen paribus. Quemadmodum enim Deus omnes homines diligit, *& vult omnes ſaluos fieri*, tamen melio- *1. Ad Timoth.2.*

meliores magis diligit. Tanto enim (inquit Bernardus) Deo quælibet anima charior eſt, quanto illi ſimilior. Similitudo enim cauſa eſt & vinculum amoris. Deo autem per charitatem aliaſque virtutes ſimiles reddimur: ita rationabilis cauſa exiſtere & iuſtitia dictare poteſt (ait D. Benedictus) vt Abbas alium alio plus diligat, ſcilicet quem in bonis actibus, aut obedientia inuenerit meliorem. Hoc enim rectus charitatis ordo permittit imò poſtulat, vt meliorem fratrem Abbas magis diligat, tamquam Deo ſimiliorem. Quoniam enim charitas proximum diligit propter Deum, ratio dictat vt eum qui Deo ad ſimilitudinem bonitatis propius acceſſit, intenſius diligat, quam alium minus bonum. Eſt autem iſte ordo charitatis ſecundum interiorem affectum beneuolentiæ, nam ſecundum exteriorem effectum beneficentiæ, & ſecundum ipſa opera charitas, alium ordinem poſtulat. Debent enim opera charitatis impendi ſecundum indigentiam proximorum. Quam ordinis diuerſitatem inter charitatis affectum, & actum charitatis egregiè notauit ſanctus Bernardus: ordinauit (inquit) in me charitatem. Quam putas harum? vtramque, ſed ordine oppoſito. Nam actualis inferiora præfert, affectualis ſuperiora. Etenim in bene affecta mente non dubium (verbi cauſa) quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, & in hominibus ipſis perfectiores imperfectioribus, cælum terræ, æternitas tempori, anima carni: attamen in bene ordinata actione, ſæpe aut etiam ſemper ordo oppoſitus inuenitur. Nam & circa proximi curam, & plus vrgemur, & pluries occupamur, & in-

Serm. 85. in Cant.

Serm. 50. Cant.

& infirmioribus fratribus diligentiori ſedulitate aſſiſtimus. Hæc & plura ibi Bernardus huc pertinentia. Debet proinde Abbas plus ſolicitus eſſe, plus ſtudij & operis debet infirmiori, ignauo & malo fratri: quia vt infirmus ſtabiliatur, ignauus excitetur, ignarus doceatur, malus emendetur & ſaluetur, plus operis & laboris ponere debet, quam vt bonus, deuotus & pius ſaluetur. Nam & mater (inquit Bernardus) quem ægrotantem nouit filium, magis fouet. Infirmus enim tam corpore quam animo plus officij indiget quam ſanus. Propterea iuueni cuidam dicenti quod fratrem malum auerſaretur, & arceret ab aditu cellæ ſuæ, bonum autem fratrem libenter admitteret, reſpondit quidam ſenex: ſi facis (inquit) bonum bono fratri, parum boni facis illi, alteri duplum impendes, ipſe eſt enim qui infirmatur. Ratio quoque exiſtere poteſt vt iubeat Abbas ordine inferiorem ſedere vel ſtare loco priore & hoc aut perpetuo aut ad tempus, ſemel atque iterum pro re rata & occaſione exurgente, verbi gratia, in choro poteſt iunior alijs præponi ob maiorem cantandi vel legendi peritiam, ob maiorem vigilantiam, aut ob ſimile quippiam, quod ſit ad diuini cultus augmentum, ſic in menſa, in congreſſu, in colloquio ſi forte iunior ad interpretationem peregrini idiomatis ſit magis idoneus. Sic ordine poſterior propter eruditionem, propter ætatem, propter morum maturitatem, & conuerſationis bonitatem, ad ſacerdotium & alios ordines ſacros præ alijs promoueri poteſt. Atque hac præponendi alijs alios poteſtate vti poteſt Abbas in omni ordine ſuæ congregationis, verbi gratia, ſacer-

Serm. 2. in die Palm.

ſacerdotum, diaconorum, conuerſorum, artifi-cum, &c. dictante ita iuſtitia & æquitatis aliqua ratione. Qua ceſſante, ſinguli conuerſionis ſuæ locum & ordinem vbique teneant. Perſonarum quoque acceptioni cauere debet Abbas in delictorum punitione; & eam ſeruare æquitatem, vt æqualis culpa, æquali expietur punitione, cæteris tamen paribus, hoc eſt, niſi animorum diuerſitas aut alia quæuis ratio aliter poſtulet. Quia grauius puniendus eſt durus & obſtinatus, quam manſuetus & humilis; item mitius agendum cum eo qui ſemel ex infirmitate ſit lapſus, quam cum eo qui ſæpius ex malitia aut mala conſuetudine ſit relapſus.

In doctrina namque ſua Abbas, Apoſtolicam debet ſemper illam formam ſeruare in qua dicit: Argue, obſecra, increpa, id eſt, miſcens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magiſtri, pium patris oſtendat affectum: id eſt, indiſciplinatos & inquietos debet durius arguere: obedientes autem & mites & patientes vt in melius proficiant obſecrare, negligentes autem & contemnentes vt increpet & corripiat, admonemus.

Præſcribit modum quem in ſua doctrina & diſciplina

ciplina Abbas teneat. Quemadmodum enim non vna eademque potio, nec vna potionis menſura ad omnium morborum curationem valet, ſed pro morborum diuerſitate & prauitate diuerſa medicina eſt adhibenda, & diuerſimodè temperanda; nec idem cibus omni palato ſapit, ita Abbas pro ingeniorum varietate doctrinam ſuam debet temperare. Non enim vna eademque exhortatio (inquit D. Gregorius) cunctis conuenit, quia nec cunctos par morum qualitas adſtringit, ſæpe enim alijs officiunt quæ alijs proſunt: nam & plerumque herbæ quæ hæc animalia reficiunt, alia occidunt; & leuis ſibilus equos mitigat, catulos inſtigat: & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit; & panis, qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate ergo audientium formari debet ſermo doctorum, vt & ad ſua ſingulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte numquam recedat. Quid enim ſunt intentæ mentes auditorum, niſi quaſi quædam in cithara tenſiones ſtratæ chordarum? quas tangendo artifex, vt non ſibimet ipſis diſſimile canticum faciant, diſſimiliter pulſat, & idcirco chordæ conſonam modulationem reddunt, quia vno quidem plectro ſed non vno impetu feriuntur? Vnde & doctor quiſque vt in vna cunctos virtute charitatis ædificet, & ex vna doctrina non vna eademque exhortatione tangere corda audientium debet; aliter namque læti, aliter admonendi ſunt triſtes, aliter patientes, aliter impatientes, &c. vſque ad finem capitis. Et D. Ambroſius ſerm. 5. Nihil, inquit, mea intereſt, dummodo ſiue pietate, ſiue cenſura Chriſtus annuntietur in vobis.

Lib. 30. Moral. c. 6.

Quam-

quamuis & ipſa cenſura ſit pietas, quæ ideo circa negligentiores filios adhibetur vt timore diſcant quod amore neglexerant, non quod omnes filios non æqualiter diligat pater, ſed indulgentia patris ſit, pro diuerſitate morum exhibere pietatis affectum, vt blandum filium exhortatione prouocet, contumacem verò auſteritate conueniat, de vtriuſque tamen correctione ſecurus, quoniam hunc amore verberat, illum ſeueritate caſtigat. Notat autem ſanctus Benedictus tria diſcipulorum genera, quorum ſingulis peculiari modo conſulendum docet iuxta Apoſtolum dicentem: *Argue, obſecra, increpa.* Arguendos enim dicit indiſciplinatos, qui nimirum diſſolutè ſine diſciplinâ ſe habent in diuino officio, in communi fratrum conſeſſu & alibi: & inquietos, qui curioſitate agitati vno loco cōſiſtere nequeunt, ſed modo intro, modo foras, modo huc, modo illuc vagantur: qui ſuis concurſionibus nunc hos, nunc illos offendunt & ſcandalizant; nunc iſtos turbant & commouent. Quemadmodum nimirum muſca inquietum animal perpetuo mouetur, nunc huic, modo illi inſidet, inde hunc, nunc illum aculeo ſuo moleſtat & infeſtat; ita inquieti ſunt qui ſiniſtris opinionibus mouentur, qui conſtitutiones & ordinationes ſuperiorū, humiliter & promptè non accipiunt, ſed diiudicant; reprehendunt, ad ſingula murmurant, qui aliorum facta curioſè examinant, temere vituperant. Obedientes autem & mites quoque prætermittendos noluit ab Abbate, ſed obſecrandos voluit vt proficiant, negligentes autem & accidioſos ad pia religionis exercitia, & contemptores bonarum inſtitutionum increpari vult & corripi.

Tria genera diſcipulorum.

2. Timo 4.

Sed

ſed & tempus arguendi & corripiendi, congruũ & oportunum captandum mandat dicens: *Miſcẽs temporibus tempora*; id eſt congrua tempora diſciplinæ ſuæ ſecundum diſpoſitionẽ vniuſcuiuſque obſeruans iuxta Apoſtolum dicentem: *Inſta oportune, importune*: quaſi dicat: eſto importunus & moleſtus peccantibus, ipſos increpando & arguẽdo, ſed oportunè, id eſt, tempore & loco oportuno & conuenienti, cum nimirum auditorem ita affectum & conſtitutum vides, vt doctrinam, monitionem, correptionemve non inanem fore exiſtimes. Quia Doctor, inquit Gregorius, apud auditoris mentem ipſa ſua auctoritate ſe deſtruit, ſi habere importunitas oportunitatem neſcit. Et idem: Neque enim cuncta tempora, inquit, doctrinæ ſunt congrua, nam plerumque dictorum virtus perditur, ſi intempeſtiuè proferantur. Sæpè vero & quod leuius dicitur, conuentu temporis congruentis animatur. Ille ergo ſcit rectè dicere qui & ordinatè nouit tacere. Quid enim prodeſt eo tempore iraſcentem corripere, quo alienata mente, non ſolum aliena verba percipere, ſed ſemetipſum vix valet tolerare? furentem enim qui per inuectionem corripit, quaſi ei, qui non ſentiat plagas ebrio imponit. Doctrina itaque vt peruenire ad cor audientis valeat, quæ ſibi congrua ſint temporum momenta perpendat. Hæc Gregorius. Et iterum. Penſare, inquit, debet Doctor quid loquatur, cui loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, & quantum loquatur. Si enim horum vnum defuerit, locutio apta non erit. Vide ſanctum doctorem ſingulas haſce ſermonis circumſtantias clarè ibidem explicantem. Quemadmodum igitur agricola cœli temperiem ad ſe-

2. Tim. 4.

Parte 2. curæ Paſt. c. 4.

Lib. 30. moral. cap. 11.

Admonitio Doctoris loquen[t]i.

Hom. 11 in Ezec.

rendum obſeruat:ita Abbas congruum loquendi tempus prudenter captet, ne in ipſum conueniat illud Apoſtoli: *Æmulationem Dei habent ſed, non ſecundum ſcientiam:* quia quos ratio nequiuit eos ſępe temporis mora, & ſuperiorum patientia ſanauit & correxit. Dum nimirum paulatim quieſcentibus & conſidentibus inordinatis animi paſſionibus (quæ mentis oculos offuſcant & rectæ rationis lumini officiunt) ita vt ſeipſos iam ſano & tranquillo mentis oculo intuentes ad cor redeant, & cognoſcant, mala commiſſa clare videant, horreant deteſtentur atque deplorent. Cauet præterea S. Benedictus ne Abbas peccantibus fratribus durus ſemper ſit & aſper, ſed lenitate vtatur, ſubinde miſcens nimirum terroribus blãdimenta. Quaſi dicat, non ſemper terreat, nec ſemper blandiatur: ſed ita doctrinam ſuam temperet & miſceat, nunc conſolatione, & manſuetudine; nunc ſeueritate & rigore, ne aut nimia eius indulgentia diſcipuli negligentes fiant, & malè ſecuri; nec auſteritate nimia & obiurgatione perpetua obtundantur, frangantur, & in deſperationem impellantur. Nonnunquam enim (inquit Gregorius) ſuperbus, diues exhortationis blandimento placandus eſt; quia & plerumque dura vulnera per leuia fomenta moleſcunt, & furor inſanorum ſæpe ad ſalutem medico blandiẽte reducitur, cumque eis in dulcedine condeſcenditur, languor inſaniæ mitigatur. Et iterum ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem: Decet vos (inquit) ſi quorum fortaſſis ſunt vitia, hæc maturis obiurgationibus increpare, vt ipſa quoque ſacerdotalis indignatio, virtute ſit admixta

Rom. 10.

Curæ Paſtor parte 3. admonitione 3

Lib. 3. regiſt. c. 1.

mixta dulcedinis, quatenus & tunc à ſubiectis amari debeat, etiam cum grauiter timetur, quæ res perſonam veſtram apud eorum iudicium in magnam quoque reuerentiam adducit: quia ſicut præceps furor vſitatuſque deſpicitur; ita contra culpas diſcreta indignatio plerũque quo tardior fuerit, eo amplius fit timenda. Hac namque ratione dirum magiſtri, pium patris oſtendit affectum; hoc eſt, dura correptio, obiurgatio, & caſtigatio, qua Abbas exigente delicti grauitate vti debuit, oſtenditur profecta non ab odio, aut puniendi libidine, ſed à paterno amore & pio deſiderio curandi infirmum fratrem. Putridæ carnes (inquit Hieron) ferro indigent & cauterio: nec eſt medicinæ culpa ſed vulneris, cum clementi crudelitate non parcit medicus, vt parcat; ſæuit, vt miſereatur.

Neque diſſimulet peccata delinquentium, ſed mox vt cæperint oriri, radicitus ea, vt preualet, amputet; memor periculi Heli Sacerdotis de Silo. Et honeſtiores quidem atque intelligibiles animos prima, vel ſecunda admonitione verbis corripiat: improbos autem & duros corde, ac ſuperbos vel inobedientes, verberum vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat, ſciens ſcriptum: 1. Reg. 2. & 3.

Stultus verbis non corrigitur. Et iterum:
Prouerb. 18. *Percute filium tuum virga & liberabis*
Prouerb. 23. *animam eius à morte.*

Vult Abbatem diligenter aduigilare ad peccata & malos mores religioſorum, ne illa diſſimulet negligens & obſeruare & noſſe, aut cognita emendare. Præfectus diligenter debet obſeruare, inquit D. Bernardus, ne quis peccet, explorare an peccet, & emendare peccatum eſt. Malo, inquit D. Ambroſius, ſi peccatum veſtrũ incuſando acriter increpare, quam leuiter diſſimulando nutrire. Quiſquis enim fratrem non arguit peccantem, quodammodo hortatur vt peccet. Et D. Gregorius: Cum increpare delinquentes Paſtor noluerit, eos proculdubio occidit. Hac igitur conſideratione compulſus, velis nolis loquuturus ſum, quia omni virtute aut te cupio ſaluari aut de tua morte me eripi. Ideo vult S. Benedictus commonitum eſſe Abbatem exemplo Heli Sacerdotis, quanti periculi ſit, ſubditorum delicta diſſimulare. Fælix enim quem faciunt aliena pericula cautum. Nec tarde ad vitiorum curam accedere debet. Sed ſtatim vt oriri cæperint, ſtatim vbi percipiuntur. Quia omne malum (ait Cicero) naſcens facile opprimitur, non item cum inueteratum eſt. Principijs proinde obſta, ſerò medicina paratur, cum mala per lõgas inualuere moras. Parentheſis autem illa (*vt præualet*) ad magnam conſolationem & ſecuritatem Abbatis hic interpoſita eſt. Vt cum omnem

Serm. 40. Cant.
Serm. 6.
Lib. 1. regiſt. Epiſt. 33.

operam,

operam, & omne remedium adhibuerit ad emẽdationem prauorum, & fortè nihil effecerit, ipſe iam ſecurus ſit: quia id quod valuit, quod officij ſui erat, fecit. Nam docere, monere, corripere hominis eſt, horum autem optatum & ſalutarem effectum dare ſolius Dei eſt. Qui enim cor hominis formauit & creauit, eius quoque eſt ipſum reparare & reformare. Propterea ſic conſolatur D. Bernardus Eugenium Papam, cui regendus erat Romanus populus immitis & intractabilis: Noli, inquit, deficere, curam exegeris non curationem. Denique audiſti: Curam illius habe: & non: cura vel ſana illum: Verum dixit quidam: Non eſt in medico, ſemper releuetur vt æger. Planta, riga, fer curam, & tuas expleuiſti partes, ſane incrementum vbi voluerit, dabit Deus, non tu. Hæc Bernar. Deinde docet non omnes delinquentes eodem modo emendandos, ſed honeſtiores qui pudore mouentur, monitione ducuntur, & intelligibiles qui peccati turpitudinem & perniciem, virtutis excellentiam & vtilitatem admoniti facile intelligunt, verbis dicit ſemel & iterum ad emendationem eſſe prouocãdos: Improbos autem, malitia ſua excæcatos & obduratos verberum duritie vult tractari; vt quorum obſtinata voluntas nulla ratione moueuetur, ſenſuum ac corporis dolore manus ſaltem à malo opere cohibeatur.

Lib. 4. de conſi.

Meminiſſe debet ſemper Abbas quod eſt, meminiſſe quod dicitur & ſcire,

Matt. 15. *re, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur.*

Reuocat iterum Abbatem ad memoriam ſtatus atque officij ſui, vt quo ſtatum altiorem & officium ſuum dignius eſſe conſiderat, eo quoque periculoſiorem ſibi nouerit rationem Deo reddendam. Vnde ſic D. Greg. alloquitur Prælatos Eccleſiæ. Lectio ſancti Euangelij (inquit) fratres chariſſimi ſolicitè conſiderare nos admonet, ne nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepiſſe aliquid cernimur, ab auctore mundi grauius inde iudicemur, cum enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum, tanta ergo eſſe humilior atque ad ſeruiendum promptior quiſque debet ex munere, quanto ſe obligatiorē eſſe conſpicit in reddenda ratione.

Hom. 9. in Euang.

Sciatque quàm difficilem & arduam rem ſuſcepit, regere animas, & multorum ſeruire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium ſuaſionibus, & ſecundum vniuſcuiuſque qualitatē vel intelligentiam ita ſe omnibus conformet & aptet, vt non ſolùm detrimenta gregis ſibi commiſſi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat.

Quàm ſit res difficilis regere animas probè noue-

nouerat D. Gregorius qui dicebat regere animas eſſe artem artium. Et S. Bernardus qui æſtimauit gradus Eccleſiaſticos ipſis etiam Angelicis humeris formidandos Quia enim cogitationum vulnera occultiora ſunt vulneribus viſcerum, teſte Ieremia; *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile & quid cognoſcet illud?* Ideo difficilius eſt medicum cordis quam corporis agere. Magni ſtudij eſt, inquit D. Grego. vt exhortandis ſingulis ſeruiatur ad ſingula, cum valde laborioſum ſit vnumquemque de proprijs ſub diſpenſatione debitæ conſiderationis inſtruere. Inprimis autem eum qui medicus alienorum vitiorum & malarum paſſionum conſtituitur, animum ab omni perturbatione, & inordinata paſſione liberum habere maximè conuenit, ne ipſe infirmus monſtretur qui alienę infirmitatis medicus aſciſcitur. Cū curā populi electus præſul (inquit D. Greg.) ſuſcipit, quaſi ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in eius opere paſſiones viuunt, qua præſumptione percuſſo mederi properat, qui in facie vulnus portat? Munus autem prefecturæ difficile cēſetur & ſentitur, maximè quia varia ingenia, & diuerſæ animorum affectiones & propenſiones in multitudine inueniuntur, quæ ſanè proprijs modis tractare proprijs remedijs curare, maximæ prudētiæ eſt. Quanta autē ſit in multitudine animorū & ingeniorū diuerſitas, quæ gubernationē difficilē facit pulchrè oſtēdit D. Greg. Nazian. ſub typo ſeu figura variæ beſtię, & quaſi ex diuerſis beſtijs cōpactæ & cōpoſitæ. Sunt enim beſtiæ diuerſarū & aduerſarum proprietatū & conditionū. Vna enim manſueta eſt, alia ferox, vna celeris, alia lenta; vna caſta, alia libidinoſa, &c. Magni autem ingenij

Paſt. cura parte 1 c. 1. *Serm 2. de Aſcen.* *Cap. 17.* *Paſt. cura parte 3. c. 2.* *Paſt. cura parte 1. c. 9.* *Multitudo regendorum eſt beſtia, multorum capitis.*

maximęque induſtriæ eſſet eiuſmodi beſtias in vnum congregatas in pace continere, propter diuerſas earum naturas & inclinationes mutuo repugnantes. Vel ſi ex omnibus vna componatur beſtia, v.g. partim ex equo, partim ex lupo, partim ex leone, partim ex ſerpente & ſic de cæteris animantibus tam aquatilibus, quam terreſtribus, qui hanc tam variæ naturæ, tamque variæ conditionis beſtiam aptè & commode gubernabit, is merito prudens & induſtrius & magnus habebitur. Nō minoris artis, ingenij, atque induſtriæ eſt hominum congregationem, in qua ſunt ingenia, deſideria, & voluntates diuerſa, imo aduerſa, bene gubernare, in pace atque officio continere; nã ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. Si quis belluam, inquit S. Gregor. Nazian. variam & multiplicem ex multis belluis magnis mixtã, paruiſque feris, mitibuſque conflatam cicurare ac ducere aggrediatur, huic in natura adeo varia & prodigioſa gubernanda, maximus procul dubio labor ſubeundus ſit, maximumque certamẽ: quippe cùm nec vocibus eiſdem, nec alimentis, nec manus attractationibus, ac ſibilis, nec reliquis denique inſtitutionis modis belluæ omnes delectentur, ſed aliæ alijs; pro ſua quæque natura & conſuetudine vel gaudeant, vel offendantur: vt qui eiuſmodi belluæ curam ſuſceperit, eum varia omnino & multiplici ſcientia ornatum inſtructumque eſſe oporteat, & congruentem cuique rationem adhibere, ſi quidem belluam cum laude ducere atque incolumen tueri cupit. Haud diſſimili modo communi hoc eccleſię corpore, inſtar cõpoſitæ cuiuſdã & inæqualis beſtię ex pluribus varijſque moribus & ſermonibus coagmẽtato, ſummopere quoque neceſſe eſt, Antiſtitem ſimul

In Apologetico primo.

& ſimplicem eſſe, quantum ad eam, quam ad omnes res adhibere debet, animi integritatem: & quam maxime varium ac multiplicem quantũ ad id attinet, vt vniuſcuiuſque beneuolentiam ſibi conciliet, omneſque apta & appoſita oratione alloquatur. Hæc & plura alia huc pertinentia ibi. D. Gregor. Nazian. Debet itaque Abbas affectum, vocem, & ſermonem, vultum, mores, geſtus, & corporis motus commutare, & accommodare auribus ſingulorum. Quemadmodũ Apoſtolus de ſeipſo confitetur: *Factus ſum*, inquit, *infirmis infirmus vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum vt omnes facerem ſaluos.* Et hoc quidem magnæ virtutis eſt, ita animum, vultum atque adeo ſeipſum totum in ſua habere poteſtate, & rationis imperio ſubiectum, vt omni tempore omnique momento ad neceſſitatem & vtilitatem ſubditorum ſeſe conuertere & inclinare poſſit, & appropinquare, inquit, D. Gregor. Infirmis & peccantibus non cadendo ſed condeſcendendo: vt ſcilicet ſingulos in ſe ſuſcipiens & ſe in ſingulos transfigurans, compatiendo colligat: ſi ita ipſe vt illi eſſet, quid impendi ſibi ab alijs rectè vellet, Et tanto verius, vnicuique erranti concurrat, quanto ſalutis eius modum ex propria conſideratione didicit. Bene ergo dicit ſanctus Iob: *Et viſitans ſpeciem tuam non peccabis*; quia tunc peccatum plenè vincitur, cùm ex ſua ſimilitudine vnuſquiſque perpendit, quomodo in proximi dilectione dilatetur. Hęc Gregorius. Ad hoc nos exemplo Chriſti hortatur Apoſtolus: *Debemus autem firmiores*, inquit, *imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi pla-*

Omnibus ſapiat Abbatis cõuerſatio & doctrina.

1. Cor. 9.

Lib. 6. moral. cap. 25.

Iob 5.

Rom. 15.

cuit

cuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. Id eſt, Chriſtus non eſt ſectatus commoda corporis & ſenſuum ſuorum, nec incommoda refugit, ſed per omnia hoc egit vt peccatores ſaluos faceret: ita vult Apoſtolus nos omnia facere, non quæ nobis commoda & ſenſibus grata, ſed quæ proximis vtilia, & ad ſalutem profutura ſunt. Atque ita imbecillitates infirmorum ſuſtinere, fortitudinis eſt (inquit Caſſianus) quia infirmus nunquam tolerat infirmum. Eſt autem & hęc pia, religioſa & laudabilis illa ſeruitus, cuius non ſolum non puduit Apoſtolum, ſed etiam in qua gloriatus eſt dicens: *Cum eſſem liber ex omnibus, omnium me ſeruum feci: vt plures lucrifacerem. Et filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare.* Hanc autem ſeruitutem ſi fideliter gerat Abbas, non ſolum nullum detrimentum gregis ſibi commiſſi patietur, ſed de augmentatione ac profectu gaudebit.

Pſal. 68. — *Omnia omnibus fiat Abbas.* — *Coll. 16. ca. 23.* — *1. Cor. 9.* — *Matth. 20.*

Ante omnia ne diſſimulans aut paruipendens ſalutem animarum ſibi commiſſarum, non plus gerat ſolicitudinem de rebus tranſitorijs atque caducis: ſed ſemper cogitet quia animas ſuſcepit regendas, de quibus & rationem redditurus eſt. Et ne cauſetur de minori fortè ſubſtantia, meminerit ſcriptum: Primùm quærite regnum Dei & iuſtitiam eius, & hęc omnia adijcientur vobis: &

Math. 6.

iterum:

iterum: Nihil deeſt timentibus eum. *Pſal. 31.*

Oſtendit quod præcipua cura Abbati eſſe debet non de re temporali acquirenda aut conſeruanda, ſed de re ſpirituali, de conſeruatione nimirum & augmento religionis, & animarum ſibi commiſſarum ſalute. Meminiſſe debet quod duodecim Apoſtoli conuocantes multitudinem diſcipulorum dixerunt: *non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu ſancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Sic quoniam Abbati dignius & ſacratius munus traditum eſt, indignum eſt vt negotijs ſæcularibus diſtineatur. Ideo dicebat S. Bernardus Eugenio Papæ: vacuum prorſus à ſolicitudine rerum minorum & vilium oportet eſſe animum tam magnis & multis intentum rebus: ſed hæc alijs committere debet, dicente Apoſtolo: *ſecularia indicia ſi habueritis contemptibiles qui ſunt in eccleſia illos conſtituite ad iudicandum:* vt ipſi videlicet (inquit Gregorius:) diſpenſationibus terrenis inſeruiant, quos dona ſpiritalia non exornāt, ac ſi apertiùs dicat: quia penetrare intima nequeunt, ſaltem neceſſaria foris operentur: Hinc etiā Ietro Moyſen repræhēdebat, quod terrenis populorū negotijs ſtulto labore deſeruiebat, cui & conſiliū mox præbebat, vt pro ſe alios ad iurgia dirimenda cōſtituat, & ipſe liberius ad erudiēdos populos ſpiritualiū arcana cognoſcat. A ſubſiditis ergo inferiora gerēda sūt, à rectoribus ſūma cogitanda, vt ſcilicet, oculū qui prouidēdis greſſibus præeminet cura pulueris nō obſcuret.

Act. 6. *Abbatis prima cura eſt ſpiritualiū.*

Lib. 4. de conſiderat.

1. Cor. 6.

Parte prima cura Paſt. cap. 7.

Exod. 18.

Caput

Caput namque ſubiectorũ ſunt cuncti, qui præſunt, & vt recta valeant pedes itinera carpere, hæc proculdubio caput debet ex alto præuidere, ne à profectus ſui itinere pedes torpeant; cum curuata rectitudine caput ſeſe ad terram declinat. Hæc Gregorius. Quoniam vero Abbas in ſua inſtitutione & conſecratione non tantum animarũ curam ſuſcepit, ſed de bonorum temporalium conſeruatione publicam quoque fidem dedit, ideo omnino horum ſolicitudine liber eſſe non poteſt, Vult proinde ſanctus Benedictus vt tam moderatè cogitationem in his ponat Abbas, ne ſtudium ſpirituale impediatur; vetat ne totum ita ſe dedat curis temporalibus, vt omnem curã ſpiritualem negligat. Quemadmodum hypocrita ille, quem notat & improbat ſic S. Gregorius: In errorem, inquit, diſcipulus labitur, & tamen cor hypocritę nullo dolore ſauciatur. Irę in iniquitatis voraginem commiſſos ſibi conſpicit, & hæc quaſi inaudita pertranſit: at ſi quid ſibi leuiter inferre temporale damnum ſenſerit, in vltionis irã repente ab intimis inardeſcit, mox patientia rumpitur, mox dolor cordis in vocibus effrenatur. Quia dum animarum damna æquanimiter tolerat, iacturam vero rerum temporalium repellere, & cum ſpiritus commotione feſtinat, cunctis veraciter indicat, teſte mentis perturbatione, quid amat: At nimis prępoſterum & iniquum eſt plus ſubſtantiam terrenam amare, quam animas humanas. Quia, inquit Gregorius, noſtris vſibus res terrenas Deus condidit, ſuis autem animas hominum creauit. Quod autem Abbas omni ſolicitudine ſæculari vacuus eſſe non poſſit, tamen non omnino ſed ex parte & tenuiter in eam incũbere

Secunda eſt temporaliũ.

Lib. 31. moral. c. 10.

Ibidem.

bere

bere, debeat pulchrè docet B. Gregorius. Quiſquis, inquit, regendis fratribus præeſt vacare funditus à curis exterioribus non poteſt, ſed tamen curandum magnopere eſt, ne ab his immoderatè deprimatur. Vnde rectè ad Ezechielem dicitur: *Sacerdotes caput ſuum non radant, neque comam nutriant, ſed tondentes attondeant capita ſua.* Quid enim ſignificant capilli in capite niſi exteriores cogitationes in mente? qui dum ſuper cerebrum inuiſibiliter oriuntur, curas pręſentis vitæ exprimunt quæ ex neglecto ac torpenti ſenſu quia importunæ prodeunt, quaſi nobis non ſentientibus procedunt. Quia ergo cuncti qui pręſunt, habere quidem ſollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, Sacerdotes rectè & caput prohibentur radere, & comam nutrire, vt cogitationes carnis de vita ſubditorum nec à ſe funditus amputent, nec rurſum ad creſcendum nimis relaxent. Vnde bene dicitur: *Tondentes tondeant capita ſua*, vt videlicet cura temporalis ſolicitudinis & ad quantum neceſſe eſt prodeant, tamen recidantur citius, ne immoderatius excreſcant. Dum igitur per adminiſtratam exteriorum prouidentiam corporalis ſubditorum vita protegitur, & rurſus per immoderatam alta cordis intentio non impeditur, quaſi capilli in capite Sacerdotis ſeruantur; vt cutem cooperiant, & reſecantur, ne oculos claudant. Hæc Gregorius. Modus autem ſeruandus Abbati in ſolicitudine temporali videtur iſte conſtitui poſſe, vt nimirum ſollicitus ſit de conſtituendis fidelibus, intelligētibus & induſtrijs rerum temporalium gubernatoribus & adminiſtris quibus omnem cuſtodiam & adminiſtrationem temporalem committat.

Lib. 1. Regiſt. cap. 24.

Ezech. 44.

Tonſio capillorum ſignificat abiectionem terrenorum.

Modus ſollicitudinis Abbatis de temporalibus.

Deinde

Cap. 31. Deinde vt obſeruet, an officio ſuo probè fungantur, mādat enim S. Benedictus *vt Cellerarius ſit omni congregationi ſicut pater & curam gerat de omnibus; deinde infirmorum inquit infantium, pauperumque cum omni ſolicitudine curam gerat*, ita tamen vt abbatis ſit aduigilare an Cellerarius eā curā fideliter gerat, & omne officium ſuum debitè faciat; ideo iterum dicit. *Ergo cura maxima ſit abbati ne aliquam negligentiam patiantur infirmi*, deinde vult omnem adminiſtrationem commiſſam quidem Cellerario non tamen abſolutè ſed dependenter ab ipſo Abbate, nam dicit: *ſine iuſsione Abbatis nihil faciat* quæ dependentia eſt iuſſio quandam dexteritatem & intelligentiam, & ſolicitudinem rerum adminiſtrandarum in Abbate requirit, quamuis ipſa adminiſtratio, & præcipua cura ad Cellerarium pertineat. Et ne Abbas fortaſſe ob tenuiores monaſterij facultates maiorem ſolicitudinem ſumendam ſibi putet conſolatur eum diuinæ prouidentiæ bonitate & fidelitate; qua Dominus omnibus in ſe confidentibus abunde proſpicit. Primum (inquit Bernardus) paſtoribus, quærite regnum Dei vt in interioribus veſtris habitet, & regnet Deus, deinde iuſtitiam eius, vt legem ex ore veſtro requirat & aſſumat populus: & ex tanta gratia meritorum retribuetur vobis gloria præmiorum, quam nec oculus vidit &c. & præter hæc adijcientur vobis hæc temporalia, quia gloria & diuitiæ in domo eius. Cuius, eius? haud dubium quin iuſtæ generationis &c. Ita res ſe habet inquit Chryſoſtomus, vt is qui terrena ſpiritualibus præfert, & illis decidat & iſtis, qui autem cœleſtium deſiderio tenetur terrenis etiam omnino potiatur, nec

Cap. 36.

Ser. ad Paſt. in ſynodo cōgregatos.

Lib. 3. aduerſus vituperatores vitæ Monaſticæ.

nec iſta mea ratio eſt, ſed eius qui cuncta præbiturus eſt, Domini. *Quærite* (inquit) *primùm regnum Cœlorum, & hæc omnia apponentur vobis.* Quid huic honori, par illa ratione eſſe poſſit? curam (inquit) gere ſpiritualium rerum, mihi verò omnia tua permitte. Ac ſi pater aliquis indulgentiſſimus & domus curam & familiæ regimen aliarumque omnium rerum adminiſtrationem, filiumque ſuum vt philoſophiæ operam daret, admoneret: ita profectò Deus quoque. Placeamus illi igitur, inquiramuſque cœlorum regnum: ſic & filios noſtros probatiſſimos videbimus, & ipſi vnà ex illorum præclaris actibus illuſtriores erimus, boniſque etiam præſentibus fruemur, ſi futura tantum cœleſtia diligamus. Hactenus Chriſoſtomus.

Sciatque, quia qui ſuſcepit animas regendas, præparet ſe ad rationem reddendam. Et quantum ſub cura ſua fratrum ſe habere ſcierit numerum, agnoſcat pro certo quia in die iudicij ipſarum omnium animarum traditurus eſt Domino rationem, ſine dubio, addita & ſuæ animæ. Et ita timens ſemper futuram diſcuſsionem paſtoris de creditis ouibus, cum de alienis ratiocinijs cauet, reddiur de ſuis ſolicitus. Et cum de admonitionibus ſuis emendationem alijs ſubminiſtrat

miniſtrat; ipſe efficitur à vitijs emendatus.

Concludit inſtructionem Abbatis cum oſtenſione extremi iudicij, in quo æquiſſimo Deo iudici rationem redditurus eſt & omnium ſibi cõmiſſarum animarum, tam, inquam, perditarum quam ſaluarum; quæ quam ſit res anxia & periculoſa oſtendit B. Bernardus dicens: Longè grauiori & periculoſiori debito tenentur adſtricti, qui pro multis animabus reddituri ſunt rationẽ; Quid ego infælix quo me vertam, ſi tantum theſaurum, ſi pretioſum depoſitum illud quod ſibi Chriſtus ſanguine proprio pretioſius iudicauerit, contigerit negligentius cuſtodire? Si ſtillantem in cruce Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetq; repoſitus penes me in vaſe vitreo, quod & portari ſæpius oporteret, quid animi habiturus eſsẽ in diſcrimine tanto? Et certè id ſeruandum accepi, pro quo mercator non inſipiens (ipſa vtique ſapientia) ſanguinem illum dedit. Sed & habeo theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & quibus multo plura quam vitreis imminere pericula videantur. Accedit ſanè ad ſollicitudinis cumulum & pondus timoris, quod cum & meam & proximi cõſcientiam ſeruare neceſſe ſit, neutra ſatis mihi eſt nota. Vtraque abyſſus eſt inſcrutabilis, vtraque mihi nox eſt, & nihilominus exigitur à me vtriuſque cuſtodia; & clamatur: cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? non eſt, mihi dicere cum Cain nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? ſed eſt fateri humiliter cum Propheta: quia *niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.*

Curarum anxietas, animarum regendarũ.

Ser. 3. in Aduen. Dom.

Iſaiæ 2.

Gen. 4.

Pſal. 126.

In

In eo tamen excuſabilis ego videor, ſi debitam exhibeo cuſtodiam pariter & diſciplinam. hæc Bernard. Huius igitur rigidi iudicij memoria ſalutem Abbati commouet & incutit, timor vigilantiam excitat, atque ita dum emendationem & ſalutem ſuorum curât, propriam promouet.

CAPIT. III.

De adhibendis ad conſilium fratribus.

Quotiens aliqua præcipua agenda ſunt in monaſterio; conuocet Abbas omnem congregationem: & dicat ipſe vnde agitur. Et audiens conſilium fratrum tractet apud ſe, prudenter, & quod vtilius iudicauerit, faciat. Ideo autem omnes ad conſilium vocari diximus: quia ſæpe iuniori reuelat Dominus quod melius eſt.

Valde prouidè ſtatuit ſanctus Benedictus de adhibendis in conſilium fratribus, quia momenti magni eſt: tum ad mutuam amicitiam & concordiam inter Abbatem & Conuentum: tum ad communem vtilitatem. Quemadmodum enim

Abbas ſi in omnibus ſuo ſtet iudicio, ſi omnia monaſterij negotia ſuo vnius nutu, neglecto conſilio fratrum peragat, animos diſſipat & conturbat, ſiniſtræ ſuſpicioni cauſā dat, murmurationi & obloquio (præſertim ſi quid minus proſperè ſuccedat) aperit ianuam: ita mutua illa dandi & capiēdi cōſilij ratio, maximi pōderis eſt ad animorum conciliationē, & dum omnes vnanimiter conſociantur ad melioris conſilij inquiſitionem, omnis malæ ſuſpicionis, murmurationis, aliorumq; multorum malorum occaſio tollitur. Cum enim conſilium de rebus cōmunibus, & omnes pariter attingentibus, ad omnes pertinere videatur, de iniuria ſibi facta fortè expoſtulabunt, ſi qui à conſilij communione excludantur. Deinde hæc proxima via eſt & certior quærendi & capiendi optimi vtiliſſimiq; conſilij: quia non ſemper maiori, *ſed ſæpe iuniori reuelat Deus id quod melius eſt* (inquit D. Benedictus, ſpiritus enim conſilij vbi vult ſpirat, reſiſtens autem ſuperbis, humilibus dat gratiam boni cōſilij. *Super quem enim requieſces ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & trementem ſermones meos*? Sic Ioſeph abiectus conſilio ſuo vniuerſæ Ægypto profuit, vt non ſentiret ſeptem annorum ſterilitatem, alioſq; populos miſeræ famis leuauit (inquit Ambroſius) ieiunio. Et Daniel puer innocentem ſanguinem prudentiâ ſuâ iniuſto liberauit ſupplicio. Quando igitur ambigitur de rebus magni ponderis, ſiue ad religionem, ſiue ad temporalia bona monaſterij pertinentibus, audiat Abbas ſingulorum conſiliū & opinionem, & ſeriò expendat & examinet, & quam ex omnibus optimam, maximèque cōuenientem perſpexerit, illam eligat & amplectatur: quia Abbatis eſt opinionum varietatem definire & vtiliorem exequi. Quæ autē præcipua

Iſaiæ 66. *Geneſ. 40. & 41.*

Lib. 2. offi. c. 11.

Daniel 7.

Conuocatio fratrum ad conſilium.

cipua illa ſint de quibus omñes ad conſilium adhibendi ſunt; quia pro rerum varietate varia quoque eſſe poſſunt, nec ſingula facile definiri; iudicio viri prudentis pro re nata ſtandum videtur.

Sic autem dent fratres conſilium cum omni humilitatis ſubiectione, vt non præſumant procaciter defendere, quod eis viſum fuerit; ſed magis in Abbatis pendeat arbitrio; vt quod ſalubrius eſſe iudicauerit ei cuncti obediant. Sed ſicut diſcipulis conuenit obedire magiſtro: ita & ipſum prouidè & iuſtè condecet cuncta diſponere.

Quemadmodum mandauit Abbati vt in rebus grauibus omniũ conſilium petat & audiat: ita nũc vetat ne fratrũ quiſque ſuum conſilium ſuperbè & pertinaciter aliorũ cõſilio præferat, nec ſuum ſolius omniũ optimũ iudicet: ſed vt demiſsè ſuam ſententiam Abbatis arbitrio probandam vel improbandã libenter ſubmittat. Qua autẽ mente & qua animi humilitate, immo quo metu conſilium dare alteri quiſque debeat, egregiè ſuo exemplo nos docuit S. Bernard. qui de ſuo cõſilio nõ gloriabatur ſed metuebat ſic dicẽs: Agnoſcẽs ſapientię meæ ſiccitatẽ, immo inſipiẽtiæ meæ, ſemper ſuſpectã habẽs temeritatẽ, cũ nõ fit quod fieri laudo, nec audio, nec debeo indignari, deſiderãs quẽq; cõſultius agere quã à me acceperit. Quotiẽs vero mea ſententia eligitur ac tenetur, graui, fateor, onere me premi ſentio,

Quomodo conſilium dandum.

Epiſt. 87.

rei finem ſemper pauidus & numquam ſecurus exſpectans. Et quemadmodum in Abbatis poteſtate eſſe vult hanc illamue eligendi & amplectendi ſententiam: ita nec leuiter, nec temerè; non pro voluntate, ſed pro vtilitate, matura & ſeria habita ſecum deliberatione, quod optimum & vtiliſſimum iudicauerit, eum conſtituere & diſponere iubet.

In omnibus igitur omnes magiſtram ſequantur regulam, neque temerè ab ea temerè declinetur à quoquam. Nullus in monaſterio proprij ſequatur cordis voluntatem. Neque præſumat quiſquam cum Abbate ſuo proteruè intus aut foris monaſterium contendere. Quod ſi præſumpſerit, regulari diſciplinæ ſubiaceat. Ipſe tamen Abbas cum timore Dei, & obſeruatione regulæ, omnia faciat; ſciens ſe proculdubio de omnibus iudicijs ſuis æquiſſimo iudici Deo rationem redditurum.

Vult autem Abbatem omnium auditarum opinionum ita abſolutè eſſe arbitrum, & ad quamuis eligendam liberum, vt nemo ſuam defendere audeat; imo eum, qui pro ſua propugnando cùm Abbate contendere præſumpſerit, regulari diſciplinæ ſubijciendum iubet. Eſt autem diſciplina (inquit D.Au-

D. Auguſt.) emendatoria tribulatio. Corrigendum vult igitur S. Benedictus talem, puniri & caſtigari, affligi & corrigi regulariter, hoc eſt, eo caſtigationis & correctionis modo, & ordine quem regulæ auctoritas cap. 23. ſimilibus vitijs conſtituit. Vt autem omnia recta ratione & optimo ordine gerantur in monaſterij negotijs, adſtringit omnes & religioſos & Abbatem in conſilio dando & capiendo, illa lege regulæ, vt non patiatur quemquã ſine certa neceſſitate vel vtilitate ab illa recedere. Cum autem dicit: *Nec ab ea temere declinetur à quoquam*, tacite inſinuat quod ceſſante temeritate & ex certa ratione ab ea recedere liceat nonnunquam. Qua de re ſic ſanctus Bernardus. Regulę ſanctorum Baſilij, Auguſtini, Benedicti, necnon authentici canones, & ſiqua ſunt alia eccleſiaſtica inſtituta dignæ auctoritatis; quæ quoniam à ſanctis tradita ſunt, ſancita ſtabiliter perſeuerant, nec omnino cuiuis ſubiectorum ea aliquo modo variare, vel mutare conceditur; quia tamẽ ab hominibus, etiã per homines, loco & officio illis canonica electione ſuccedentes, licitè interdum innoxièque pro cauſis, perſonis, locis, & temporibus diſpenſantur. Vbi ſanè qui hæc legit, attendat me cautè, non dicere, ea poſſe vel ab his leuiter pro voluntate mutari, ſed ex ratione fideliter diſpenſari. Quamdiu ergo charitati militant, immobiliter fixa ſunt, mutarique omnino ne ab ipſis quidem præpoſitis ſine offensâ poſſunt. Nam ſuper fratrum tranſgreſſiones, non ſuper patrum traditiones conſtituitur, qui Abbas eligitur. Mandatorum cultor, & vltor vitiorum. Arbitror namque ſanctas illas obſeruantias Pręlatorum prudentiæ & fidei creditas, non ſubditas voluntati. Hinc eſt quod idem legiſlator in his

Conſ. 17. in pſal. 118.

Lib. de præcept. & diſp.

quæ Abbati diſpenſanda reliquit, cautè nuſquam (vt memini) voluntatẽ ſuam, aut conſiderationem, aut diſpenſationem, aut prouidentiam, aut certè arbitrium, ſeu aliquid huiuſmodi ponit: volens nimirum prouidum, fidumque diſpenſatorem, rationis, vbi forte diſpenſat, ſequi iudicium, non ſuæ placitum volũtatis. Vnde & intimat ei non ſemel, quod de omnibus iudicijs ſuis Deo reddituruſ ſit rationem. Lego profectò in regula: *Hęc conſideratio penes Abbatem ſit*, & hoc vel illud eſſe in prouidentia, vel arbitrio, ſeu diſpenſatione Abbatis. Vt autem pro ſua voluntate aliquid mutet, me ibi legiſſe non recolo: quin imo, *in omnibus* (inquit) *omnes magiſtram ſequãtur regulam, nec ab ea temerè deuietur à quoquam. Ergo nec ab ipſo Abbate.* Omnes, inquit, magiſtrã ſequantur regulam: nemo ergo ſuam voluntatem. Vbi ſanè nec Abbatem excipi puto. Hæc Bern.

Siqua vero minora agenda ſunt in monaſterij vtilitatibus; ſeniorum tantum vtatur conſilio, ſicut ſcriptum eſt: omnia fac cum conſilio & poſt factum non pænitebis.

Eccleſiaſtici 32.

Vſque adeo iudicat conſilium in rebus agendis Abbati vtile, vt etiam minora, ſeu leuia monaſterij negotia cum conſilio, quamuis non omnium, tamen vel ſeniorum peragenda velit. Animi enim illa demiſſio & humilitas, qua Abbas etiam minorum conſilium petere & audire non dedignatur, ſalutare conſilium à Spirituſancto, qui ſuper humilem

lem requieſcit, meretur. Frequenter (inquit Gillebertus Abbas) quod non confert eorum, qui conſuluntur eruditio, conſulentis meretur humilitas. Quapropter Heſiodi Græci Poetæ laudabilis (inquit Hieron.) illa & admiranda ſententia eſt. Primum eſſe beatum qui per ſe ſapiat: ſecundum qui ſapientem audiat, qui aut vtroque careat, hunc inutilem eſſe tam ſibi quam omnibus. Vnde & ſenatus-conſulta, inquit dicuntur, & principes quondam Romani conſules appellati ſunt, vel à conſulendo ciuibus, vel ab agendo cuncta conſilio. *Qui enim omnia agunt cum conſilio* (inquit ſapiens) *reguntur ſapientia.* *Serm. 6. in Cantic.* *In Cap. 3. Iſaia.* *Prouerb. 13.*

CAPVT IV.

De inſtrumentis bonorum operum.

Ponit hoc capite ſanctus Benedictus certa virtutum præcepta religioſis diligenter obſeruanda: vocatque ea inſtrumenta bonorum operũ, propterea quod oſtendunt & præſcribunt opera & actiones bonas. Deinde quia horum quædã non tam ſunt per ſe virtutes, quam adminicula quędam & inſtrumenta virtutum. Vnde Hieron. Non virtus ſed cauſa virtutis apud Deum mercedem habet, quaſi dicat, nõ opus externum, ſed charitas ſeu intẽtio operãtis remuneratur à Deo & D. Ambroſius, & foliũ eius, &c. Moralia bona ornamẽta ſunt *In Matth. 6.* *In Pſal. 1.*

decoris,non ſubſidia redemptionis. Poſtremò quia ſunt quaſi inſtrumenta artis ſpiritualis. Cuius nimirum artis eſt per bonorum operum exercitia,ad perfectionẽ, tanquam ad proprium ſuum finẽ contendere. *Similitudo.* Quemadmodū enim nulla ars bene exercetur,ſine aptis,certiſque inſtrumẽtis,quibus opus ſuum efficit, & finem ſuum aſſequitur : ita ars hæc ſpiritualis ſeu ſtudium perfectionis, certis quibuſdam rationibus, ceu inſtrumentis ad finem ſuum nititur. Eſt autem ad perfectionis acquiſitionem, magna opus corporis & animi præparatione. Quia enim corpus amat commoda & ſuauia, quæ cum charitate non ſemper conſiſtunt; dura & aſpera reſpuit,quæ cauſa charitatis nonnumquam toleranda ſunt:animus quoque varijs rapitur deſiderijs & paſſionibus charitati contrarijs. Ideo debet corpus paulatim & quotidiano vſu virtutum, deſueſcere mollibus, & aſſueſcere incommodis : animus quoque expurgãdus eſt noxijs deſiderijs & inordinatis paſſionibus. Illæ proinde virtutes (quales S. Benedictus hic proponit) quæ corpus externis, & animū internis actionibus exercendo,animi paſſiones domãt,& corpus rationi ſubijciunt,adminiſtrę ſunt charitatis & perfectionis; nam qui in eis ſe exercet, vitia paulatim exſtinguit, charitatem introducit, & ad perfectionem tendit. Tollunt enim impedimenta, & ſubſidia charitati ſubminiſtrant, quia comprimunt hominis prauas inclinationes & paſſiones,eneruantque ac tollunt vitioſos habitus,quibus animus in plura diſtractus ſtudia retardatur, ne totus, totoque conatu per actum charitatis in Deum feratur. Ideoque optimè dicuntur à ſancto Benedicto inſtrumenta artis ſpiritualis. Vide S. Thomam 2.2. q.44.artic.1.

Pri-

Primum inſtrumentum eſt: In primis dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute: deinde proximum tanquam ſeipſum. Deuter. 6. Matth. 22.

Inter inſtrumenta bonorum operum meritò primus locus tribuitur charitati. Primùm ratione finis, quia quamuis finis in actione ſit vltimus: (Agendo enim ad finem venitur vnde communiter dicitur: finis coronat opus, hoc eſt, in fine operis laus & præmium operanti datur, & Apoſtolus: *Nemo coronabitur niſi qui legitimè certauerit,* hoc eſt, niſi vſque ad finem certauerit,) tamen in intentione operantis primus eſt: Quia propter acquirendum finem operari incipit, & ad finem operis, progreſſum & omnes intermedias actiones dirigit. Sic charitas, ſcilicet perfecta, finis eſt reliquarum omnium virtutum, quia omnes comparantur & exercentur, vt charitatis perfectio acquiratur dicente Apoſtolo: *finis autem præcepti eſt charitas, de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta.* Et Chriſtus in Euangelio: *In his duobus mandatis* (ſcilicet dilectionis Dei & proximi) *tota lex pendet & Prophetæ*; hoc eſt, eum in finem lex data eſt, propterea Prophetæ prædicauerunt & ſcripſerunt, vt charitas acquiratur, conſeruetur, augeatur, & perficiatur. Hæc proinde abſoluta & perfecta in regno cælorum cùm erit, legis præcepta, imò omnes aliæ virtutes ceſſabunt, dicente Apoſtolo: *Charitas nunquam excidit: ſiue Prophetiæ*

Charitas eſt primum inſtrumentum bonorum operum.

1. Timoth. 1.

Matth. 22.

1. Cor. 13.

phetię euacuabuntur,ſiue linguæ ceſſabũt,ſiue ſcientia deſtruetur. Quia igitur omnia præcepta,immò omnia opera bona ad charitatem referuntur,& comparãtur, meritò ſanctus Benedictus inter bonorũ operum inſtrumenta primum ponit præceptum charitatis.2. primum locũ meretur charitas ratione excellentiæ ſuæ. Hęc enim excellẽtior illa via eſt,quę ducit ambulantẽ in ea ad patriã. Quia ſicut ſine via (inquit D.Proſper) peruenit nemo quo tendit,ita ſine charitate, non ambulare poſſunt homines, ſed errare. De hac Apoſtolus : *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro*,quia ſcilicet linguæ,ſcientia, fides,eleemoſyna, corporis afflictio , &c. proſunt ſi cum charitate iungantur, ſin autem nihil, dicente Apoſtolo : *Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Atque hæc eximia eſt laus, & pręſtantia charitatis, quod nulla alia virtus cuiuſque ſit meriti, niſi charitate ſubnixa, & informata. Intueamur (inquit D. Auguſt.) quod idem ait Apoſtolus : *Plenitudo legis eſt charitas.* Vbi ergo charitas, quid eſt quod poſſit deeſſe ? vbi autem non eſt,quid eſt quod poſſit prodeſſe? Charitas eſt omnibus virtutibus quod anima rationalis humano corpori. Ideo dicit Apoſtolus, fidem operari per charitatem. Eſt omnium virtutum forma, quæ dat ipſis eſſe vt verę, ſint virtutes. Et hoc eſt quod Deus in Euangelio de dilectione quaſi de ſingulari virtute loquitur dicens: *Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos.* Quia (inquit Gregorius) omne mandatum de ſola dilectione eſt, & omnia vnum præceptum ſunt, quia quidquid præcipitur in ſola charitate ſolidatur, vt

Lib.3.vitæ contemp.c.13.

1.Cor.12.

1.Cor.13.

Tract.83.in Ioan.

Gal. 5.

Ioan. 15.

Rom.21.in Euang.

vt enim multi arboris rami ex vna radice procedunt, ſic multæ virtutes ex vna charitate generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis. Præcepta ergo dominica multa ſunt & vnum: multa per diuerſitatem operis, vnum in radice dilectionis. Maxima proinde cognatio eſt charitati cum virtutibus moralibus, quas nimirum charitas tanquam mater generat & producit, dum ſcilicet voluntas dono charitatis imbuta & informata, virtutum opera dictat & imperat: & virtutes viciſſim perpetuis ſuis exercitijs charitatem perficiunt & abſoluunt, vt nimirum diligatur Deus ex toto corde, ex tota anima & ex tota mente, hoc eſt (inquit Ambroſius) ex toto intellectu, & ex tota voluntate, & ex tota memoria. In his enim tribus potentijs ſanctæ Trinitatis imaginem mirabiliter gerit in ſua natura noſter interior homo, ex quibus quaſi excellentioribus animę dignitatibus iubemur diligere conditorem, vt inquantum intelligitur, diligatur, & quantum diligitur, ſemper in memoria habeatur. Nec ſolus ſufficit de eo intellectus, niſi fiat in amore eius voluntas, imò nec hæc duo ſufficiunt, niſi memoria addatur, qua ſemper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus, vt ſicut non poteſt eſſe momentum, quo homo non vtatur Dei bonitate & miſericordia, ita nullum debeat eſſe momentum quo præſentem eum non habeat memoria. Hæc Ambroſius. *Et proximum tanquam noſipſos.* Quod enim habet emolumenti homo (inquit Bernardus) ſi proximus eius ardeat in inferno? aut quid perdiderit ſi ſecum fuerit in paradiſo? neque enim talis eſt paradiſi illa hæreditas vt poſſidentium numero minuatur

Lib. de dign. conditionis humanæ cap. 2.

Sententia

diligit

Diligit ergo proximum, quem non vult malum pati, ſicut nec ſeipſum: & quem ſicut ſeipſum vult poſſidere cælum.

Lucæ 18.

Deinde non occidere.

Non facto, non linguâ, non voluntate quemquam lædere: nec violentè in corpore, nec impiè in anima ſcandalizando, malè ſuadendo &c.

Matth. 19.

Non adulterari.

Oculos, linguam, mentem, manus, ac ſeſe totum lege pudicitiæ conſtringere, & ab omni libidinoſa contagione abſtinere.

Leuit. 19.

Non facere furtum.

Quid enim ſtultius quàm religioſum, qui omnia ſua, cauſa Dei & religionis deſeruerit, aliena iniuſtè appetere?

Deut. 5.

Non concupiſcere.

Primi motus concupiſcendi non ſunt prohibiti.

Scilicet honores, diuitias, delitias. Prohibetur autem concupiſcentia, non quæ eſt in primo motu, quia non eſt in poteſtate noſtra primos motus non ſentire, ſed præcipitur, vt primi motus, ita per Dei gratiam reprimantur, ne vſque ad conſenſum vel delectationem perueniant.

Non falſum teſtimonium dicere.

Marci. 10.

Falſum teſtimonium dicit, qui falſum crimen imponit, aut verum exaggerat, aut facientis, dicentiſque

tiſque mentem falſo interpretatur, & defert, aut qui verum quidem crimẽ defert mente non bona: is enim quamuis verum dicat, falſum tamen dat teſtimonium, quia contra æternam veritatem Deum facit, qui tali modo proximum accuſari vetat.

Honorare omnes homines.

1. Petri 2. Tob. 4.

Cum honor excellentiæ cauſa deferatur, magnæ virtutis & cãdidi animi eſt, de omnibus bene ſentire, omnes homines in pretio & honore habere, immo omnibus ſe inferiorem æſtimare.

Et quod ſibi non vult, alij non faciat.

Ad Celantiam epiſt. 20. vetus ſcriptura.

Hæc ſententia (inquit D. Hieronymus) ad totius iuſtitiæ breuiarium dominico ore profertur. Cuius præcepti vires exprimens iungit ac dicit: *Hæc eſt enim lex & Prophetæ.* Infinitæ, uamque ſunt ſpecies parteſque iuſtitiæ, quas omnes vna & breui ſententia, comprehẽdit dicens. Quotieſcumque enim talem in alterum habueris animum, qualem in te ab altero ſeruari cupis, ęquitatis viam tenes. Quoties vero talis erga alterum fueris, qualem in te vis neminem, iura iuſtitiæ dereliquiſti.

Abnegare ſemetipſum ſibi, vt ſequatur Chriſtum.

Lucæ 9.

Seipſum ſibi abnegat qui vſum rationis à ſenſibus exterioribus abducit & auertit, qui non permittit hominem ſuum interiorem ſequi exteriorem, ſed vice verſa. Et hoc eſt ſequi Chriſtum, qui omnia dura & incommoda ſenſibus ſuis obtulit, & commoda negauit. *Si quis* (inquit) *vult poſt me* Matth. 16.

venire

venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

1. Cor. 9.

Corpus caſtigare.

Non dicit corpus abſtinentia enecare aut debilitare, aut inutile reddere, vigilijs alijſque laboribus vel afflictionibus immoderatis, ſed ita domare, ita fræno abſtinentiæ, vigiliarum, alijſque diſciplinæ generibus continere, vt ſpiritui non modo non reluctetur, ſed promptiſſimè ei ad omnia obtemperet & ſeruiat, ad quod Apoſtolus nos hortatur

Rom. 12. dicens: *Rationabile obſequium veſtrum.*

1. Tim. 5. & 1. Pet. 2.

Delitias non amplecti.

Quia quomodo ignis & aqua ſimul eſſe non poſſunt (inquit Bernardus) ita & ſpirituales & car-

Epiſt. 2. nales delitiæ in eodem ſe non patiuntur. Vbi crapulam ructantis inter pocula ſenſerit Chriſtus, vina ſua dulciora ſuper mel & fauum menti propinare non dignatur. Vbi curioſa ciborum diuerſitas, vbi diuitis ſupellectilis diſcolor varietas oculos pariter paſcit & ventrem, cœleſtis panis ieiunam deſerit mentem.

Ioel. 1. & 2.

Ieiunium amare.

Multi ieiunant, qui ieiunium non amant, quia eius virtutem neſciunt, quia ipſum animæ medicamentum, arma militiæ ſpiritualis eſſe ignorant.

Ieiunium diabolo murus. Murus quidam eſt Chriſtiano ieiunium (inquit Ambroſius) inexpugnabilis diabolo, intranſgreſſi-

Serm. 25. bilis inimico. Quis enim vnquam Chriſtianorum

Ieiunij laus. ieiunauit, & captus eſt? quis ſobrius manſit, & vi-

ctus

ctus eſt. Temulentum aggreditur diabolus, luxurioſum oppugnat inimicus. Vbi autem ieiunium viderit, fugit, metuit, pertimeſcit, terretur pallore, eius debilitatur inedia, infirmitate proſternitur. Et iterum. Quantum carni ciborũ ſuccus ſubtrahitur, tantum animę iuſtitiæ virtus augetur.

Pauperes recreare. Eccl. 4.
Nudum veſtire. Iſai. 58.
Infirmum viſitare. Eccleſ. 7.
Mortuum ſepelire. Tob. 1. & 2.
In tribulatione ſubuenire. Eccleſ. 6.
Dolentem conſolari. 1. Theſſ. 5.

Quoniam nihil æquè Dei gratiam prouocat atque miſericordia, *Beati* enim *miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur* ? ideo ſanctus Benedictus diſcipulis ſuis opera miſericordię commendat, quæ in duplici ſunt genere; dum alia numerantur ſeptem corporalia, alia ſeptẽ ſpiritualia, quæ quidem omnia quamuis S. Pater expreſſè nõ poſuerit, implicitè tamen omnia compræhendit. Quod ſic planũ fieri poteſt: quia duo corporalia explicitè ponuntur, ſcilicet veſtitio nudi, & ſepultura mortui. Tria alia, ſcilicet cibatio famelici, potatio ſitibundi, & hoſpitalitas ſub recreatione pauperum intelliguntur. Et poſtremò ſub infirmorum viſitatione comprehenditur & captiui redemptio. Atque ita ſeptẽ opera miſericordię corporalia hic habemus. Septem quoque ſpiritualia ſic inueniũtur. Quia ſub illo : *In tribulatione ſubuenire*, continentur hæc tria, correctio fraterna, conſilium Matt. 5.

dubi-

dubitanti, & doctrina, ignoranti, tempore & loco præſtita. Deinde ſub quarto, quod eſt, Conſolari dolentem ſeu mæſtum, intellige præterea tria reliqua ſcilicet Tolerãtiam iniuriarum, Remiſſionem offenſæ, & Orationem pro ſalute proximi.

Iacobi 1.

A ſæculi actibus ſe facere alienum.

Actus ſæculi.

Actus & occupationes ſæculi ſunt comedere, dormire, plantare, agros colere, domos ædificare, mercari & ſimiles, ſine quibus hæc vita nõ degitur. Quibus in quantum quiſque ſeruit, quamuis ſpiritualis, quamuis ſanctiſſimus, in tantũ eſt filius huius ſæculi: quia id quod huius ſæculi, & huius temporis eſt, exercet & agit. Quoniã verò hæc abſolutè neceſſaria ſunt ad hanc vitam, ideo S. Benedictus non vult vt religioſus ab his omninò ſe abſtineat, hæc penitus abijciat, & contemnat, ſed, vt quã poteſt, modicè in his occupetur, vt quam patitur extrema neceſſitas, parcè & ſobriè his vtatur, atq; adeò vt ab his alienus ſit, hoc eſt, vt inuitus quodãmodo, & cũ quadam animi reluctatione ad hęc accedat. *Nemo militãs Deo* (inquit Apoſtolus) *implicat ſe negotijs ſæcularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit.* Magno enim impedimento eſt, quieti & perfectioni ſpiritûs occupatio ſæcularis. Quoniam quemadmodũ nemo ſine puluere aut luto in terra ambulat: ita in his nemo aut rarus vel ſine leuibus peccatis verſatur. Quod nec Seneca ignorauit: omnia impedimenta, (inquit), dimitte, vaca bonæ menti, nemo ad illam peruenit occupatus. Ideo varijs ſanctorũ exemplis paſſim apud ſacros ſcriptores obuijs patet, quàm longe à ſæculi actibus receſſerunt multi, qui perfectionem & animi in Deo diuiniſque ſtabilitatem

2. Tim. 2.

ſectati

ſectati fuerunt: quam ſobriè cibum, ſomnum, aliaque vitæ neceſſaria cæperunt, quam ægrè ad hæc acceſſerunt, verbi gratiâ, ad menſam quidem tanquam ad tormentum. Sanctus Arſenius omnes noctes inſomnes ducens, & ſub diluculo pro naturæ neceſſitate paululum quieturus, ſic ſomnum compellabat: Veni, inquit, male ſerue. Quam inſipido & vili cibo plerique ſanctorum victitarint, ne fortè cibi ſuauitas inſidians & ſeducens ſaturitatem induceret? Ita pater noſter Bernardus quidquid comedentem delectabat id tãquam venenum arbitrabatur. Quam hominũ conſortia abhorruerunt & vitauerunt, ſolicitudinem petiuerunt & in ſpeluncis & cauernis ſeſe abdiderunt &c. Et quorſum hæc omnia? vt à ſæculi actibus alieni, Deo diuiniſque rebus certiùs & conſtantiùs vacarent. *Arſenius ſomnum fugit.*

Nihil amori Chriſti præponere. *Matth. 5.*

Hoc enim poſtulabat rectus ordo charitatis, vt Deus diligatur ſuper omnia, nihil autem æquè, nec propria quidem vita. Quem ordinem probè proſecuti ſunt & tenuerunt SS. Martyres, qui vitam pro Dei honore prõptiſſimè profuderunt. Quis ergo veſtem, quis cibum, quis diuitias, quis honores, quis voluptates &c. pro Chriſti amore non propensè contemnat, & abijciat?

Iram non perficere. *Matth. 5.*

Iracũdiæ tẽpus non reſeruare. *Epheſ. 4.*

Non ſubito & inconſideratè ruere ad id, quod

 cęca

cæca iræ commotio ſuadet, quia *ira viri iuſtitiam*
Iacob. 1. *Dei non operatur*, neque in futurum vindictæ opportunitatem captare & expectare; ſed iuxta Apoſtolum: *ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram.*
Epheſ. 4.

Pſal. 14.
Dolum in corde non tenere:
Rom. 12.
Pacem falſam non dare.

Nec fictum nec animo duplicem eſſe, ſed verbis factiſque animi ſententiam palam oſtendere, nec pacis nomine, amicitięque iudicijs, dolum, malum atque inſidias tegere; quemadmodum ille cui Chriſtus: *Iuda*, inquit, *oſculo filium hominis tradis?* quaſi dicat, palam pacem ſimulas, occultè inſidiaris, mortem mihi Domino tuo meditaris & moliris?
Luca 2.

1. Petri 4.
Charitatem non derelinquere.

Iſtud inſtrumentum cauſa eſt antecedentium: quia qui proximum diligit, non eum percutit iræ motibus, non illi vindictam ſeruat, non dolosè eum circumuenit, nec fictam ei dat pacem.

Matth. 5.
Non iurare ne forte periuret.

Quid eſt *Iurauit Dominus*? (inquit Auguſtinus) ergo Dominus iurat qui prohibet hominem à iurando? an forte ideo magis hominem prohibet à iure iurando ne in periuria prolabatur, & ideo Deus magis iurat quia non poteſt eſſe periurus? Homo enim qui per conſuetudinem iurandi poteſt
Auguſt. in Pſal. 109.

poteſt lingua in periurium prolabi, bene prohibetur iurare. Tanto enim longius erit à periuris, quanto erit longius à iurando. *Periculoſum eſt iuramẽtũ homini.*

Veritatem ex corde & ore proferre. *Pſal. 14.*

Id eſt, os & vox cordi conſonet. Nonnulli enim, (inquit D. Auguſt.) habent veritatem in labijs & in corde non habent. Tamquam ſi aliquis doloſè oſtendat viam ſciens in ea eſſe latrones, & dicat: ſi hac iueris, à latronibus tutus eris, & contingat vt verè ibi latrones non inueniantur, verum ille locutus eſt, ſed non in corde ſuo; aliud enim putabat, & neſciens verum dixit, ergo parum eſt verum loqui, niſi etiam in corde ita ſit. *In Pſal. 14.*

Malum pro malo nõ reddere. *1. Theßal. 5.*

Apoſtolus: *noli inquit vinci à malo, ſed vince in bono malum*, id eſt iniuria & malitia alterius non te ad impatientiam impellat: ſed tu potius hoſtem tuum bonitate tua vince & à mala voluntate auerte, cibando, ſcilicet, & potando eum. *Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*, quaſi dicat, videns inimicus te beneficium reddere pro malefacto, à mala mente diſcedet verecundus, & mutuo amore accendetur. *Rom. 12.*

Iniuriam non facere, ſed factam patienter ſufferre. *1. Cor. 6.*

Qui enim iniuriam facit, ſe ante grauiſſimè

lędit quam alteri nocere poſſit. nam ipſa nocendi volũtate coram Deo occidit animam ſuam, perdit æternam vitam, & reum ſe ęternę mortis cõſtituit. Coram hominibus vero (inquit Chryſoſtomus) dedecore & infamia ſe notauit, & multorum aduerſus ſeipſum aperuit ora, talique in iniuriam patienti maiores ſubtexuit coronas, & multos patientiæ, ac magnanimitatis tuæ conſtituit præcones. Merito proinde iniuria ferenda eſt. De quo idem Chryſoſtomus: Illa, inquit, fulgentiſſima victoria eſt, quâ iniuriam inferentem patiendo ſuperaſti. Sic ſcopuli fluctibus cæſi facile ipſos diſſoluunt: ſic & ſancti præclaro omnes coronati præconio, trophæa pręclara ſtatuerunt, hanc victoriam laboris expertem conſecuti: nõ enim luctari te aut laborare oportet, Deus tibi eas vires conceſſit, vt non manuum concertione ſed patientia vincas &c.

Hom. 62. in Matt. — *Hom. 85. in Matth.*

Luca 6. — *1. Pet. 3.*

Inimicos diligere.

Maledicentes ſe non remaledicere, ſed magis benedicere.

Mat. 7.

Audiſtis (inquit Chriſtus) *quia dictum eſt: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Hoc intelligi debet dictum à Scribis & Phariſæis ſcripturam corrumpentibus. nuſquam enim hoc è ſcriptura colligi poteſt: quia omnis homo, etiã inimicus eſt proximus, ac propterea diligendus. Errorem igitur Scribarum & Phariſeorum corrigẽdo Chriſtus dicit: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro*

Error Iudæorum de odio inimici.

te pro perſequentibus & calumniantibus vos (ecce dice dilectionem, ecce benedictionem) *vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Si enim diligitis eos, qui diligunt vos, quam mercedem habebitis? & ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? nonne & ethnici hoc faciunt? eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.*

Perſecutionem propter iuſtitiam ſuſtinere. Matth. 5.

Beati qui perſequutionem patiũtur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Omnis virtus eſt iuſtitia. Beati igitur sũt, & regni cælorum hæredes non tantum martyres, qui pro fide & veritate chriſtiana ſanguinem & vitam præfuderũt; ſed quicumque in corpore, in fama, in bonis externis, v. g. verbera, obloquia, detractiones, inuidiam, iniuriam, & quæcumque alia aduerſa tolerat cauſa virtutis, quã vel ab alijs fieri cupit, ſuadendo, monẽdo, corrigendo, vel quæ ipſe fecit, vel quæ ipſe defendit & probat. Sed multi ſunt qui perſecutionem patiuntur, v. g. vituperia, obloquia, verbera, bonorum prę́ſcriptionem, ſuſpendium &c, ſed propter ſuam iniquitatem, non propter iuſtitiam; ac propterea nec beati. De quibus Sanctus Petrus Apoſtolus: *Nemo veſtrũ patiatur vt homicida aut fur, aut maledicus aut alienorũ appetitor: hæc eſt,* inquit, *gratia, ſi propter Dei cõſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè. Quæ enim eſt gloria ſi peccantes & colaphiſati ſuffertis? ſed ſi benefaciẽtes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum.* 1. Petri 4. 2. Pet. 2.

Tob. 4.

Non eſſe ſuperbum.

Superbia eſt inordinatus amor propriæ excellentiæ. Huius quatuor ſunt ſpecies. Prima quãdo quis gloriatur de bono quod non habet, vel gloriatur ſupra menſuram & dignitatem boni quod habet: vel è contra, negat malum ſuum, aut falſo illud extenuat. Secunda quando aliquis gloriatur de bono quod quidem habet, ſed ita quaſi id à ſe, ac ſua ſolius ſapientia, ſuiſque viribus acquiſitum, non à Deo haberet. Tertia quando agnoſcit quidẽ à Deo ſe accepiſſe, at velut ſuis meritis, ſibique debitũ. Quarta quãdo deſpectis cæteris ſingulariter videri appetit habere quod habet. De his quatuor ſuperbiæ ſpeciebus vide D. Gregorium lib. 23. Moralium cap. 7. Eſt autem omnis ſuperbia de bonis & donis externis grauis, de naturalibus grauior, de ſupernaturalibus & gratiæ donis grauiſſima. Multo deformior eſt illa ſuperbia, quæ ſub quibuſdam humilitatis ſignis latet. Nihil autem ſuperbia intolerabilius, in religioſo humilitatis profeſſore.

Numerãtur ſpecies ſuperbiæ.

Hier ad Celantiam Epiſt. Vetus ſcriptura.

1. Tim. 3. *Non vinolentum.*

Eccleſ. 37. *Non multum edacem.*

Prou. 20. *Non ſomnolentum.*

Rom. 12. *Non pigrum.*

Hæc quatuor inſtrumenta coniunximus, quia duo priora quę ad gulam pertinent, ſequentium ſunt cauſa. Gaſtrimargia enim, nimiaque cibi & potûs

potûs ingluuies hominem reddit non ſolum pigrum & ſomnolentum, verum etiam ad omne opus bonum, ineptum, & ad omne malum, propenſum. Quod quoniam tam ſacræ ſcripturæ auctoritate, quam ſanctorum patrum doctrina, tam ethnicorum philoſophorum ſententijs quam rationis dictamine, & ipſa experientia euidens eſt, id pluribus probare, breuitatis cauſa, deſinimus.

Non murmurioſum. 1. Cor. 10.

Murmuratio eſt contradictio oſtendens ſecretò murmuris indignationem. Eſt autem multiplex, alia enim eſt malignitatis qua quis murmurat, contra dicta vel facta bonorum ea vituperando. Quemadmodum Scribę & Phariſæi murmurabant de Chriſto, quod edebat cum peccatoribus. Alia eſt impatientiæ in aduerſis. Sic ortum eſt murmur populi, quaſi dolentium præ labore contra Dominum. Alia eſt elationis & inuidiæ. Sic Chore, Dathan & Abiron murmurauerunt contra Moyſen, & Aaron inuidentes ipſis pręfecturam ac dignitatem, ac eam ſibi ambientes. Alia eſt gulæ vel alterius cupiditatis. Vt: *Si vero non fuerint ſaturati, murmurabunt* &c. Hæc & ſi quæ alia ſint murmurationis genera ſummopere religioſus cauere debet: quia quam noxia ſint, ex ipſa punitionis grauitate clarè intelligi poteſt.

Murmuratio multiplex. *Luca* 5. *Num.* 10. *Num.* 16. *Pſal.* 58.

Non detractorem. Sap. 1.

Detractio eſt alienæ famę occulta & iniuſta denigratio ſeu violatio. Ita ſcilicet vt in audientis

 animo

animo iã minor ſit exiſtimatio eius cui detrahitur quam antea fuit. Fit autẽ octo modis. Primò imponendo falſum crimen, ſecundo amplificando crimen verum. Tertiò pandendo crimen occultum. Quartò ſiniſtrè interpretando alterius factum. Quintò negando rectè facta vel dotes alterius. Sextò ea extenuando. Septimò tacendo bona alterius eo loco & tempore, quo tuum ſilentium alij interpretabantur tacitam vituperationem. Octauò ſimulanter & frigidè laudando: vt quando quis ſimulat ſe velle laudare aliquem & tamen nihil adfert laude dignum. Peius eſt enim (ait quidam) frigidè laudare quã aperte reprehendere. Hoc peccatum peſſimum eſt & fraternæ charitati inſidiatur. Lingua enim detractoris, (inquit D. Bernardus,) merito vipera eſt, quæ læthaliter tres inficit vno flatu, lancea quę tres vno ictu penetrat. Eſt lancea non minus crudelis quam quę Chriſti latus confodit, quia hæc etiam Chriſti corpus fodit, non exanime, ſed viuum &c. Vide ibi plura de pernitie detractionis.

Octo modi detrahendi.

Serm. de triplici cuſtodia.

Pſal. 72.

Spem ſuam Deo committere.

In quacumque re & negotio non in ſe, non in ſua ſapientia, non in ſuis viribus, amicis, diuitijs, nec in vlla re creata; ſed in Deo ſolo, in eius prudentia, in eius bonitate & virtute omnem fiduciam ponere, magnæ ſecuritatis eſt, &, *ſperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quęrentes te Domine.* Qui nouit quod Deus vocatur pater, & propterea tanquam filius eum honorat; & qui nouit Deum nominari & eſſe Dominum, & propterea ei tanquam ſeruuus fidelis miniſtrat,

Pſal. 9.

is non

is non temere: ſed merito confidit, quod Deus omni loco & tempore ſic eum cuſtodiat, & diligit ſua gratia in præſenti vita, vt gloria ſua remuneret & coronet in futura.

Bonum aliquid in ſe cum viderit, Deo applicet, non ſibi. 1. Cor. 4.

Malum verò à ſe ſemper factum ſciat, & ſibi imputet. Oſe. 13.

Confiteri Deum auctorem omnis boni debemus: *Quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum*: & vice verſa hominem omnis mali ſibi auctorem iuxta Oſeam dicentem: *Perditio, tua, Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum*, ideſt, vt pereas, inquit Bernardus, imputa tuo merito, vt ſalueris, meo auxilio. Atque hæc veræ humilitatis confeſſio eſt, & Deo gratiſſima. Iacob. 1. Oſe. 13.

Diem iudicij timere. Luca 12.

Gehennam expaueſcere. Matth. 10.

Vitam æternam omni concupiſcentia ſpirituali deſiderare. Phil. 1.

Mortem quotidie ante oculos ſuſpectam habere. Matth. 24.

Hæc ſunt quatuor hominis nouiſſima, quorũ ſemper meminiſſe præſentiſſimum remedium contra omne peccatum eſt, dicente ſapiente: *In omnibus*

Eccleſ. 7. *omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua, & in æternum non peccabis.*

Deut. 4.

Actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodire.

Serm. de triplici cuſtodia.

Vigilemus, inquit Bernardus, ſuper opera noſtra fratres, ne vel omittamus quod præceptum, vel quod prohibitum eſt, committamus.

Prouerb. 5.

In omni loco Deum ſe reſpicere pro certo ſcire.

Coram Deo eſt omnis peccans.

Hoc quam ſit validũ peccati frænum, & quã aptum bonorum operum incitamentum, & inſtrumentum, nouit ille qui meminit quam malit vnuſquiſque noſtrum opus laude quam ignominia & vituperio dignum in cõſpectu magnatum & honeſtorum virorum committere. Si enim coram hominibus id, quod dedecet, agere veremur, & id quod bene facimus, omnibus notũ cupimus: maiore certè ratione ſummo Deo & iuſtiſſimo iudici mala abſcondere, & bona noſtra oſtendere conabimur. Vnde D. Baſilius: Quis eſt, inquit, alterius poteſtati ſubiectus qui in oculis principis ſui aliquid auſurus ſit vmquam eorum quę ipſi non placent?

In Reg. cap. 29.

Pſal. 136.

Cogitationes malas cordi ſuo aduenientes mox ad Chriſtum allidere, & ſeniori ſpirituali pateſacere.

Prouerb. 16.

Cogitationes noſtras non negligere, ſed cautè & ſollicitè obſeruare debemus: quia mala cogitatio,

tio, peccati initium eſt, nam ante ruinam præceſſit mala cogitatio, ait Sapiens. Et propterea tanquam virus animam inficiens & interficiens, euomere & eijcere aduenientem ſtatim debemus. *Beatus enim vir qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram*, id eſt, qui naſcentes malas cogitationes tenebit & cohibebit ne vires ſumant, & creſcant, ſed ſtatim allidet & conteret ad petram Chriſtum, id eſt memoria paſſionis & innocentiæ Chriſti eas diſſipabit, cogitando, ſcilicet, quam indignum ſit hominem chriſtianum, atqueadeo religioſum tales in animo fouere cogitationes, ad quas exſtinguendas, & ex memoria noſtra profligandas, Chriſtus tam acerba ſuſtinuit v. g. vincula, verbera, opprobria, crucem, mortem. Alterum antidotum & conuenientiſſimum remedium malarum cogitationum ponit S. Benedictus, ſcilicet vt patri ſpirituali aperiantur. Quia inimicus noſter (inquit ſanctus Pater Ignatius Societatis Ieſu primus Inſtitutor) morem inſequitur nequiſſimi cuiuſdam amatoris, qui puellam honeſtorum parentum filiam, vel vxorem viri alicuius probi volens ſeducere, ſummopere procurat, vt verba & conſilia ſua occulta ſint, nihilque formidat magis ac ægrè fert, quam ſi puella patri ſuo, vel vxor marito, ea patefaciat: cũ ſciat hoc pacto de votis & conatibus ſuis actũ eſſe. Ad eundẽ modũ obnixe ſatagit diabolus, vt anima quã circũuenire cupit ac perdere, fraudulentas ſuas ſuggeſtiones teneat ſecretas. Indignatur vero maxime & grauiſſime cruciatur ſi cui vel confeſſionẽ audiẽti, vel ſpirituali homini molimina ſua detegantur, à quibus ita excidere ſe funditus intelligit. Hæc ille. Imo S. Antonius ſuadebat

Pſal. 136.

Reg. 13. de diſcernentibus ſpiritibus.

ſuadebat ad curationem omnis peccati & malæ cogitationis, vt nō tantum vni ſeniori ſecretè aperiatur, ſed manifeſte omnibus: dicebat enim, (inquit D. Athanaſius) magnam eſſe ad virtutem viam, ſi ſinguli vel obſeruarent quid gererent, vel vniuerſas mentium cogitationes fratribus referrent. Non enim poſſe aliquem peccare, cum relaturus eſſet ad alium quæcumque peccaſſet, & ſubire pudorem in publicum turpia proferēdi. Vide S. Baſilium in ſermone de inſtitutionibus monachorum ſub finem hanc publicam confeſſionem à Monachis quoque exigentem. quin etiam hodie hæc publica ſecretorum & cogitationum confeſſio apud certos religioſos noſtri temporis in vſu eſſe dicitur.

In vita S. Antonij.

Pſal. 33. *Os ſuum à malo, vel prauo eloquio cuſtodire.*

Eccleſ. 32. *Multum loqui non amare.*

2. Tim. 2. *Verba vana aut riſui apta non loqui.*

Hæc tria inſtrumenta vetant vitia linguę, & alterum ex altero naſcitur, nam vana & ridicula verba, quia oblectant & audientem & loquentem, continuantur, & fit multiloquium; *in multiloquio autem* (inquit ſapiēs.) *non deerit peccatum*, ſed malum & prauum committetur eloquium.

Prou. 10.

Eccleſ. 21. *Riſum multum, aut excuſſum non amare.*

Non

Non omnis, ſed immoderatus riſus interdicitur, quia homo natura riſibilis eſt. Diſcamus proinde licitè ridere à ſancto Malachia: de quo ſic pater noſter Bernardus: Riſus eius, inquit, indicans charitatis, aut prouocans, rarus tamen & ipſe. Equidem interdum eductus, excuſſus nunquam, qui ita nuntiaret cordis lætitiam, vt ori gratiam nō minueret, ſed augeret. Tā modeſtus vt leuitatis non poſſit eſſe ſuſpectus: tantillus tamen vt hilarem vultum ab omni triſtitiæ næuo vel nubilo vindicare ſufficeret. *Riſus ſit moderatus.* *In ſerm. qui ponitur poſt vitam S. Malachiæ.*

Lectiones ſacras libenter audire. *Lucæ 11.*

Illud quam ſit aptum bonorum operū inſtrumentum & incitamentum nemini dubium eſt: quum quotidianis exemplis conſtet, quam multi tum ſacrorum librorum lectione, tum ſanctarum concionum auditione ad ſaniorem mentem, & bonę vitæ frugem redeant.

Orationi frequenter incumbere. *Coloſſ. 4.*

Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo. quia multum valet deprecatio iuſti aſſidua. Omnia enim quæcumque poſtulaueritis in oratione credentes, (inquit Chriſtus) *accipietis.* Bona proinde, quæ animus rectè & piè deſiderat, hæc deuota & conſtans oratio à Deo impetrat. *Iacob. 1. & 5.* *Matth. 21.*

Mala

Pſal. 6.

Mala ſua præterita cum lachrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipſis malis de cætero emendare.

Oratione de obitu Valentiani.

Plurimi ſunt (inquit D. Ambroſius) qui ſe à peccatis iuuentutis in ſenectute reuocare potuerunt: rarius autem qui in iuuentute graue iugum ſeria ſobrietate portauerint. Nihil igitur peccare, (inquit idem) ſolius eſt Dei, emendare, ſapientis eſt & corrigere erratum, & pænitentiam gerere peccati.

Gal. 5.

Deſideria carnis non perficere.

Rom. 13.

Carnis curam ne feceritis in deſiderijs (inquit Apoſtolus) non vult negligi curam carnis, ſed carnē vult nutriri, vt ſpiritui ſeruire poſſit: ſed ſenſuum voluntatibus obſequi & ſeruire vetat.

Eccleſ. 18.

Voluntatem propriam odire.

Serm. 3. Paſcha.

Quæ dicitur propria voluntas.

Voluntatem dico propriam (inquit Bernardus) quæ non eſt communis cum Deo & hominibus, ſed noſtra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratris, ſed propter noſmetipſos facimus non intendentes placere Deo, & prodeſſe fratribus, ſed ſatisfacere proprijs motibus animorum. Huic cōtraria eſt recta fronte charitas, quæ Deus eſt. Eſt enim aduerſus Deũ inimicitias exercens & guerram crudeliſſimam. Quid enim odit aut punit Deus prçter propriam voluntatem? Ceſſet voluntas

luntas propria, & infernus non erit. Hęc & plura D. Bernardus. Merito proinde odio habenda eſt propria voluntas, quæ ſola ad infernũ trahit. *Heb. 13.*

Præceptis Abbatis in omnibus obedire: etiamſi ipſe (quod abſit) aliter agat. Memores illius Dominici præcepti: Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite. *Matth. 23.*

Quia nimirum obediendo malo abbati, in bono tamen & licito, Deo ſeruitur non homini (inquit D. Auguſtinus) & iſtud inſtrumẽtum quam ſit fœcundum bonis operibus, patet: cum in omni loco & tempore ferè obuia ſunt religioſo, & præſentia præcepta, vel ſaltẽ volũtas Abbatis ſui. *In Pſ. 124.*

Non velle dici ſanctum antequam ſit, ſed prius eſſe, vt verius dicatur. *Matth. 6.*

Neceſſe eſt nomen ſanctitatis in hac vita recuſare, quia hominis ſtatus inconſtans eſt & mutabilis; & facile etiam homo iuſtus & ſanctus diſcedit à iuſtitia ſua. *Neſcit enim homo* (inquit Sapiens) *vtrum amore, an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* In futuro autem ſæculo cùm ad portum ſalutis appulerit, certæ & ſecuræ ſanctitatis nomen & honorem admittet. *Eccleſ. 9.*

Præcepta Dei factis quotidie adimplere. *Eccleſ. 6.*

Iſtud

Iſtud plurimorum bonorum quoque operum inſtrumentum eſſe poteſt: quia in omni noſtra vita præcepta Dei vſum & locum habent: quia quidquid facit homo, bonum eſt aut malum: ſi bonum eſt, præcepto Dei fit, ſi malum, aut contra aut prçter præceptum Dei fit; quia nihil agit homo quod præcepta Dei non attingunt, quia fit vel ex præcepto Dei, vel contra præceptum.

1. Tim. 5.

Caſtitatem amare.

Amor caſtitatis quam ſit bonorum operum fœcundus, ſatis oſtenderunt ſancta Agnes, Agatha, & aliæ ſanctæ virgines, quæ amore caſtitatis grauiſſimum martyrij certamen ſuſtinuerunt, & coronam æternæ gloriæ conſecutæ ſunt.

Leuit 19.

Nullum odire.

Iacobi 3.

Zelum & inuidiam non habere.

Differentia odij & inuidiæ.

Odium appetit malum proximi, quia malũ; & eo duntaxat fine vt ei ſit malè. Proximo enim male eſſe, apprehendit tanquam bonum ſuum. Inuidia autem dolet de bono alterius, quatenus id aliquo modo propriam excellentiam videtur obſcurare. Vnde deſiderat illi malum, nempe iſtius boni priuationem, vt ſuam exiſtimationem & excellentiam illibatam conſeruet; ac proinde affectu proprij boni mouetur. vnde lenior eſſe intelligitur inuidia, quam odium, quia illa eſt in affectu proprij boni, hoc eſt in affectu mali proximi. Zelus autem, inquit D. Thomas, triſtatur de bono alterius, non ex eo quod ipſe habet bonum,

2. 2. q. 63. art. 2.

num, ſed ex eo quod nobis deeſt bonum illud, quod ipſe habet. Et ſi zelus iſte ſit circa bona honeſta, eſt laudabilis ſecundum illud: *Æmulamini ſpiritualia*. Si autem ſit de bonis temporalibus, aliquando eſt cum peccato, aliquando eſt ſine peccato. Zelo igitur vitioſo odio & inuidia carere bonorum operum inſtrumenta & ſubſidia ſunt. 1. *Cor*. 14.

Contentionem non amare. 2. *Tim*. 2.

Contendere eſt (ait D. Thomas) contra aliquẽ tendere. Vnde ſicut diſcordia contrarietatem quandam importat in voluntate: ita contentio contrarietatem importat in locutione. Quæ ſi ſit pro defendenda veritate cum modo, perſonis, & cauſis congruente, laudabilis eſt: ſin contra veritatem, aut ſine modo debito, vitioſa & mala eſt. Hanc Apoſtolus vetat. *Noli*, inquit, *verbis contendere. Et ſi quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*. 2.2. q. 38. a. 1. *Diſcordia contentio*. 2. *Tim*. 2. 1. *Cor*. 11.

Elationem & iactantiam fugere. *Pſal*. 130.
Seniores venerari. *Leuit*. 19.
Iuniores diligere. 1. *Tim*. 5.

Elatio qua homo proprio iudicio ſupra mẽſuram ſuę paruitatis extollitur, prima in animo oritur, hinc ad linguam procedit, & fit iactantia. Hanc qui fugit, omnium peccatorum radicem amputauit (*quia initium omnis peccati ſuperbia*) & fundamentum virtutum humilitatem poſuit. Humilis autem Senes veneratur, eoſque ſibi præ-

Senectus honorabilis. ferendos iudicat. Eſt enim apud omnes gentes honorabilis ſenectus; quia nimirum ſenectus, vt *Lib. 1. Hex. cap. 8.* ait D. Ambroſius, ipſa in bonis moribus dulcior, in conſilijs vtilior, ad conſtantiam obeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior. Deinde qui elationem depoſuit & demiſſo eſt animo, is quoque iuniores ſuos diligit quos elatus faſtidire & deſpicere ſolet.

Matt. 5.

In Chriſti amore pro inimicis orare.

Qui pro inimicis orat, is in Chriſti amore orat: quia Chriſtus in Cruce pro inimicis orauit dicẽs: *Luc. 23.* *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Et Protomartyr Stephanus exemplo Chriſti poſitis ge- *Act. 7.* nibus voce magna clamauit: *Domine ne ſtatuas illis* *Ser. 254. de tempore.* *hoc peccatum.* Deus (inquit Auguſtinus) dura iuſſit *Matt. 5.* ſed magna promiſit. Quæ dura iuſſit? *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos. Dura ſunt, ſed propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.* Ecce dura iuſſit, amara iuſſit. Vide quæ promiſit. *Orate pro perſequentibus vos, vt ſitis filij patris veſtri qui in cœlis eſt.* Si tibi diceret, Ora pro inimico tuo, vt ſis filius patris tui, ne exhęredet te pater carnalis, quia hoc tibi relicturus eſt quod huic non eſt ablaturus, timeres & faceres: promittitur tibi pro his duris vt ſis filius altiſſimi, cogita patrem & agnoſce hæreditatem.

Epheſ. 4.

Cum diſcordantibus ante ſolis occaſum in pacem redire.

Eſt doctrina Apoſtoli dicentis: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Et Abbas Agathon ſolebat

bat dicere: Nunquam litem habens cum aliquo dormiui: ſed nec permiſi aliquem mecum litem habentem dormire, quantum ad virtutem meam pertinuit, niſi prius cum illo in pace reuerterer.

Et de Dei miſericordia nunquam deſperare. Pſal. 51.

Quoniam Dei potentia, Dei bonitas & miſericordia ſuperat omnes res humanas, vincit omnem hominis miſeriam & malitiam; ideo in nullo caſu, quantumcunque deplorato, in nulla re quãtumcumque afflicta deſperare licet: ſed ſemper ſperandum eſt quod Deus rebus noſtris profligatis & inclinatis omnipotentia ſua poteſt, & bonitate ſua vult remedium adhibere. Eſt autem ſpes noſtra Deo grata. Quemadmodũ enim qui deſperat, Deo ignominiam facit: ita qui ſperat, Deum honorat. Qui enim ſperat is Deo potentiam & clementiam tribuit; & quidem eo maiorem quò rebus difficilioribus auxilium & remedium ſperat: qui verò deſperat, is durum & inclementem vel impotentem Deum habet.

Hæc ſunt inſtrumenta artis ſpiritualis, quę cum fuerint à nobis die noctuque inceſſabiliter adimpleta, & in die iudicij reconſignata; illa merces à Domino nobis recõpenſabitur quã ipſe promiſit: quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ pręparauit Deus his qui diligunt eum. Iſaiæ 64 & Cor. 2.

Concludit S. Benedictus enumerationem inſtrumentorum artis ſpiritualis, cum oſtenſione mercedis eorum qui hæc diligenter, obſeruarint.

Officina verò; vbi hæc omnia diligenter operemur, clauſtra ſunt Monaſterij, & ſtabilitas in congregatione.

Monaſteriũ officina bonorum operum.

Oſtendit quod monaſterium eſt locus aptus, in quo omnis horum bonorum operum multitudo exerceri & impleri poſſit: ita vt nullius officij charitatis, nullius virtutis exercendę cauſa, nullius meriti acquirendi ratione, neceſſe ſit Monacho egredi Monaſterio, locum ſuum, & ſtabilitatem deſerere, ac foris bene operandi cauſa occaſiones quærere, quæ domi abundant. Quam enim fallax ſit & vana perſuaſio Monachi, quod foris bonorum operum fructus facturus ſit; oſtendit pulchrè D. Bernardus exemplo cuiuſdam, quem, cum in Monaſterio bene viueret, decepit ſpes maioris boni, & deſiderium ſaluandi ſuos qui erant in mundo. Vidi ego, inquit, hominem currentem bene. Et ecce cogitatio: quidni vulpecula fuit? Quãtis inquit bonis, quo ſolus fruor; ſi eſsẽ in patria, poſſem vtique impertiri fratribus & cognatis meis & amicis? Amãt me & facilè acquieſcerent ſuadenti; vt quid perdito hæc? Vado illuc & ſaluo multos ex illis, & me pariter, nec verendum in loci mutatione. Etenim dum benefaciam quid intereſt vbi, niſi quod illuc proculdubio ſatius vbi fructuoſius degam? Quid plura? It, & perit miſer, non tam exul ad patriam quam canis reuerſus

Periculoſũ Monacho egredi clauſtro.
Serm. 64. in Cant.

reuerſus ad vomitum. Et ſe perdidit infælix & ſuorum acquiſiuit neminem. En vna vulpecula, iſta videlicet fruſtratoria ſpes quam habuit in acquiſitione ſuorum. Hæc S. Bernardus. Ideo & Malcho Monacho cogitanti reditum ad patriam vt conſolaretur viduitatem matris ſuæ, dixit Abbas eius: Diaboli tentatio eſt & ſub honeſtæ rei occaſione latent antiqui hoſtis inſidię. Hoc eſt, inquit, reuerti canem ad vomitum ſuum, & ſic multi Monachorum ſunt decepti. Et hoc ad commendationem vitæ monaſticæ multum facit, immo hoc nomine S. Baſilius eam vitæ ſolitariæ præferendam putat, quod in congregatione multorum exoritur & exiſtit occaſio operum charitatis, quæ in ſolitudine deeſt. Et D. Thomas docet, quod ad beatitudinem requiritur ſocietas amicorum. Et Ariſtoteles: Fælix, inquit, indiget amicis, non quidem propter vtilitatem, cum ſit ſibi ſufficiens; nec propter delectationem, quia habet in ſeipſo delectationem perfectam in operatione virtutis: ſed propter bonam operationem, vt ſcilicet eis benefaciat, & vt eos inſpiciens, benefacere delectetur, & vt ab eis benefaciendo iuuetur.

Hier. in vita Malchi.

Baſilius in regulis breuiorius.

1.2.q.44.a.4.

De obedientia diſcipulorum.

CAP. V.

Primus humilitatis gradus eſt obediẽtia ſine mora.

MOuerit fortè aliquem, quod S. Benedictus hic dicit, Obedientiam eſſe primũ humilitatis gradum, cum infra c. 7. timorem ponat primum gradum. Sed videtur S. Benedictus dicere obedientiam primùm humilitatis gradũ non ordine nec abſolutè, ſed primũ inter illos, quos religioſus in Monaſterio exiſtens exercere & aſcendere incipit. Vt minimum duos primos gradus intelligatur iam aſcendiſſe, antequam ad congregationem veniret, & ſe Superiori ſubmitteret. Quod ex B. Bernardi verbis colligi videtur, quibus ait: Notandũ, inquit, quod duo ſuperbiæ gradus vltimi, qui & humilitatis aſcendendo primi inueniuntur, ſicut extra congregationem aſcendendi ſunt, ita in congregatione deſcẽdi non poſſunt. Quod autem ante aſcendi debeant, ex hoc apertè datur intelligi, quod de tertio gradu in regula legitur: *Tertius*, inquit, *gradus eſt vt quis pro amore Dei omni obedientia ſe ſubdat maiori*. Si ergo in tertio gradu ſubiectio collocatur, quę procul dubio fit quando nouitius primò conuentui ſociatur, conſequens eſt quod duo iam tranſcenſi intelligantur. Hæc Bernardus.

Tract. 2. de gradibus humilitatis & ſuperbiæ.

Obe-

Obedientia autem eſt virtus (inquit D. Tho.) quæ propriam hominis voluntatem promptam reddit, ad implendam voluntatem alterius, ſcilicet præcipientis. Obedientia autem dicitur, quaſi obauditio, quod vox & pręceptum Superioris audiatur & admittatur. Fundatur autem obediētia in abnegatione ſui & propriæ voluntatis: quā Euangelium nobis commendat; *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, &c.* Et quamuis hæc abnegatio omnibus Chriſtianis generatim ſit neceſſaria, & omnibus à Chriſto præcepta, præſtatur tamen excellentius & perfectius per obedientiā monaſticam, per quam religioſus non facit quod vult, ſed quod ipſi iubetur. Nam abnegatio hominibus omnibus Chriſtianis communis eſt, qua vnuſquiſque tenetur abnegare ſe in ijs, in quibus caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: ſed in religioſis gradus eſt excellentior, qui ſe & ſuam voluntatem abnegant, non ſolum in ijs, quæ mala ſunt (quod commune eſt omnibus Chriſtianis) ſed in alijs quoque multis, quæ alioquin licitè fieri poſſunt. Et hoc in eum finem vt conſuetudine & habitu ſequendi alienam voluntatem, tanto volūtas magis aliena ſit ab his, quæ vitioſa ſunt, & propriæ voluntatis. Qui enim non poteſt voluntatem ſuam ſequi in licitis, multo faciliùs id aſſequetur in illicitis. Iubemur igitur omnes abnegare noſtram ſeu propriam voluntatem, quæ ſcilicet ex nobis ita eſt, vt ex Deo originem nequaquam habeat: quod enim ſic ex nobis eſt, vanū eſt & vitioſum. Quamuis autem omnes boni Chriſtiani abnegent ſuam voluntatem, quam in ſe habent tanquam ex ſe, tamen vt id plenius præſtetur & perfectius, cōſultiſſimè faciūt ij, qui ſe alijs

Quid obedientia. 2.2.q.104. ar.2.ad 3.

Lucæ 9. Matt 8. Marci 8.

Omnes Chriſtiani debent abnegare propriā voluntatem.

diendi amor incumbit. Ideo anguſtam viã arripiunt, vnde Dominus ait: Anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam, vt non ſuo arbitrio viuentes, vel deſiderijs ſuis, & voluptatibus obedientes; ſed ambulantes alieno iudicio & imperio, in Cœnobijs degentes Abbatem ſibi præeſſe deſiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur ſententiam qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me. Matt. 7. Ioan. 6.

Ille ſolus oſtenditur eſſe idoneus ad obedientiam ſine mora, quem Chriſti charitas ita inflammauit, vt eius cauſa facilè omnia terrena contemnat. Ponit deinde rationes, ob quas nos Religioſi obedientiam ſine mora merito accingamur. Primum ratione debiti, quia ad hanc voto nos adſtrinximus. Secundo quia hæc obedientia liberat à gehenna. Tertio quia via eſt certiſſima & compendioſiſſima ad vitam æternam. Eſt enim magni meriti apud Deum. Longè altioris eſt apud Deum meriti (inquit D. Gregor. propriam voluntatem alienę ſemper voluntati ſubijcere, quam magnis ieiunijs corpus alterare, aut per compunctionem ſe in ſæculari ſacrificio mactare: quia qui perfectè præceptoris ſui volũtatem implere didicit, in cæleſti regno & abſtinentibus & flentibus antecellit. Et D. Baſilius: Præmium, inquit, obedientiæ magis debetur, quam recto fa- Rationes obediendi. L. 6. in l. 1. Reg. cap. 1.

cto

ĉto cum continentia. Cuius rei ratio eſt: quia nihil maius (inquit D. Thomas) poteſt homo Deo dare, quam quod propriam voluntatem propter ipſum voluntati alterius ſubijciat. Et propterea obedientia præſtantiſſima virtus eſt, quia maximum bonum, quod nobis eſt noſtra voluntas, propter Deum contemnimus, Deoque litamus. Quapropter & melior eſſe dicitur obediẽtia, quã victimæ. Quia (inquit D. Gregor.) per victimas aliena caro, per obedientiã propria voluntas mactatur. Deinde ad obedientiam valde nos accendere debet ipſa obedientiæ vis, qua actiones etiã parui momenti, ſi ex voto obediẽtiæ fiant, magni apud Deum meriti exiſtunt; & ſuperant etiã aliquas alias, per ſeipſas excellentiores, ſed liberè & ſine obedientiæ vinculo factas; immò actiones indifferentes, vt ambulare, dormire, &c. quæ per ſe actiones virtutis non ſunt, ſi imperẽtur à maioribus, & ad Dei gloriam ab inferioribus ſuſcipiãtur, vi obedientiæ rationem virtutis induunt. Poſtremo exemplum Chriſti ad obediendum commouere maximè nos debet, *Qui factus eſt obediens Patri vſque ad mortem, mortem autẽ Crucis.* Pro obedientia (inquit Bernardus) non dubitauit mori, & ne obedientiam perderet, perdidit vitam.

2.2. q. 186. ar. 5. ad 5.

1. Reg. 15. Lib. vlt. moral. cap. 2.

Phil. 3. De gradibus humilitatis c. 2. & c. 13. ad milites templi.

Sed hæc ipſa obedientia tunc erit acceptabilis Deo & dulcis hominibus; ſi quod iubetur, non trepidè, non tardè, non tepidè, aut cum murmure, vel cum reſpõſione nolentis efficiatur: quia obedientia quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur.

Ipſe

Ipſe enim dixit: Qui vos audit, me audit, Luca 10.
& cum bono animo à diſcipulis pręberi oportet: quia hilarem datorē diligit Deus. 2. Cor. 9.

Hic notantur cōditiones quæ religioſam obedientiam commendant, eamque Deo acceptam & hominibus gratam reddunt, ſcilicet cæcitas, ne tardè; promptitudo, ne tepidè aut cum murmure; & fortitudo, ne trepidè obediatur. Obedientia enim perfecta debet eſſe cæca, prompta & fortis. Obedientia autem cæca eſt illa quā S. Benedictus vocat obedientiam ſine mora. Cæca enim dicitur dupliciter. Primò ad imperfectiones & vitia Superioris vt hæc non conſideret, nec ob hæc minus ad parendum paratus ſit, ſed ſolum conſideret eum, cuius locum tenet; ad hanc enim quam maximè occulatam eſſe decet: Monet hoc Chriſtus: *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite, ſecundum verò opera illorum nolite facere.* Et Apoſt. *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore; & in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, nō ad oculum ſeruientes*, &c. Si hoc in ſeruis erga Dominos ſuos, multo magis requiritur in Religioſis reſpectu ſuorū Prȩlatorum. Secundò debet eſſe cæca ad rationes præcepti ſcrutandas. Nempe vt non velit ſcire cauſas, cur, quid præcipiatur, non hæreat, non dubitet, non curioſè mandatum examinet, ſed ſtatim & ſine mora reluctantis animi illud ſuſcipiat, ac ſatis ei ſit quod præcipitur & proponitur ab eo, qui locum Dei tenet, nec cōſtat per ſe eſſe illicitū. Hāc conditionē maximè cōmendant Patres, vt Baſilius. Quēadmodū, inquit, paſtori ſuo oues obtēperāt, & viā quācumq;

Conditiones obedientiæ religioſæ.

Obedientia quadā cur cæca?

Matt 23.

Epheſ. 6.

Conſtit. Monaſtica c. 23.

ille vult, ingrediuntur: ſic qui ex Deo pietatis cultores ſunt, moderatoribus ſuis obſequi debẽt, nihil omnino illorum iuſſa curioſius perſcrutantes, quando libera ſunt à peccato. Deinde docet ibidem religioſos ſe debere habere ſicut inſtrumentum in manu artificis quod ſine contradictione ſeruit ei ad omnia. Caſſianus: Hoc præ omnibus, inquit, excole vt ſtultum te ſecundum Apoſtoli ſententiam facias in hoc mundo, vt ſis ſapiens, nihil ſcilicet diſcernens, nihil diiudicans ex his, quæ tibi fuerunt imperata; ſed cum omni ſimplicitate & fide obediẽtiam ſemper exhibeas, illud tantummodo ſanctum, illud vtile, illud ſapiens eſſe iudicans, quidquid tibi vel lex Dei, vel ſuperioris examen indixerit. Et ibidẽ loquens de Monachis Ægypti: Capio Vniuerſa cõplere, inquit, quæ fuerunt ab eo præcepta, tanquam ſi à Deo ſint cęlitus edita, ſine vlla diſquiſitione feſtinant. Laudabilis autem huius obedientiæ exemplum nobis Abraham Patriarcha reliquit. Qui accepto mandato de immolando filio, perinde (inquit Baſilius) ac ſi agnum aliquem eſſet mactaturus, ſic leni tranquilloque animo ſublato obedientiæ iugo ibat vna cum filio, quod iuſſus erat, expleturus, nihil neque in hoc curioſè iudicium Dei perueſtigans, aut ſecũ dequirens: ſed tota in officij ſui conſeruatione mente defixa, ne videlicet vlla in re obedientiam minueret ſuam, luculentam hoc modo reportauit coronam. Qui cæca & hac obedientia ſine mora præditi ſunt, ij vbi imperatum quid fuerit à maiore, nec temporis, nec hæſitãtis aut rationem expoſcentis animi moram faciunt: ſed vicino obedientiæ pede (inquit D. Benedictus) hoc eſt, parato ſemper & ad obedien-

Lib. 4. de inſtit. Monac. cap. 41.

Conſt. Monaſt. c. 23.

obediendum expedito, affectu & deſiderio iuſſionem accipiunt: & quod in manibus erat, vel imperfectum relinquentes, vno momento & iubẽtis voluntatem explent, & boni atque obedientis diſcipuli ingenium atque virtutem oſtendunt. De talibus gratulatur Deus dicens: *In auditu auris obediuit mihi.* Talis fuit Marcus quidam diſcipulus Syluani Abbatis, qui euocante eum Abbate ſuo è veſtigio & ſine mora à cella prodijt. Quo egreſſo, ingreditur cellam Abbas vt magnæ atq; mirabilis eius obedientię indicium aliquod exploret. Inuenit quaternionem quem ſcribebat Marcus (erat enim ſcriptor) & comperit quod in momento quo vocabatur, habebat ſub calamo litteram O, formandam quã audita voce Abbatis ſui obedientiæ cauſa dimidiatam & informem reliquit. Et Abbas Atren cum piſcem cocturus exenteraret, & infixo cultro incideret, vocauit eum Or Abbas dicens: Atren, Atren, ille vero relicto cultello piſci infixo ſtatim accurrit, non reſpondens: Exſpecta donec incidero piſcem. Eorum autem ingenium & mores qui hac obedientia carent, ſic graphicè & luculenter depingit S. Bernardus. Imperfecti cordis, inquit, & infirmæ prorſus voluntatis indicium eſt, ſtatuta ſeniorum ſtudioſius diſcutere, hærere ad ſingula quę iniunguntur, exigere de quibuſque rationem, etiam male ſuſpicari de omni præcepto cuius cauſa latuerit, nec vnquam libenter obedire, niſi cum audire contigerit quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere ſeu expedire demonſtrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata ſatis immo nimis moleſta eſt eiuſmodi obedientia. Non planè hæc illa eſt quæ ex regula traditur,

Pſal. 17.

Exemplum obedientiæ Marci.

In tract. de præcepto & diſpenſ.

Neceſſaria obedientia cæca. obedientia ſine mora. Hæc D. Bernardus. Rationes autem quæ hanc cæcam & obedientiam ſine mora tantopere commendant hæ ſunt. Primò, quia ſine tali obedientiæ modo vix poteſt conſtare pax & bona adminiſtratio in congregatione religioſa: erunt enim aſſiduæ diſputationes & altercationes inter ſubditos & Superiores. Secũdò, quia eſt contra humilitatem & modeſtiam religioſam velle à Superioribus exigere rationẽ mãdatorum: hoc enim non eſt ſe gerere vt ſubditũ, ſed vt parem; neque facere opus quia præcipitur, ſed quia iudicatur expediens: ſicut cum homo illud ſuo iudicio & arbitrio facit. Tertiò, quia ſubditi in ſuperioribus debent agnoſcere Chriſtum, & illis tanquam Chriſto obedire, quia Obediẽtia (inquit S. Benedi.) quę maioribus præbetur Deo exhibetur. A Deo autẽ ſeu Chriſto nemo præcepti rationẽ exigit, ſed ſufficit ei ſumma præcipiẽtis auctoritas & infallibilis, rectiſſimaq; pręcepti

Obiect. ratio. Sed obijcies Superior non eſt Chriſtus, nec infallibiliter à Chriſto regitur: Nam & falli in Dei voluntate de rebus diuinis percipienda, & in

Reſp. *Lib. de Præcep. & diſp.* præcipienda fallere poteſt. Reſpondet S. Bernar. Quid hoc, inquit, refert tua, qui conſcius non es? Præſertim cum teneas de ſcripturis, *Quia labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore eius requi-*

Malachia 2. *rent: quia Angelus Domini exercituum eſt*. Et infra. A quo denique diuina conſilia potius requiruntur, quam ab illo cui credita eſt diſpẽſatio miniſteriorum Dei? ipſum proinde quẽ pro Deo habemus, tanquã Deum in his, quæ apertè non ſunt contra Deum, audire debemus. Hæc S. Bernar. Itaque etiamſi abſolutè falli poſſit Superior, tamẽ id non eſt vnquam in particulari præſumendũ, niſi ipſum

errare

errare conſtet: propterea quod ſingulari modo à Deo dirigatur, vtpote ab ipſo ad alios in via ſalutis dirigendos conſtitutus. Deinde etſi in aliquo fortè falleretur, id tamen inferiori non nocebit, nec quidquam de merito ipſius detrahet; quia eſt error ipſi inculpatus qui non impedit quo minus obedientia ſit actus virtutis, ex charitate vel obedientia proficiſcens: ſicut cum quis dat eleemoſynã homini opulento vel impio putans eſſe pauperẽ vel ſanctũ: Actus enim ex illo motiuo quo volũtas ad electionẽ operis impellitur, promanãtes virtutis rationẽ accipiunt. His accedit 4. ratio, quod homo in hac vita non poſſit ſcire quid ſibi in particulari expediat ad ſalutem & perfectionẽ: ſæpe enim illa exercitia, quæ ipſi vidẽtur maximè ſalutaria, ſunt impedimenta perfectionis, occaſio lapſûs & perditionis. Vnde cuique in hac vita maximè deſiderandum eſt, vt ita à Deo in omnibus dirigatur, ſicut ipſe nouit illius ſaluti expedire (in hoc enim ſitum eſt donum perſeuerantię) quod nullo certiori modo à Deo obtinebitur quàm per ſimplicem & cæcam obedientiam. Quia ſi Chriſtus per ſeipſum nos viſibiliter regeret in terris, & ad hũc finem prorſus illi nos regẽdos traderemus, & rogaremus, ita ab illo regi, non eſt dubium, quin nos ita regeret. Cum igitur ſuo loco conſtituerit ſuperiores, quibus tanquam ſibiipſi voluit nos morem gerere, ſi nos illis totos permittamus propter Chriſtum fiducia bonitatis & prudentiæ ipſius, non videtur dubitandum quin ita nos reget, ſicut ſaluti noſtræ expedire nouit. Non enim minus poteſt nos regere per ſuos Vicarios quam per ſuam præſentiam corporalẽ. Alioquin magno nobis damno fuiſſet huius

præſen-

præſentiæ ſubtractio, cum tamen contrà ipſe aſſerat: *Expedit vobis vt ego vadam*. Hęc ratio bene conſiderata maximè debet mouere religioſum vt totam vitæ ſuæ directionem ſuperiori purè permittat, ſibi perſuadendo illud quod ipſe conſtituerit meliorem exitum in ordine ad perfectionem & ſalutem habiturum. Obijcitur: Cæca hæc & obedientia ſine mora eò tendere videtur vt Religioſi ſerui hominum fiant, non attendentes vtrum hominum an Dei voluntas ſit, quam ſequuntur. Hoc enim ſonare videtur obedientia cæca vt non conſideretur quid aut quale ſit quod pręcipitur, ſed hoc ſolùm ſufficiat quòd præcipitur. Reſpondeo. Obedientia ſine mora non ſic accipienda eſt, quaſi non ſit iudicandum de eo quod pręcipitur, quale ſit, neque requirit à Religioſo obedientiam, ſine iudicio (hoc enim eſſet hominem cui Deus rationem dedit vt diſcerneret bonum à malo, velle pecorum more in ſeruitutẽ redigere:) ſed vt prompte & alacriter exequatur præceptum quod non animaduertit diuinis inſtitutis contrarium. Sic enim ſanctus Bernardus obedientiam ſine mora nobis explicatam dedit Adamum monachum grauiter obiurgans quod iuſſu Abbatis ſui Monaſterium contra ſtabilitatis propoſitum reliquiſſet. Repræhendit autem in eo Bernardus quod non attenderet quale eſſet quod pręcipiebatur (erat enim ad graue ſcandalũ remanentium in Monaſterio) ſed hoc illi ſufficeret quod præcipiebatur. Et obijcit illi Bernar. Si ita, oportet, inquit, ſine cauſa legitur in Eccleſia: *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*. Si ita oportet deleamus iam de libro Euangelij: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, ſufficienter quippe quod ſequitur:

Obiect. *Reſp.* *Epiſt. 7.* *1. Theſſal. 5.* *Matt. 10.*

ſequitur: *& ſimplices ſicut columbæ.* Nec dico à ſubditis mandata præpoſitorum eſſe diiudicanda vbi nihil iuberi deprehenditur diuinis contrarium inſtitutis, ſed neceſſariam aſſero & prudentiam, qua aduertatur ſi quid aduerſatur, & libertatem, qua & ingenuè cõtemnatur. hæc Bernardus. Quaſi dicat, ſimplices eſſe debemus ne alijs noceamus: ſed & prudentes, ne nobis noceatur. Simplicitatis enim columbinæ eſt nemini nocere: & prudẽtiæ ſerpentinę, cauere ne nobis noceatur. Nocetur autem nobis, malis præceptis, quãdo illa ſequimur. Iudicium ergo adhibere debemus quãdo quid à ſuperioribus præcipitur, an id diuinis præceptis aduerſetur, ac tũ promptiſſimè & ſumma alacritate, ſi rectum ſit, obediendum. Quamuis itaque præcipuè in Præfectis prudentia eſſe debeat, qua magna opus eſt ad conſultè & vtiliter præcipiendum & prohibẽdum: nonnullam tamen etiam Bernardus in ſubditis requirit, qua videlicet ſi forte quid mali ab imprudẽte ſuperiore ſuggeratur, illud diiudicare & euitare poſſint. Præſuppoſita autem & perſpecta perfecta prudentia prępoſitorum, hoc eſt, quãdo tales ſunt, vt nihil niſi quod maximè ad perfectionem conducat, præcipiunt, tunc bene præcipitur id quod ſcribit ſanctus Hieronymus Ruſtico monacho: Credas (inquit) tibi ſalutare quidquid ille præceperit. Hoc enim præcipit S. Hieronymus ſaluo eo quod dicitur: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.*

Matth. 10.

Hier. epiſt. nihil Chriſtiano.

Secunda conditio bonę & religioſæ obedientiæ eſt promptitudo ad exequendum: vt non exſpectet ſtrictum præceptum, non differat, nõ tergiuerſetur, non excuſet, non lentè & cum torpore ad opus accedat. Hanc conditionẽ hic commendat S. Benedictus cum ait: *Si quod iubetur, non tepidè, aut cũ murmure,*

Prompta obedientia.

mure, vel cum reſponſione nolentis efficiatur. Et ſanctus Bernardus: Perfecta, inquit, obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, neque cōtenta anguſtijs profeſſionis largiori fertur volūtate in beatitudinē charitatis, & ad omne quod iniungitur ſpontaneo vigore libertatis, alacriſque animi modum nō conſiderans, in infinitum extēditur. Hęc Bernardus, loquens de non obligatorijs. Quaſi dicat: Prompta obediētia nec ea recuſat ad quæ vis profeſſionis nō obligat. Neque enim ſuperior profitētem in infinitum obligare poteſt, ſed tantum ad ea quæ intra limites ſuæ profeſſionis continentur. Vt idem Bernardus docet ibidem. Promptā hanc obedientiam egregiè notauit D. Baſilius, in Patriarcha Abrahā qui, inquit, ſemel in eo animū obfirmauerat ſuum, vt obediret Deo, nihil iam amplius illud ſpectabat, quid de ſe diſponeret Deus, ſed totus in eo erat cogitatione defixus, quomodo videlicet perfectiſſimam, atque ex omni parte abſolutiſſimam illi obedientiam præſtaret. Similem oſtendit fuiſſe & in Chriſti diſcipulis Petro, Iacobo, Ioanne filijs Zebedæi & cæteris. Hanc obedientiam, inquit, is qui ſecundum Deum verè eſt monachus, antiſtiti ſuo præſtet, oportet.

Lib. de præcept. & diſpenſ.

Ad quid ſuperior poteſt ſubditos ſuos obligare.

Conſt. monaſtica c. 23.

Notandum tamen eſt non in omnibus hāc obediendi promptitudinem eſſe exhibendam: ſed in ijs tantum quæ ad religionis exercitia, vel regularem diſciplinam, aut mortificationem pertinēt. Si enim Prçlatura, Epiſcopatus, vel aliud munus honorabile imponitur, non eſt ordinariè laudabile ſe promptū & alacrē exhibere, ſed expedit modeſtia deprecari, & exſpectare etiam præceptum, prçſertim ſi agatur de prælatura extra ordinem ſuſcipienda: Sic enim doctiſſimi & ſanctiſſimi viri fecerunt, qui quantum potue-

Prālatura non cito ſuſcipienda.

potuerunt huiuſmodi dignitates ſemper detrectauerunt, nec niſi cōpulſi acceptauerunt. Ita fecerunt S. Gregorius Naziãzenus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius Magnus, Bernardus, Anſelmus &c. Ratio eſt, quia tam multæ dotes requiruntur, vt quis idoneus ſit ad prælaturam, vt arrogantiæ ſit putare ſe omnibus illis præditum. Accedit quod ſtatus ille multis expoſitus ſit periculis, propter opes & honores, propter occaſiones & poteſtatē malè agēdi; propter onus conſcientię alienæ, propter defectum monitionū, propter aſſiduas curas, diſtractiones & rerum externarum tractationem, & alia id genus ſalutis impedimenta. Confirmantur hæc, doctrina S. Gregorij dicentis obedientiam in quibuſdam rebus debere nil propriæ affectionis habere, ſed ſolo alterius imperio moueri: in alijs contra, debere multum habere de ſuo: quia, inquit, nonnunquam nobis huius mūdi proſpera, nonnunquam vero iubentur aduerſa: ſciendū ſummopere eſt, quod obedientia aliquãdo ſi de ſuo aliquid habeat, nulla eſt; aliquando autem ſi de ſuo aliquid non habeat, minima: nam cum huius mundi ſucceſſus præcipitur, cum locus ſuperior imperatur, is, qui ad præcipiéda hæc obedit, obedientiæ ſibi virtutem euacuat, ſi ad hæc etiam proprio deſiderio anhelat. Rurſum cum mundi deſpectus præcipitur, cum probra adipiſci, & contumeliæ iubentur, niſi ex ſe ipſo animus hæc appetat obedientiæ ſibi meritū minuit, &c. Et confirmat hãc doctrinã D. Gregorius exēplo Moyſis & Pauli. Moyſes enim à Deo ipſo vocatus ad præfecturã populi ex humilitate detrectat & excuſat, & aliū præfici rogat. Paulus vero ex diuina reuelatione Hieroſolymã proficiſcens, vbi grauia paſſurus erat, nō detrectat, & ad omnia alacriter ſe cōparat.

Lib. 35. moralium cap. 13.

Act. 10.

Qua in re non faciebat Moyſes contra voluntatem diuinam niſi materialiter, nam Deo id ipſum placebat, niſi cum nimium tergiuerſabatur, tũc enim dicitur iratum fuiſſe Dominum. Vt ſciamus in hac quoque re modum ſeruandum. Idem placet prudenti ſuperiori qui etiam huiuſmodi declinationẽ laudare, & celerem acceptationem vituperare conſueuit. Facit enim inferior declinando huiuſmodi conſentaneè ſuo ſtatui, ſicut & ſuperior imponendo: quare vterque facit laudabiliter. Itaque inferior declinando, non facit contra voluntatem ſuperioris niſi materialiter, donec accedit præceptum. Præeunte ergo (inquit Gregorius) vtrorumque ducum infracta virtute inſtruimur, vt ſi obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, proſperis huius ſæculi ex ſola iuſſione: aduerſis autem etiam ex deuotione militemus.

Exodi 4.

Tertia conditio eſt vt obedientia ſit fortis, ſcilicet in opere præcepti aggrediendo & perſeuerãdo in illo: vt non detrectet exequi difficilia, & poſtquã inceperit, non reſiliat ob difficultates occurrentes. Huius exemplar exhibuit Dominus, *factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*. Hãc obediendi fortitudinem cõmendat hic ſanctus Benedictus cum dicit, *mandatum non trepidè faciendum*. Et D. Baſilius: Oportet (inquit) inprimis vt is qui ſe ad vitæ huius rationem contulerit, ſtabili, firma, immobiliq́ue voluntatis conſtantia ſit, iudicioque tali vt à malignis ſpiritibus neque concuti, neque loco pelli queat. Deinde animi firmitate tanta vt ad mortem vſque, martyrum conſtantiam exhibeat, tum diuinis præceptis retinendis, tum obedientia erga magiſtros ſuos conſeruanda. Hoc etiam totius vitæ huius inſtituti caput eſt. Legatur D. Chryſoſtomus

Ad Philip. 2.

Conſt. monaſt. cap. 2.

hom. 7.

hom.7.in 2.Corinth.Caſſianus lib.4. de inſtitutione monaſtica cap.10. Hac autem fortitudinis cōditione opus eſt ad religioſam obedientiā ob multas & magnas difficultates, quæ ſe plerumq; obedientiæ diſcipulo offerūt. Quarum 1. eſt penes rem quæ imperatur, quia nonnunquā per ſe hæc difficillima eſt, ita vt aliquando ſuperet etiam hominis vires & impoſſibilis ſit. Et tamen eo animo eſſe debet diſcipulus vt mandatū aggrediatur implere quatenus poteſt, vt docet S. Benedictus regulę cap.68. Secūda difficultas poſita eſt in victoria affectuum, qui quaſi arma capiunt cōtra mandatum, ſi (vt fere fit) mandatum affectibus aliquo modo repugnet. Quę pugna quia acerrima eſt, maximam requirit vim & animi fortitudinē vt omnino ſedetur in obedientia & mandati exercitatione. Tertia oritur ex obedientis voluntate, cuius vim ſuperare & frangere, cupiditates coercere, libertatem alteri obligare (quod obedientiæ proprium eſt) quam difficile ſit inchoare, difficilius implere, nemo non videt. Quarta difficultas eſt penes rationem & mentem. Fieri enim poteſt vt quamuis volūtate propenſior quis ſit ad obtemperandum, argumentis tamen & rationibus inde retrahatur. Cū enim mens ita certa eſt, ac ſi oculis cerneret rem, aliter ſe habere quam exiſtimat ille qui iubet: vel putat rem melius iturā ſi alia ſeu etiam cōtraria ratione iubeatur, tunc difficillimum eſt, voluntatem in iubentis ſententiam traducere, eamque ita fingere & accommodare ad arbitrium nutumque alterius, vt in eo penitus acquieſcat. Quare fortem oportet eſſe admodumque virilem voluntatem, quæ, ſi hoc accidat, mentem tunc ad ſe pertrahat, cogatque ſecum vel inuitam ſentire. Hanc difficultatem vincit cæca ſeu obe-

Difficultates religioſo occurrētes perfringendæ & ſuperandæ.

dientia ſine mora, mediante tamen & adiuuante animi fortitudine. Hæc etiam reiectis proprij iudicij rationibus in voluntatem iubentis (dum non cònſtat eſſe mala & illicita) ſine mora & hæſitatione pergit. Ex dictis manifeſtè colliguntur quatuor obediẽtiæ gradus, primus eſt exequi exterius quod præcipitur. 2. voluntatem ſuam omnino ſubijcere voluntati ſuperioris. 3. eſt ſubijcere iudicium ſuum iudicio ſuperioris, credendo id melius eſſe, vel meliorem exitum habiturum quod ipſe iuſſerit. 4. hæc obſeruare non ſolum in ijs quæ ſtrictè præcipit, ſed etiam quæ non præcipit, verùm ſolum fieri deſiderat.

Quatuor obedientiæ gradus.

Nam cum malo animo ſi obedit diſcipulus, & non ſolum ore, verumetiam in corde ſi murmurauerit, & ſi impleat iuſſionem, tamẽ acceptum iam non erit Deo qui cor reſpicit murmurantis, & pro tali facto nullam conſequitur gratiam; imò pœnam murmurantium incurrit, ſi non cum ſatisfactione emendauerit.

Hoc dicit ſanctus Benedictus de eo, qui obedit, & opus ex voto debitum exterius facit, animo & voluntate interius renitente, imò ore reclamãte; facit, inquam, nõ virtutis amore, ſed formidine pœnæ, alias non facturus, niſi damnationis pœna impendêret. Hoc opus equidẽ quamuis ex timore ſeruili proficiſcatur, quatenus tamen ex eo, malũ non eſt: quia talis timor ex virtute fidei & ſpei excitatur.

At

At effectus ille cordis & murmuratio, quæ opus ipſum comitatur, ſcilicet: nollem id facere, nollem obedire, niſi metuerem damnari, peccatũ eſt. Quia eſt affectus & amor eius, quod per ſe malum eſt, & contemptus iuſtitiæ & rectitudinis: Imò continet implicitè quendam contemptũ Dei, & diuinę amicitiæ. Ac propterea dixit S. Benedictus, quod diſcipulus malus tali animo obediens, & iuſſionem implens, nihil Deo acceptum facit, *qui cor reſpicit murmurantis; ac propterea pro tali facto*, inquit, *nullam conſequitur gratiam*. Imò pœnam murmurantium incurrit, niſi murmurationis ſcandalũ humilitate ſatisfactionis & pœnitentiæ reparauerit. Notandum tamen eſt, nõn omne opus religioſi ex voto factum repugnante affectu, eſſe malũ & peccatũ, ac meritò ſuo priuari: poteſt enim huiuſmodi opus multis modis fieri, primum quando opus diſplicet ſecundum ſe, vt quia aſperum, moleſtum, verecundum, tamen quia vouit, vult facere & facit, bonum opus eſt, & meritorium: quia eſt opus religionis proficiſcens ex virtute voti. 2. fit vt diſpliceat etiam ipſum votum, ita vt vellet ſe non vouiſſe, tamẽ quia vouit vult facere, vt voto ſuo iã emiſſo ſatisfaciat: neque opus hac mente factum, peccatũ eſt, ſed opus bonũ & meritorium, nam diſplicentia illa de voto facto non influit in opus, ſed ſolũ comitatur, nec eſt diſplicentia illa per ſe peccatũ, quia poteſt interdum ſubeſſe iuſta ratio dolẽdi de voto. Quod ſi iuſta ratio non ſubſit, eſt quidem peccatum; (quia eſt quędam in Deum ingratitudo dolere de tanto beneficio de quo gratiæ maximæ eſſent agendæ) non tamen eſt peccatum mortale, modò propoſitum voti ſeruãdi perſeueret. 3. fieri poteſt, quod ita diſpliceat votum, vt nõ ſit ei curæ facere ex affectu voti; hoc

Murmurator peccat.

hoc eſt, quia voto ad hoc adſtringitur, facit tamen timore peccati, ne ſcilicet grauiter Deum offendat. Opus quoque hoc animo factum, opus virtutis eſt & bonum, nedum peccatum, quia timor peccati vt offendit Deum, eſt actus charitatis: vnde tale opus ex affectu charitatis.

De Taciturnitate.

CAPVT VI.

Faciamus quod ait propheta: Dixi cu-
Pſal. 38. *ſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam: obmutui & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Hic oſtendit propheta, ſi à bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri: quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet ceſſari. Ergo de quamuis bonis & ſanctis ad ædificationẽ eloquijs, perfectis diſcipulis propter taciturnitatis grauitatem rara loquendi concedatur licentia: quia ſcriptum eſt: In*
Prouerb. 10. *multiloquio non effugies peccatũ. Et alibi:*

mors

mors & vita, in manibus linguæ. Prou. 18.

LOqui & tacere per ſe res ſunt indifferentes, nec bonæ ſcilicet nec malæ: ſed intentione & modo loquentis, vel bonum eſt loqui vel malum. Prou. 10. Quod ſapiens non ignorans. *Vena* (inquit) *vitæ os iuſti & è contra ſtultus labijs verberabitur, & mors & vita in manibus linguæ*, & Cato. Prouerb. 18.

Virtutem primam eſſe puta compeſcere linguam
Proximus ille Deo qui ſcit ratione tacere.

Quaſi dicat: Oportunitas in tacendo & loquendo captanda & obſeruanda eſt: quia quemadmodum *ſermo oportunus* (dicente ſapiente) *eſt optimus*: Prou. 15. ſic & oportuna & rationabilis taciturnitas commendatur *adeo vt ſtultus, ſi tacuerit, ſapiens putabitur.* Prou. 17. Quemadmodum igitur ſermo alius eſt bonus & vtilis: alius vero malus & inutilis: ita & taciturnitas, mala eſt enim eius taciturnitas (inquit Caſſianus) Lib. 12. inſtit. monaſt. cap. 27. qui contra fratrem, rancorem quendam in corde ſuo concepit ſitque ſilentium eius non compunctionis nec humilitatis vllius, ſed ſuperbiæ & indignationis iudicium. Silẽtium enim iſtud, inquit, ita plenum virilentumque & quod ob hoc tantum concipitur vt aduerſus fratrem rancor taciturnitate ſeruatus protelari diutius poſſit, non vt ex eo virtus humilitatis ac patientiæ præbeatur. Bonum autem & vtile ſilentium commendat nobis ſcriptura, & ſancti patres multipliciter & imprimis hîc ſanctus Benedictus, quod nimirum ſeruatur virtutis amore. Nam cultus iuſtitiæ (inquit Eſaias) Iſaiæ. 32. ſilen-

ſilentium & ſecuritas vſque in ſempiternum. De quo ſilentij præſidio ſic exclamat ſanctus Ambroſius: O validum ſcutum circumſpectæ, munitionis ſilentium! ô fæliciſſimum ſtabilitatis fundamentum, in quo ſi quis potuerit ſtare, lubricum verbi timere non poſſit! Multi enim etiam ſtabili corde firmati incauti tamen ſermonis fluctuantis errore ſæpe ceciderunt. Bonam hanc taciturnitatem indicat ſanctus Benedictus religioſis vſque adeo vtilem immo neceſſariam, vt conſtituat hic diſcipulis etiam perfectis (nedum nouitijs & inſipientibus) raram loquendi licentiam eſſe concedendam. Quia, inquit, ſcriptum eſt, *in multiloquio non effugies peccatum*, quam multis autem vitijs effrænis lingua ſordeat, quæ ſilentij antidoto curantur oſtendit ſanctus Pater noſter Bernardus: De lingua, inquit, quis neſcit quam multum inquinauerit nos per vaniloquia & mendacia, per detractiones & adulationes, per verba malitiæ & iactantiæ? pro his omnibus neceſſaria eſt hydria quinta, ſilentium ſcilicet, cuſtos religionis, & in quo eſt fortitudo noſtra. Et iterum: In hydria ſilentij purificamur à peccatis, quæ verboſitate contrahimus. Huius vitij ſunt octo ſpecies. Eſt enim verbum ſtultum, vanum, mendax, otioſum, doloſum, maledicum, impudicum excuſatorium. Quæ nimirum peſtis de loquacitate naſcitur. Et per ſilentij cenſuram: aut euertitur funditus, aut certè ne multum noceat, reprimitur. Et Diuus Iacobus in canonica ſua epiſtola, linguæ malum exaggerans dicit linguam eſſe quidem ignem modicum, qui tamen magnam

In Pſal. 38.

Laus ſilentij.

Serm. 1. de mutatione aquæ in vinum.

Silentium cuſtos religionis.

Serm. 12. in paruis.

Species loquacitatis.

Iacob. 3.

gnam ſyluam incendit: *Lingua* (inquit) *conſtituitur in membris noſtris quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ inflammata à gehenna*, &c. Lingua inflammata à diabolo gehennæ miniſtro totum vitæ humanæ curſum à prima ætate vſque ad obitum, inutilem reddit, imò deſtruit & flammis culpæ incendit. Cum ergo teſtimonio diuinæ ſcripturæ conſtet tot tantaque eſſe mala linguæ, quis non videat quam neceſſariò religioſis, qui ex vi profeſſionis ſuæ debent non ſolum omne peccatum ſollicitè fugere, ſed etiam ad perfectionem virtutis ſemper contendere lex arctiſſimi ſilentij imponitur? Decet, inquam, religioſos ſilentium colere, nec linguam loquacitatis contagijs inquinare, qui nimirum os ſuum diuinis laudibus conſecrauerunt, qui pſalmos & cantica ſpiritualia perpetuo in ore habent, qui quotidie in conſpectu Angelorum Deo pſallunt, qui ſemper adſiſtunt dominatori cæli & terræ, qui os vniuerſæ Eccleſiæ à ſancto Bernardo dicuntur, propterea quod Eccleſia, hoc eſt, multitudo fidelium per eos, pro beneficijs accipiendis Deum orat, & pro acceptis, laudes ſemper canit & gratias agit: neque enim ſpecioſa laus eſt in ore peccatoris. Quam autem dedeceat & iniquum ſit hominem Chriſtianum multomagis religioſum os ſuum coinquinare vitijs linguæ, luculenter expreſſit ſanctus Iacobus Apoſtolus. *In ipſa* (inquit) *benedicimus Deum & patrem: & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt. Ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet* *Iacob. 3.*

fratres

fratres mei, hęc ita fieri. Nũquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? nunquid poteſt fratres mei ficus vuas facere, aut vitis ficus? ſic neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam. Quaſi dicat, abſurdum eſt & nimis inconueniens omnique ratione alienum vt vnum idemque Chriſtianæ linguæ membrum ſeruiat rebus adeo ſibi repugnantibus & contrarijs inter ſe vt nunc Deo benedicat & laudet, nunc proximo maledicat & detrahat, vt nunc pſalmos decantet, nunc ludicra & impudica meditetur & tractet. Quantum autem loquacitas animum religioſi turbet, & à recto ſuo ſtatu & conditione dimoueat, egregiè oſtendit S. Bernardus: Lingua (inquit) modicum membrum eſt, ſed niſi caueas, magnum malum. Tenuis eſt, & lata, aptiſſimum vacuãdis cordibus inſtrumentum, ſicut multorum mihi inter vos cõſcientias arbitror atteſtari, niſi forte omnes tam perfecti ſumus vt nunquam nobis poſt longas confabulationes inuenta ſit mens quodammodo vacua, meditatio nunquam deuota, ſicca magis affectio, & holocauſtum orationis non adeo pingue, propter verba ſiue quæ diximus, ſiue etiam quæ audiuimus, verba tamen. Hæc ſanctus Bernardus Silentium igitur ſeruire debet deuotæ orationi, attentæ meditationi, & cæleſti contemplationi. Ad hoc inſtitutum eſt & ſeruatur vt religioſus ore tacito, mẽte & cogitatione Deo loquatur, Deo vniatur & iungatur. Fuge quippe ſilentium (inquit Bernardus) & ab omni ſtrepitu ſæcularium perpetua quies, cogit cœleſtia meditari. Hæc enim altera regularis ſilentij ratio & fructus eſt, ne animus locutione diſtrahatur & varijs cogitationibus diſtentus à Deo & diuinis impediatur. Ideo enim Iulianus vir quidã diuinus

Serm. de triplici cuſtodia.

Silentium ad quid vtile.

Epiſt. 78.

ſer-

ſermonem etiam in via cum ſocio ſuo Iacobo vitabat vt refert B. Theodoretus. Is Iacobus inquit cum eſſet magno ſeni ad ſolitudinem viæ comes, ſequebatur eminus. Non ſinebat enim magiſter eum propius accedere ne occaſio diſſerendi ex eo ſumeretur: ſermo autem abſtraheret mentem à Dei contemplatione. Ob hanc quoque animi in Deo conſtantiam abſtinere voluit S. Bernardus in feſto natiuitatis D. Virginis Mariæ, non ſolum linguam à loquendo, ſed etiam manum à ſcribendo iudicans nimirum verum ac Deo gratum religioſi ſilentium, non tam in linguæ continentia, quam in mentis quiete & in ſermocinatione cum Deo conſiſtere. Immo vanum eſſe ſilentium oris vbi ſtrepitus cogitationum ſæcularium toleratur in corde. Iam inquit, ad tuas litteras breuiter pro tempore reſpondendum eſt quæ cum mihi in manus venerunt, natalis dominæ noſtræ dies feſtus eluxerat cuius me totum iure ſibi deuotio vendicans, nihil aliud cogitare ſinebat. Et idem Bernardus, ad Ogerium canonicum regularem: Quando inquit ſuum tempus ſilentium habebit, ſi hos etiam ſacros dies quadrageſimæ noſtra ſibi vendicat confabulatio? eaque ipſa tanto occupatior quãto laborioſior? dum non quidem præſentes alterutrum dicere leuiter valemus quæ volumus: ſed abſentibus neceſſe eſt, nobis inuicem diligenter dictare quæ vel petimus ab inuicem vel petimur? Dum ergo abſens cogito, dicto, ſcriptito mittoque quod præſens legas, rogo vbi otium, vbi ſilentij quies? ſed hæc inquies omnia facere poteſt in ſilentio, mirum ſi ex ſententia hoc reſpondeas. Quantus enim tumultus in mente dictantium, vbi multitudo perſtrepit dictionum, vbi orationum

Hiſtoria SS. cap. 2.

Silentium Bernardi arctiſſimum in feſto Natiuitatis B. Mariæ.

Epiſt. 86.

Epiſt. 89.

varie-

varietas, & diuerſitas ſententiarum concurrit; vbi ſæpe reſpuitur quod occurrit, & requiritur quod excidit; vbi quid pulchrius ſecundum litteram, quid conſequentius ſecundum ſententiam, quid planius propter intelligentiam, quid vtilius ad conſcientiam, cui denique vel poſt vel ante ponatur, intentiſſimè attendatur, multaque alia quæ à doctis in huiuſmodi curioſius obſeruantur. Et tu mihi dices, in hoc eſſe quietem? tu hoc etiamſi lingua ſileat, ſilentium nominabis? Hæc ibi Bernardus. Qui eundem Ogerium dehortans ab adumbrato illo ſilentio, quod in ſolius linguæ otio conſiſtit, & adhortans ad verum ſilentium quod in cordis
Epiſt.90. tranquillitate eſt, iterum ſic ſcribit: laboramus quidem vterque ad alterum ſcriptitando, alterius fatigantur & nuntij ad alterum ſcripta portando: ſed numquid ſpiritus grauantur amando? Ceſſent igitur quæ abſque labore non poſſunt actitari; & illud frequentetur quod quanto attentius ſatagitur: tanto minus conſtat laborari. Quieſcant inquam à dictando ingenia, labia à confabulando, à ſcribendo digiti, à diſcurrendo nuntij, non autem quieſcant corda die ac nocte meditari in lege domini, quæ eſt charitas. A quo negotio quanto quietiores ſumus, tanto minus quieſcimus: quantoque occupatiores ſumus in illo, tanto nos quietiores ſentimus ex illo. Hæc filij illa dormitio eſt, qua ſe ſopita gloriatur ſponſa in cantico: *Ego* (inquit) *dormio & cor meum vigilat.* Quaſi dicat, quieſco à ſtrepitu & agitatione temporalium cogitationum, & cor meum vigilat in rerum ſpiritualium contemplatione. Iſtud ſilentium eſt negotioſum, non otioſum. De otio-
Cant.1.

ſe

ſo autem ſilentio ſic ſeſe Deo accuſat D. Bernardus: In ſilentio, inquit, etiam fui otioſus quod eſt maximum peccatum, In ſilentio namque nemo debet eſſe otioſus, vt in eodem otio vtilitatem non cogitet proximi; nec ſic actuoſus, vt contemplationem non requirat Dei. Si pro otioſo verbo (inquit Ambroſius) reddemus rationem, videamus ne & reddamus pro otioſo ſilentio. Eſt enim magnum & negotioſum ſilentium, vt erat Suſannæ, quæ plus egit tacendo, quam ſi eſſet locuta. Tacendo enim apud homines, locuta eſt Deo, nec vllum maius iudicium caſtitatis inuenit, quam ſilentium. Conſcientia loquebatur, vbi vox non audiebatur, nec quærebat pro ſe hominum iudicium, quæ habebat domini teſtimonium. Ab illo igitur volebat abſolui, quem ſciebat nullo modo poſſe falli. Et D. Bernardus: Eſt, inquit, fructuoſum & negotioſum ſilentium. Tacendo enim apud homines, melius loquimur Deo. Multæ enim contemplationes ſunt, quibus anima deuota tacendo mirabiliter paſcitur, nunc quidem de Deo cogitat & ſanctis Angelis eius, atque de immarceſcibili corona æternæ beatitudinis, nunc verò de verſutijs diaboli, de peccatis ſuis, de hora mortis, de pœna inferni, de die tremendo iudicij, nunc de profunditate diuinarum ſcripturarum, de natura virtutum, de compoſitione bonorum morum. Quam glorioſum tale ſilentium vbi eloquia Dei, eloquia caſta! Hæc ibi. Hoc negotioſum & vtile ſilentium eſt, quo cum lingua tacet, ſpiritus cum Deo loquitur, diuina & ſalutaria meditatur. Contra otioſum ſilentium

In medit. c. 11.

In ſilentio non eſt otiũ quærendum.

Lib. 1. offic. cap. 3.

Silentium Suſannæ laudabile.

In tractatu de ordine vitæ.

Seges contemplationis.

Quod otioſum ſilentiũ. tium eſt, cum (vt inquit paſtor Abbas) homo videtur ore tacere, cor autem eius alios condemnat, aut noxia aut vana verſat, nunquid impetuoſum iſtud ſilentium ſuo quodam modo exercebat Publius Scipio Africanus qui dicebat (referente Cicerone) *Lib. 3. offic.* nunquam ſe minus otioſum eſſe, quam quum otioſus: nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet? quia nimirum quo liberior & expeditior ab occupatione & exercitio corporali, & ab hominum turba ſeiunctior, eo attentior in propoſiti, & artis ſuæ inquiſitione & inueſtigatione erat. Illud ſilentium *Serm. de mutatione aquæ in vinum.* eſt quod ſanctus pater noſter Bernardus cuſtodem vocat religionis, & in quo eſt (inquit) fortitudo *Epiſt. 89.* noſtra. Hoc matrem & cuſtodem virtutum dicit. Sicut enim theſaurus pretioſus tute ſub clauſtri cuſtodia ſeruatur, auulſo autem clauſtro diripitur: ita religio monaſtica optimè & ſecure ſeruatur munimine ſilentij, cuius neglectu perit & euaneſcit. *Qui enim* (inquit D. Iacobus) *putat ſe re-* *Iacob. 1.* *ligioſum eſſe non refrænans linguam ſuam ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio.* Virtutum item matre interempta (quæ diuo Bernardo ſilentium eſt) quæ ſpes prolis? nutrice ſublata quæ educandæ *Similitudo.* prolis expectatio? quemadmodum igitur pomum putamine ſuo munitum & veſtitum conſeruatur, illo autem abraſo corrumpitur & putreſit: ita monaſtica religio taciturnitate viget, multiloquio diſſipatur & perit. Hanc igitur nos religioſi ſanctè colamus, & tanquam rem pretioſiſſimam nobiſque commendatiſſimam diligenter cuſtodiamus. *Epiſt. 341. Laus Religioſorum ſancti Bertini.* Hoc enim nomine magnificè laudat S. Bernardus religioſos ſancti Bertini, quod non contenti priſtino ſilentij modo addiderant aliquid ad priorem ſilentij regulam. Quæret forte hic aliquis quis ſit com-

communis modus ſilentij ſecundum regulam S. Benedicti? non enim perpetuum ſilentium indicit, qui raram loquēdi licētiam concedit. Reſpō- dendum videtur, ſilentium in menſa, poſt completorium, horis incompetentibus, hoc eſt, tempore lectioni ſacræ & operi manuum deputato ſtrictè ſeruandum. Et de his temporibus intelligendum videtur quod dicit S. Benedictus. *A bonis & ædificationum eloquijs propter taciturnitatem*. Hoc eſt, propter taciturnitatis legem in regula poſitam & præſcriptam, monacho eſſe tacendum. Si ipſam regulam bene inſpiciamus, parum admodū temporis lectioni concedendum videbitur; nam regulæ authoritas (vt patet cap. 48.) omne ferè tempus ab officio diuino vacuum, aut ſacræ lectioni deſtinat, aut operi manuum, quibus taciturnitas adeſſe debet. Nam (vt de lectione taceā) de ſilentio inter operandum tale exemplum Claræuallis prodit vera hiſtoria: In Claraualle plena hominibus nemini otioſum eſſe licebat, omnibus laborantibus, & ſingulis circa iniuncta occupatis: media die mediè noctis ſilentium à ſuperuenientibus inueniebatur, præter laborum ſonitus, vel ſi fratres in laudibus Dei occuparentur. Porrò ſilentij ipſius ordo & fama tantam etiam apud ſæculares homines ſuperuenientes ſui faciebat reuerentiam, vt & ipſi non dicam praua & otioſa, ſed aliquid etiam quod ad rem non attineret, ibi loqui vererētur. Omnes ibi etiam in multitudine ſolitarij erant. Vallem namque illam plenam hominibus ordinis ratione charitas ordinata ſingulis ſolitariā faciebat: quia ſicut vnus homo inordinatus, etiam cum ſolus eſt, ipſe ſibi turba eſt: ſic ibi vnitate ſpiritus & regularis lege ſilentij in

Regula ca. 38 42. 48.

Lib. 1. vitæ S. Bern. c. 7.

Laus ſilentij in Claraualle.

multitudine hominum ordinata, ſolitudinem cordis ſui ſingulis ordo ipſe defendebat. Quàm ſanè laudabilem ſilentij diſciplinam, SS. Pater Benedictus & Bernardus ab Ægypti Monachis hauſiſſe, & nobis propinaſſe videntur. De quibus ſic Caſſianus: Finitis,inquit,Pſalmis & quotidianâ congregatione abſolutâ nullus eorum vel ad modicum ſuſtinere, aut ſermocinari audet cum altero: ſed ne per totum quidem diei ſpatium è cella ſua progredi, aut deſerere opus, quod in ea, opus eſt exercere præſumit,niſi fortè cum fuerint ad officium neceſſarij cuiuſque operis euocati. Quod ita explent foras egreſſi, vt nulla inter illos ſermocinatio penitus conferatur. Sed ſic vnuſquiſque opus exequitur iniunctum, vt Pſalmum vel ſcripturam quamlibet memoriter recenſendo, non ſolùm conſpirationi noxiæ, vel conſilijs prauis, ſed nec otioſis quidem colloquijs vllam copiam vel tempus impertiat,oris pariter & cordis officio in meditatione ſpiritali iugiter occupato. Summa namque obſeruantia cuſtoditur ne quiſquam cum alio, ac præcipuè iuniores, vel ad punctum temporis pariter ſubſtitiſſe, aut vſpiã ſeceſſiſſe,vel manus ſuas inuicẽ tenuiſſe depræhẽdantur,&c. Hanc igitur regulã & menſuram ſilẽtij, primi illi Monachi & Patres noſtri tenebant, qui diuini feruoris igne accenſi non ſolùm linguam circumcidebant, ſed ſeipſos totos in holocauſtum libenter Deo offerebant, quibus, inquã, cum Apoſtolo, viuere Chriſtus erat, & mori lucrum. At nos, quibus auitus & antiquus ille feruor & diſciplinæ vigor multum (proch dolor) refrixit & elanguit, præclarè rem geſſiſſe videbimur ſi morem & conſuetudinem Monaſteriorum

Lib. 2. de Monaſt. inſtitut. c. 15.
Notabile Religioſum.
Philip. 1.

riorum noſtrorum, hodie bene conſtitutorum teneamus & ſequamur: vt nimirum illa dicatur rara loquendi licentia, quæ prudenti ac maturo præſidum iudicio, aut communiter toti congregationi animos relaxandi & recreandi cauſa datur, aut quæ ſingulis particulatim, certâ & iuſtâ ratione conceditur: alias verò omnem loquendi licentiam pius Religioſus ſibi denegatam & interdictam putet. Sic enim in noſtro Villario vſus iam diu obtinuit, ſic hodie tenet & ſeruat. Eſt autem lex regularis ſilentij ita accipienda & ſeruanda vt charitati non præiudicet nec detrimento ſit, neque enim ſermo noſter vnquam neceſſitati aut vtilitati proximi deeſſe debet. Iuſtiſſimum enim (inquit Bernardus) eſſe liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuerunt, pro charitate quoque, vbi expedire videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodiùs demutentur. Sicut è regione iniquum procul dubio foret, ſi ſtatuta pro ſola charitate contra charitatem tenerentur neque enim quiſquam bona loquendo (inquiebat Paſtor Abbas) ſilentium vnquam ſoluit: Bona autem loquitur qui motu & iuſſu charitatis loquitur. *Charitas enim non agit perperam* Ideo & ſanctus Benedictus teneris mentibus & conſcientijs conſulens, eiſque ſcrupulos in hac re inutiles abſtergens & eximens ſubdit.

Lib de præcepto & diſpenſ.

1.Cor.13

Nam loqui & docere Magiſtrum condecet, tacere & audire diſcipulo conuenit. Et Deo ſiqua requirenda ſunt; à priore cum omni humilitate & ſubiectione reuerentiæ requirantur.

Permittit proinde ſanctus Benedictus cuilibet religioſo, diſcipulo vt à Patre ſpirituali & ſeniore inſtructionem petat, v. g. contra tentationes remedium, in dubijs conſilium, in triſtibus conſolationem & ad omnem progreſſum ſpiritualem, auxilium; deinde vt rudis aliquis, v. g. in litteris, in cantu, in lectione, in cæremonijs, alijſue rebus vel officijs à peritiore petat inſtrui, & doceri; aut vt duobus vel pluribus in opere aut negotio aliquo occupatis, minor & imperitior à priore, hoc eſt, maiore, ac doctiore, ac prudentiore dirigi & erudiri petat. Neque enim hic prior intelligendus eſt, qui dignitate ſecundum Abbatem prior eſt, & toti congregationi præſidet: ſed ille, qui prior eſt ordine, loco, ætate, doctrina, artis alicuius peritia &c. Quilibet ſcilicet ſenior, prudentior, doctior. Sicuti & paſſim alibi in Regula & in primis cap. 63. Nomen iſtud (*prior*) non præſidem congregationis deſignat, ſed ætate aut ordine maiorem denotat. Sicut & cap. 51. vbi S. Benedictus dicit frangendum eſſe ieiunium à priore propter hoſpitem, intelligit & exponit id Rabanus Maurus de priore non dignitate vel officio, ſed ſenio. De omni igitur re tam ſpirituali quam temporali vbi charitas,

Quis Prior hic intelligendus ſit.

neceſ-

neceſſitas aut vtilitas quęcumque id poſtulat, poteſt inferior priorem ſuum interrogare; quid vel quomodo fieri oporteat, quid expediat. Et hoc *cum humilitate & ſubiectione reuerentiæ*, hoc eſt, non arroganter quaſi tentans priorem de ſua peritia, prudentia, ſed ſubmiſſè agnoſcens ſuam ignorantiam & petens inſtructionem. Verum bonus Religioſus & regularis ſilentij diſcipulus diligenter hîc conſideret, quàm paucis verbis charitati & neceſſitati opus ſit, quam breuibus ipſis ſatisfiat; ne fruſtra ſub ſpecie recti aut neceſſitatis, ſermonem ad rem non pertinentem longiùs producat, & inutili multiloquio limites regularis ſilentij excedat.

Scurrilitates verò vel verba otioſa, & riſum mouentia, æternâ clauſurâ in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium diſcipulum os aperire non permittimus.

Scurrilitas eſt turpis & procax dicacitas, neq; temporis, neque loci, neque perſonarum reſpectum habens. Verba igitur ſcurrilia, otioſa & riſum mouentia vult S. Benedictus ab omni religioſo abeſſe longiſſimè, propterea quod nefas ſit ad hęc lingua abuti eum qui os & linguâ Deo, laudibuſque diuinis ſemel conſecrauit. Conſecraſti (inquit S. Bernardus Eugenio Papæ) os tuum Euangelio, talibus (nugacibus ſcilicet & otioſis) iam aperire illicitum, aſſueſcere, ſacrilegium eſt *Labia Sacerdotis*, ait, *cuſtodiũt ſcientiã, & legẽ requirẽt*

Quid ſcurrilitas.

Lib. 2. de conſid.

Mal. 2.

ex ore eius, non nugas profectò vel fabulas. Verbum ſcurrile quod Faceti vrbanue nomine colorant, non ſufficit peregrinari ab aure procul & ab aure relegandum: Fędè ad cachinnos moueris, fædius moues. Hæc Bernardus. Non igitur niſi Sancti & Religioſi ſermones religioſos decent, quemadmodum in laudem eiuſdem ſancti Patris noſtri Bernardi canit Eccleſia, quod omnis narratio eius erat in præceptis altiſſimi, quidquid loquebatur, cernebat ad ſanctificationem, illuſtrationem, aut commendationem mandatorum aut legis Dei.

De multiplici commendatione humilitatis.

CAP. VII.

Clamat nobis ſcriptura diuina fratres
Luc. 14. *dicens: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Cum hæc ergò dicit, oſtendit nobis omnem exaltationem genus eſſe ſuperbiæ. Quod ſe ca-*
Pſal. 130. *uere Propheta indicat, dicens: Domine nō eſt exaltatum cor meum neque elati sūt*
oculi

oculi mei, neque ambulaui in magnis neque in mirabilibus ſuper me. Sed quid? ſi non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam. Sicut ablactatus ſuper matre ſua, ita retribues in animam meam. Vnde Fratres ſi ſummæ humilitatis culmen volumus attingere, & ad exaltationem illam cœleſtam, ad quam per præſentis vitæ humilitatem aſcenditur, volumus velociter peruenire; actibus noſtris aſcendentibus ſcala illa erigenda eſt, quę in ſomno Jacob aparuit, per quam ei Gen. 28. *deſcendentes Angeli & aſcendentes mõſtrabantur. Non aliud ſine dubio deſcenſus ille; & aſcenſus à nobis intelligitur, niſi exaltatione deſcendere, & humilitate aſcendere. Scala verò ipſa erecta noſtra eſt vita in ſæculo, quæ humiliato corde à Domino erigitur ad Cœlum. Latera enim eiuſdem ſcalæ noſtrum dicimus eſſe corpus & animam, in quę latera diuerſos gradus humilitatis, vel diſciplinæ, euocatio diuina aſcendendos in ſe ruit.*

Orditur ſanctus Benedictus humilitatis tractationem conferendo eam cum contrario ſibi vitio ſuperbia. Quia contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Dicitur autem humilitas ab humo, quia per eam ad ima, & veluti vſque ad humum deprimimur. Dupliciter autem id fieri poteſt. Primò ſi contra voluntatem ab alio depreſſus quis ſit; & hoc modo humilitas non eſt virtus, ſed pœna: ſicque dictum eſt: *Omnis, qui ſe exaltat, humliabitur*. Secundò. Si quis ſua ſpōte ex conſideratione ſuorum defectuum ſe deprimat; & hoc modo dicitur: *Qui ſe humiliat, exaltabitur.* Et eſt virtus, quàm ſic definit ſanctus Bernardus: Humilitas, inquit, eſt virtus, qua quis veriſſima ſui cognitione ſibi ipſi vileſcit. Supponit igitur humilitas cognitionem ſui, id eſt, ſuę imperfectionis, ſuique defectus. Quæ ſui cognitio comparatur, dum, quis ſe coram Deo & Angelis cōſtituens, conſiderat qualis ſit tum animo, tum corpore: quàm ignorans, quàm ad malum pronus, ad bonū lentus & infirmus; quàm rebus infimis addictus, quàm leuis & inſtabilis; quantis peccatis obnoxius, quantis miſerijs ſubiectus, quàm in Deum ingratus; præterea ſe ex ſe nihil boni habere, nihil poſſe, nihil eſſe, ſua omnia aſſiduè à diuina bonitate pendere, ſicut imago in ſpeculo dependet ab obiecto; ſicut pondus ſuſpēſum in aëre, à manu tenentis; ſicut lumen à ſole & ſicut vmbra à corpore, & denique ſine aſsiduo Dei influxu ſe in nihilum ruere. Quomodo non verè humiliabitur anima (inquit Bernardus) in hac vera cognitione ſui, cum ſe perceperit oneratam peccatis, mole huius mortalis corporis aggrauatam,

Vnde deducta vox, humilitas.

Lib. de gradibus humilitatis.

Serm. 36. Cant.

grauatam, terrenis intricatam curis, carnalium deſideriorum fæcè infectam, cæcam, curuam, infirmam, implicitam multis erroribus, expoſitam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille ſuſpicionibus obnoxiam, mille neceſsitatibus ærumnoſam, procliuem ad vitia, inualidam ad virtutes? Hęc autem conſideratio coram Deo facienda eſt. Quia (inquit Bernardus) ad illud lumen veritatis conſtitutus homo, ſeipſum & ſine diſsimulatione inſpicit, & ſine palpatione diiudicat. Sicut, vt quis omnes nęuos ſui corporis perſpectos habeat, ſeipſum ſoli exponit, vt in eius lumine omnia detegantur. Hac cognitione poſitâ in intellectu, ſequuntur in voluntate multi affectus & motus, qui ſunt humilitatis actus & functiones. Primò vilipenſio & contemptus ſui, per quem ſe quo ad ea quæ ex ſeipſo habet, nihil æſtimat. Secundò reputat ſe omnibus Dei donis indignum & ad omnia ineptum: idque ſine falſitate, talis enim reuera eſt, ſecundum ea, quæ ex ſeipſo habet. Tertiò, veritatis amore impulſus non cupit ab alijs magni æſtimari, honorari, vel laudari: quia videt laudem non ſibi, ſed Deo deberi à quo omne bonum accepit, dicens cum Apoſtolo: *Regi ſæculorum immortali & inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria.* Non enim imago vel pictura laudem meretur, ſed pictor: nec olla, ſed plaſtes. Quartò, quantum in ipſo eſt, deſiderat etiam vilis haberi, & ab alijs contemni; talem enim cupit ſe ab alijs iudicari, & æſtimari, qualem ſe veritatis ſententia; & in oculis Dei nouit eſſe. Vnde D. Bernardus: Verus humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari, gaudet contemptu ſui, hoc ſolo

Serm. 42. Cant.

1. Tim. 1.

Serm. 16. Cant.

Quis verus humilis.

lo ſanè ſuperbus, quod laudes contemnat. Dixi (quantum in ipſo eſt) quia non ſemper expedit, vt alij noſtros defectus nouerint, aut nihili nos æſtiment; propter ædificationem & fructum aliorum, vt explicatè dedit ſanctus Bernardus, ſermone 42. in Cantica. 5. Cùm videt ſe magni fieri & honorari, dolet; nec illum honorem in animo ſibi attrahit, imò nec admittit niſi fortè ratione officij vel doni, quod habet; & ita illum in Deum, à quo officium & donum eſt, ſaltem implicitè refert. 6. Conferendo ſe alijs, cenſet ſe omnibus viliorem & deteriorem: conſiderat enim ſe iuxta ea quæ ex ſeipſo habet; alios verò ſecundum ea, quæ ipſi ex Deo; & ſic illos ſibi præponit. Hoc enim eſt ingenium humilitatis, in ſe intueri ſua mala, in alijs eorum bona. Sicut è contrario ſuperbiæ indoles eſt intendere in ſua bona, & in aliorum mala. 7. Subijcit ſe Deo veluti infimum mancipium vel potius ſicut teſta figulo & opus ſuo factori, & de ſe diſponat pro ſuo beneplacito in omnibus, præſertim quæ ad hanc vitam pertinent, v. g. quod ad paupertatem vel diuitias, ſanitatem vel morbum, infamiam, vel gloriam, mortem vel vitam attinet.
1. Pet. 5. Vnde D. Petrus, *Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore viſitationis.* 8. Subijcit ſe hominibus propter Deum; ſinens ſe ab il-
1. Pet. 2. lis tanquam inſtruentis Dei gubernari: Vnde iterum D. Petrus. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturę propter Deum, ſiue Regi quaſi pręcellenti, &c.* Denique in externis rebus & functionibus quantum in ſe eſt amplectitur ſemper id quod eſt abiectius & minus honoratum v. g. locum inferiorem in conceſſibus, latus ſiniſtrum, in congreſſibus,

ſocios

ſocios ſimpliciores, officia vulgò minus honorata, veſtes, ſupellectilem viliora. In vſu tamen exſterno debet habere rationem decoris & officij, quod gerit. Hæ ſunt actiones humilitatis & hoc ferè ordine ad ipſam virtutem comparantur, ab eaque procedunt. Hos internos affectus & externos actus humilitatis ſe habuiſſe profitetur Dauid dicens: *Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei. neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Eſt autem (inquit Bernardus) fundus bonus humilitas, in qua omne ædificium ſpirituale conſtructum creſcit in templum ſanctum in Domino. Humilitas enim (inquit iterum Bernardus) alias virtutes meretur: quoniam humilibus Deus dat gratiam; ſeruat acceptas: Quia *non requieſcit Spiritus Domini niſi ſuper quietum & humilem*; Seruatas conſummat: *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Et iterum: Eſt, inquit, virtutum bonũ quoddam & ſtabile fundamentum humilitas, nempe ſi nutet illa, virtutum aggregatio, non niſi ruina eſt. Et: niſi ſuper humilitatis ſtabile fundamentum ſpirituale ædificium ſtare minimè poteſt. Eſt autem fundamentum virtutum non quidem directè & principaliter; (ſic enim ſola fides eſt ſupernalium virtutum fundamentum, iuxta illud Apoſtoli: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, (quia eſt)* ſed indirectè & diſpoſitiuè. Indirectè quidem, quatenus remouet virtutum impedimentum, quod eſt ſuperbia. Inimicam omnis gratiæ (inquit Bernardus) omniſque initium peccati debellat ſuperbiam: & tam à ſe quàm à cæteris virtutibus, ſuperbam illius propulſat tyrannidem. Diſpoſitiuè verò quatenus facit

hominem

Pſal. 130. *Lib. 2. de cõſider.* *Epiſt. 42.* *Iacob. 4.* *Iſaia 11.* *Lib. 5. de conſid.* *Ser. 36. in Cant.* *Heb. 11.* *Epiſt. 42.*

hominem Deo ſubiectum, ac paratum ad eius gratię influxum recipiendum, quæ eſt virtutum ſemen origo & conſeruatio. Quale iam poterimus (inquit Bernardus) idoneum gratię receptaculum exhibere? Balſamum eſt puriſſimum, & ſolidiſſimum vas requirit. Et quid tam purum quidue tam ſolidum quam humilitas cordis? meritò proinde humilibus dat gratiam, meritò Dominus reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Quonam merito quæris? eo vtique quo animum humilem meritum non occuparet humanum, quo minùs influeret diuinæ gratię plenitudo. Et poſt pauca ibidem; oſtendens cur publicanus præ Phariſæo iuſtificatus in domũ ſuam deſcendiſſet. Quia, inquit, non erat vacuus (ſcilicet Phariſæus) non erat exinanitus, non erat humilis, ſed elatus. Non enim quid ſibi deeſſet, ſcire ſtuduit, ſed exaggerauit meritum ſuum, nec erat ſolida plenitudo, ſed tumor. Vacuus proinde rediјt, quia plenitudinem ſimulauit: nam publicanus ille, qui exinaniuit ſeipſum, qui vas vacuum exhibere curauit gratiã retulit ampliorem. Hæc D. Bernardus. Bene proinde hortatur nos ſanctus Auguſtinus: Cogitas, inquit, magnam fabricam conſtruere celſitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Hoc in te fode fundamentum humilitatis, & peruenies ad faſtigium charitatis. Per humilitatem proinde ad ſublimitatem (& gratiæ in præſenti & gloriæ in futuro) aſcenditur. Quia hęc eſt (inquit Bernardus) via, & non eſt alia præter ipſam. Qui aliter vadit, cadit potius, quam aſcendit: quia ſola eſt humilitas quæ exaltat, ſola quæ ducit ad vitam. Chriſtus enim cum per naturam diuinitatis non haberet quo creſceret vel

Ser. 3. de annuntiatione.

Lucæ 18.

Lib. 1. de verbis Domini ſer. 10.

Serm. 2. de Aſcenſ.

aſcenderet (quia vltra Deum nihil eſt) per deſcē-ſum quomodo creſceret, inuenit, veniens incarnari, pati, mori, ne moreremur in æternum. Propter quod Deus exaltauit illum, quia reſurrexit, aſcendit, ſedet ad dexteram Dei. Vade, & tu fac ſimiliter, neque enim aſcendere poteris, niſi deſcenderis, quia vt æternâ lege fixum eſt: *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: Et qui ſe humiliat, exaltabitur*. Rectè proinde ſanctus Benedictus indicat humilitatem ſignificatam eſſe per ſcalam Iacob, qua deſcendentes & aſcendentes vidit Angelos: quia nimirum per humilitatis viam, ſeu per gradus humilitatis tanquam per ſcalam aſcenditur & venitur ad veritatem, id eſt, veritatis cognitionem, & charitatem vitæ præſentis, & tandem ad beatificam eiuſdem veritatis viſionem, & indiſſolubilem charitatis coniunctionem. Illud (inquit Bernardus) quod in ſcala illa, quæ in typo humilitatis Iacob monſtrata eſt, Dominus deſuper innixus apparuit, quid nobis aliud innuit, niſi quod in culmine humilitatis conſtituitur cognitio veritatis? Dominus quippe de ſummitate ſcalæ proſpiciebat ſupra filios hominum, tanquam veritas: cuius oculi ſicut fallere nolunt, ita falli non norunt vt videret ſi eſt intelligens aut requirens Deum. An non tibi de alto videtur clamare, ac dicere requirentibus ſe: (nouit enim qui ſunt eius) *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini*. Et illud: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos?* Venite, inquit: Quo? ad me veritatem. Qua? per humilitatem. Quo fructu? ego vos reficiam. Sed quæ eſt refectio, quàm veritas aſcendentibus promittit, peruenientibus reddit? An fortè

Gen. 28.

L. de 12. gradibus humilitatis.

Eccleſ. 24.

Matt 11.

forte illa eſt charitas? Ad hanc quippe, vt ait S. Benedictus aſcenſis omnibus humilitatis gradibus, Monachus mox perueniet. Hæc ibi ſanctus Bernardus. Dicit præterea S. Benedictus, quod *ſcala ipſa erecta* eſt vita noſtra in ſęculo; quia nimirum virtus humilitatis in hac vita exercetur, & quaſi ſcala erigitur, qua anima hac mortali vita defuncta, ad vitam conſcendit & euolat immortalem. Corpus autem & animam dicit eſſe latera iſtius ſcalæ, quia virtus humilitatis, quę pręcipuè interius in anima ſubſiſtit, exercitio & corporis habitu exterius ſe prodit & oſtendit. Et quemadmodum gradus ſcalæ vacillant, ſi vno tantùm latere hærēt, firmi autem ſunt ſi vtrimque innitūtur: ita ſi exterior corporis tui habitus cum interno animi, ſenſu atque iudicio conſentit, ſi, inquam ita te corpore geris quemadmodum animo ſentis, ſolida & vera tua humilitas eſt. At ſi vilem te cognoſcens tamen contra animi tui, & veritatis teſtimonium alium te oſtentas, aut contra, ſi bene tibi conſcius fictè nihilominus ad captandū nomen humilitatis vilem exterius te geris, non humilitas, ſed hypocriſis vtrobique eſt. Vnde D. Hieron. ſic hortatur: Humilitatem, inquit, ſequere, non quæ oſtenditur atque ſimulatur geſtu corporis, aut fractâ voce verborum, ſed quæ puro cordis affectu exprimitur. Aliud eſt enim virtutem habere, aliud virtutis ſimilitudinem: Aliud eſt rerum vmbram ſequi, aliud veritatem, multo deformior eſt illa ſuperbia, quæ ſub quibuſdam humilitatis ſignis latet, neſcio enim quomodo turpiora ſunt vitia, quæ virtutum ſpecie cęlantur. Hæc D. Hieronymus & D. Bernardus diſtin-

Ad Calantiam epiſt. vetus ſcriptura.

diſtinguens inter veram humilitatem & falſam, ſalſam in cognitione vel cogitatione tantum, veram in cognitione & affectu ſimul ponit. Eſt, inquit, humilitas quàm nobis veritas parit & non habet calorem: & eſt humilitas, quàm charitas format & inflammat, atque hæc quidem in affectu, illa in cogitatione conſiſtit. Etenim tu ſi temetipſum intus ad lumen veritatis & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palpatione diiudices, non dubito quin humilieris, & tu in oculis tuis factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui; quamuis necdum fortaſſe id eſſe patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, ſed de opere interim veritatis & minimè adhuc de amoris infuſione, nam veritatis ipſius quæ te tibi veraciter atque ſalubriter demonſtrauit, ſicut ſplendore illuminatus, ita amore affectus fuiſſes: voluiſſes procul dubio (quod in te eſt) eandem de te omnes tenere ſententiam, quam ipſam apud te veritatem habere cognoſcis. Et infrà repræhendit Bernardus eos, qui ſolam iudicij ſeu veritatis humilitatem habent. Pondus, inquit, & pondus abominatio eſt apud Deum. Quid enim? Tu te depretiaris in ſecreto apud teipſum veritatis trutina ponderatus, & foris alterius pretii metiens maiore te pondere vendis nobis quàm ab ipſa accepiſti? Time Deum & noli hanc rem peſſimam facere, vt quem humiliat veritas, extollat voluntas; hoc enim eſt, reſiſtere veritati, hoc pugnare contra Deum, &c. Hęc Bernardus. Ser.42.Cant.

Primus

Primus itaque humilitatis gradus eſt, ſi timorem Dei ſibi ante oculos ſemper ponens, obliuionem omnino fugiat. Et ſemper ſit memor omnium quę præcepit Deus, qualiter contemnentes Deum in gehennā pro peccatis incidunt: & vitam æternā, quæ timentibus Deum præparata eſt, animo ſuo ſemper reuoluat. Et cuſtodiens ſe omni hora à peccatis, & vitijs, id eſt, cogitationum, linguæ, oculorum, manuum, pedum, vel voluntatis propriæ, ſed & deſideria carnis amputare feſtinet. Æſtimet ſe homo de cœlis à Deo ſemper reſpici omni hora, & facta ſua in omni loco ab aſpectu diuinitatis videri, & ab Angelis omni hora Deo nuntiari. Demonſtrat hoc nobis Propheta, cum in cogitationibus noſtris, ita Deum ſemper præſentem oſtēdit dicens: Scrutans corda & renes Deus. Et iterum. Dominus nouit cogitationes hominum: Et item dicit: Intellexiſti cogitationes meas de lōgè. Et quia cogitatio hominis

hominis confitebitur tibi. Nam vt ſollicitus ſit circa cogitationes ſuas peruerſas, dicat ſemper humilis frater in corde ſuo: Tunc ero immaculatus coram eo, ſi obſeruauero me ab iniquitate mea. Voluntatem verò propriam ita facere prohibemur, cum dicit ſcriptura nobis: Et à voluntatibus tuis auertere. & item, Rogamus Deum in oratione, vt fiat voluntas eius in nobis. Docemur ergo meritò noſtram non facere voluntatem, cum cauemus illud quod dicit ſancta ſcriptura: Sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis vſque ad profundum inferni demergit: & cum item cauemus illud, quod de negligentibus dictum eſt: Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in voluntatibus ſuis. In deſiderijs verò carnis ita nobis Deum credamus ſemper eſſe præſentem, cum dicit propheta Domino: Ante te eſt omne deſideriũ meum. Cauendum ergo ideo malum deſiderium, quia mors ſecus introitum delectationis poſita eſt. Vnde ſcriptura præcipit dicens: Poſt concupiſcentias tuas non eas.

Pſal 75. Pſal. 17. Eccleſ. 18. Matth. 6. Prouerb. 16. Pſal. 52. Pſal. 37. Eccleſ. 18.

Prouerb. 15. *Ergo ſi oculi Domini ſpeculantur bonos*
Pſal. 13. *& malos, & Dominus de cælo ſemper reſpicit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum, & ſi ab Angelis deputatis nobis quotidiè die noctuque Domino factori noſtro opera noſtra nuntiantur, cauendum eſt ergo omni hora fratres (ſicut dicit in pſalmo pro-*
Pſal. 52. *pheta) ne nos delinantes in malum, & inutiles factos aliqua hora aſpiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore, quia pius eſt, & expectat nos cōuerti in melius:*
Pſal. 49. *dicat nobis in futuro: hæc feciſti & tacui.*

Quemadmodum ſcala certos gradus habet, quibus ab imo ad ſummum aſcenditur: ita humilitas ſuos quoque aſcenſionis gradus habet, donec ad apicem & perfectionem eius veniatur. Quoniam verò gradus humilitatis varijs modis aſſignari poſſunt. Notandum eſt eos hic ſtatui à D. Benedicto ſecundum ordinem quo humilitas ab interioribus ad exteriora progrediens, primò moderatur animum in maioribus, deinde in minoribus, donec ad minima quęque pertingat.
Gradus humilitatis. Quo ordine ſic duodecim humilitatis gradus diſponit, vt primus ſit, Dei timorem habere præ oculis, & memorem eſſe omnium quæ ipſe præcepit. Secundus delectari implere non ſuam voluntatem, ſed Dei. Tertius pro Dei amore omni obedien-

edientia ſe ſubdere maiori. Quartus in duris & aſperis non recedere ab obedientia, ſed amplecti præſidium ſapientiæ. Quintus prauas cogitationes, & mala à ſe in occulto commiſſa humiliter ſuperiori confiteri. Sextus ad omnia ſe indignum & inutilem iudicare. Septimus omnibus ſe inferiorem & viliorem, non ſolum lingua pronũtiare; ſed etiam intimo cordis affectu credere. Octauus accommodare ſe communi regulæ ſingularitate vitata. Nonus ſeruare taciturnitatem vſque ad interrogationem. Decimus non eſſe facilem aut prõptum ad riſum. Vndecimus pauca verba & rationabilia loqui, non clamoſa voce. Duodecimus non ſolum corde, ſed etiam corpore humilitatem vbique præ ſe ferre inclinato in terram aſpectu. Ratio autem horum graduum optima eſt, ſcilicet hæc: quia nimirum ad perfectam humilitatem præſertim religioſorum tria requiruntur. Primum, vt religioſus bene ſe ſubijciat Deo, quod fit primo & ſecundo gradibus. Secundum vt eum bene ſubijciat ſuperiori quod fit 3. 4. 5. 6. gradibus. Tertium, vt bene illum ordinet ad ęquales & inferiores, quod fit ſex vltimis gradibus, quemadmodum in ſingulorũ explicatione patebit. Primus itaque humilitatis Chriſtianæ gradus, omnibus maxime neceſſarius, vtpote totius vitæ Chriſtianæ fundamentũ, eſt timor Dei. Qui hominem ſuæ cõditionis & paruitatis conſcium Deo creatori ſubditum, & mandatorũ eius perpetuò memorẽ, & ne illa trãſgrediatur, ſollicitũ reddit, & ab omnis generis v. g. cogitationis, linguæ, oculorũ, &c. peccato cohibet. Contra negligentiã (inquit Bernardus) timor exurgit, nimirũ ipſe eſt quo concutitur anima, diſcutitur con-

ſcientia, excutitur ſopor læthalis, incutitur ſolicitudo. Denique qui timet Deum, nihil negligit, ſed veretur omnia opera ſua. Ad hoc autem, vt in hoc ſalutari Dei timore contineamur, monet S. Benedictus. Primò, vt ſemper meminerimus gehennę peccatoribus præparatæ. Secundò, vt meminerimus vitæ æternæ, quę eſt retributio & merces iuſtorum. Tertiò, vt meminerimus nos ſemper & vbique à Deo conſpici & in ipſius cõſpectu verſari. Deinde probat diuerſis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, non tantum externa & viſibilia noſtra opera à Deo conſpici, verum etiam internas cogitationes, & intima, occultiſſimaque cordis noſtri deſideria. Et tandem concludens hortatur vt ſollicitè curemus, ne vnquam inutiles, & ad malum inclinati à tantâ maieſtate & diſtricto iudice comperiamur & conſpiciamur.

Secundus humilitatis gradus eſt, ſi quis propriam non amans voluntatem, deſideria ſua non delectetur implere, ſed vocem illam Domini factis imitetur dicentis:
Ioan. 6. *Non veni facere voluntatem meam, ſed eius, qui me miſit. Item dicit ſcriptura: Voluntas habet pœnam: & neceßitas parit coronam.*

Secundus humilitatis gradus, quo homo recto & debito ordine Deo ſubijcitur, eſt ſtudium implendæ non ſuæ, ſed diuinæ voluntatis. Quemadmodum enim ſuperbię eſt propriam voluntatem

tem amplecti, & mordicus tenere, alterius verò præſertim Dei, contemnere: ita humilitatis eſt alterius voluntatem, ſuæ anteponere. Rectè autem ſecundus gradus humilitatis ponitur amor diuinæ voluntatis, & odium propriæ voluntatis: quia ex primo gradu, tanquam effectus ex ſua cauſa naſcitur. Hoc enim timor in timente operatur & efficit, vt ei, quem timet, obſequatur, eiuſque voluntati ac nutui diligenter ſeruiat. *Qui enim timet Deum, faciet bona.* Et, *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis.* Cęterum tribus rationibus nititur ſanctus Benedictus nos à propriâ abducere, & ad Dei voluntatem adducere. Primò exemplo Domini ſaluatoris dicentis: *Deſcendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, ſed volũtatem eius, qui miſit me.* Si enim Chriſtus ſuam voluntatem, quæ non niſi optima erat, abdicauit, cur malam noſtram nos ſequamur? Secundò declaratione damni ac detrimenti quod ſequitur propriam voluntatem. Tertiò, oſtẽſione premij, quod conſequitur propriæ voluntatis renuntiationem. Voluntas enim habet pænam, neceſſitas parit coronam. q. d. voluptas & delectatio quæ capitur ex impletione propriæ voluntatis, pænam: neceſſitas verò quæ nos obligat & adducit ad obediendum Deo, & ſcriptis eius, coronam parit & meretur. Lata & ſpatioſa via eſt, quæ voluptatem & fruitionem propriæ voluntatis ſecutos trahit ad pænam mortis æternæ: Arcta autem & anguſta via eſt, quæ neceſſitate obediendi Deo, ſeipſos abnegantes & crucem ſuam quotidie tollentes, ducit ad perennis gloriæ coronam.

Eccleſ. 15. *Pſal. 111.* *Ioan. 6.*

Tertius humilitatis gradus eſt vt quis pro Dei amore omni obedientia ſe ſubdat maiori, imitans Dominum de quo dicit Apoſtolus: Factus obediens patri vſque ad mortem.

Philip. 2.

Poſtquam declarauit modos, quibus humilitas hominem erga Deũ debitè & bene diſpoſuit: oſtendit deinceps quomodo inferiorem hominẽ homini ſuperiori rectè & legitime ſubijciat. Fit autem hoc primò ſi inferior ſuperiori ſuam voluntatem per obedientiam ſubijciat, quod fit tertio gradu humilitatis. Hæc autem ſubiectio fit (inquit Bernardus) quando nouitius primò conuentui ſociatur. Eſt enim eximiæ id humilitatis, quod ille qui ad vitæ perfectionem tendit ſuę intelligentiæ ac prudentiæ ſuo cõſilio & iudicio diffidens, alterius iudicio atque conſilio, alterius rationibus ac voluntate gubernari velit, non ſibi credit, ſed velut imprudẽs, velut puer & ignarus alium vię ducem quærit & ſequitur. Sed inſignis hæc humilitas imprimis elucet in ijs, qui ex eminenti aliquo huius ſæculi loco, ad demiſſum religionis monaſticæ ſtatum ſe conuerterunt. Vt qui magnarum litterarum, eximiæ prudentiæ, boni conſilij, non infimę auctoritatis in ſæculo erant (cuiuſmodi ad monaſticen paſſim accedere videmus) hi ſuo ſenſu atque iudicio abdicato & relicto, propria voluntate ſpreta, & abiecta, alteri ſi guber-

Lib. de 12. gradibus humilitatis.

gubernandos ſubmiſſe tradunt. Hunc humilitatis gradum conſcenderat & tenebat Saulus cum proſtratus in terram tremens ac ſtupens dixit: *Domine quid me vis facere? & Dominus ad eum: ſurge & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere.* Ecce iſte qui ſecus pedes Gamalielis eruditus erat, iuxta veritatem paternę legis, contempto ſuæ prudentiæ iudicio, & abiecto propriæ voluntatis arbitrio ab Anania inſtructionem capit, & ipſi ſe gubernandum libens ſubmittit. Act. 9. Act. 22.

Quartus humilitatis gradus eſt, ſi in ipſa obedientia duris & contrarijs rebus, vel etiam quibuſlibet irrogatis iniurijs tacita conſcientia, patientiam amplectatur, & ſuſtinens non laceſsat, vel diſcedat dicente ſcriptura: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Item: Matth. 24.
Confortetur cor tuum & ſuſtine Dominum. Et oſtendens fidelem pro Domino vniuerſa etiam contraria ſuſtinere debere dicit etiam ex perſona ſufferentium: Propter te morte afficimur tota die: Æſtimati ſumus vt oues occiſionis. Et ſecuri de ſpe retributionis diuinæ, ſubſequuntur gaudentes & dicentes: Sed in his omnibus ſuperamus propter eũ qui dilexit Matth. 16. Pſal. 43. Rom. 8.

Rom. 8. *nos. Et item alio loco ſcriptura : probaſti*
Pſal. 65. *nos, inquit, Deus: igne nos examinaſti, ſicut igne examinatur argentum. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro. Et vt oſtendat ſub Priore nos debere eſſe, ſubſequitur dicens: Impoſuiſti*
Pſal. 65. *homines ſuper capita noſtra. Sed & præceptum Domini in aduerſis, & in iniurijs*
Matth. 5. *per patientiam adimplentes, qui percuſſi in maxillam, præbent & aliam: auferenti tunicam dimittunt & pallium, angariati*
2. Cor. 11. *miliario, vadunt & duo: cum Paulo Apoſtolo falſos fratres ſuſtinent, & perſecu-*
1. Cor. 4. *tionem ſuſtinent, & maledicentes ſe, benedicunt.*

Quoniam moleſta & dura eſt obedientia, quæ nimirum ſita eſt in propriæ voluntatis abnegatione, & alienæ impletione; propterea recto imò neceſſario ordine poſt propriæ voluntatis abnegationem, ſequenti gradu firmatur in propoſito: vt ſcilicet in eo, quod ſemel Deo & ſuperiori religioſus promiſit, ſit ſtabilis: vt propter dura & aſpera ab obedientia non recedat ; quod fit quarto humilitatis gradu. Quem enim difficilia & moleſta non terrent, is non facile ab obedientia diſcedet; qui verò ad hæc imparatus & inuoluntarius eſt, leui aduerſitatis vento animo vacil-

lat,

lat, mouetur, murmurat, ne dicam, recedit. Eſt autem monaſtica obedientia difficilis multis rationibus. Primò à ſe ſuaque natura, quia non fit ſine labore & violentia, quod homo relinquens propriam voluntatem, præſertim in bonis & licitis, amplectitur & ſequitur alienam, etiam in ijs, quæ minora per ſe & viliora videntur. Deinde grauis eſt propter ea, quæ præcipiuntur, vel quia animus obediētis ab ijs abhorret, & illi contraria ſunt; vel quia in ſe ardua & factu difficilia ſunt. Necnon & probra, contumelię, obloquia alienæ iniurię obędientiam oneroſam reddere, & obedientiæ diſcipulum laceſcere, & ad recedendum mouere ſolent. Ideo ſanctus Benedictus aduerſus ſingulas eiuſmodi in obediendo difficultates ſingulis ſacrę ſcripturæ teſtimonijs obedientiæ filium hic munit & confirmat: vt nimirũ in omnibus his patientiam amplectatur, & ſuſtinens non laſſetur, nec diſcedat. *In quibus obedientia monaſtica eſt difficilis.*

Quintus humilitatis gradus eſt, ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, vel mala à ſe abſconsè commiſſa, per humilem confeßionem Abbati non celauerit ſuo. Hortans nos de hac re ſcriptura dicit: Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eum. Et item dicit: Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius. Et itē propheta: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitias

Pſal. 36. *Pſal. 117.*

Pſal. 31. *tias meas non operui. Dixi, pronuntiabo aduerſum me iniuſtitias meas Domino: & tu remiſiſti impietatem cordis mei.*

Li. 22. Moral. c. 13. Hæc ſunt (inquit D. Gregorius veræ humilitatis teſtimonia, & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis aperire. At contra vſitatum humani generis vitium eſt, & latendo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & coniunctum defendendo multiplicare. Tertium igitur quo humilitas inferiorem ſuperiori ſubijcit, eſt, vt etiam in ijs, quæ ad conſcientiam pertinent, à ſuperiore tanquam Dei locum tenente, dirigi velit. Ad quod pertinet gradus quintus, quo quis arcana conſcientiæ ſuę illi vult patefacere. Quæ confeſſio ſeu arcanorum conſcientiæ detectio intelligi poteſt, tũ de confeſſione ſacramẽtali, tũ de ſpontanea extra ſacramentum, quæ fit cauſa conſilij, aut conſolationis, aut orationis, aut alius auxilij vel remedij ſpiritualis capiendi à ſuperiore ſeu patre ſpirituali, quia vtraque fit cum magna ſui humiliatione & animi demiſſione. Ideo ſcripturæ quas S. Benedictus huc attulit, non ſunt intelligendæ de cõfeſſione quæ intus in corde ſoli Deo fit, ſed quæ Deo fit in eius vicario ſcilicet in prælato, in ſacerdote, in ſeniore qui vice Dei ægris animis mederi norunt. Hęc autem ſpontanea cõfeſſio malarum cogitationum & arcanorum conſcientię, quam vtilis ſit imò religioſis neceſſaria ad animi puritatem, & vitæ perfectionem tendentibus, manifeſtum fit & doctrina & exemplis

ſancto-

ſanctorum patrum, qui eam initio conuerſionis ſuæ diligenter vſurparunt & obſeruarunt, ac diſcipulos ſuos obſeruandum docuerunt. Voluit namque ſanctus Baſilius adoleſcentes & pueros in hac exerceri, vt vbi adoleuiſſent, conſuetudine firmati, eam retinerent. Qui, inquit, iſta ætate ſunt (ſcilicet adoleſcentiæ) rectè educati, & mẽte eſſe attentiores & cogitatione minus temerè aberrare conſueſcent, ſi à magiſtris identidem interrogentur, quo dirigant mentem, quid ſecum verſent cogitationis. Etenim ætas illa vtpote ſimplex, maximeque ab aſtutijs remota, & ad mendacium fingendum non ſatis idonea, animi arcana facile enuntiat. Porrò qui eiuſmodi eſt is reprehenſionem metuens, operam dabit vt abſurdas iſtiuſmodi cogitationes fugiat, ſeſeque ſubinde, ne in illis frequenter repræhendatur, reuocabit. Quamobrem animus, dum tener eſt adhuc & ritu ceræ quæ ipſa impreſſas in ſe formas quaſcumque facillimè recipit, molliſſimè cedit, confeſtim ab ipſo initio, omni rerum bonarum inbui exercitatione debet, qua videlicet vbi poſtea rationis vſus acceſſerit, & habitum illum rerum diiudicandarum ętas maior attulerit, pietati iam ab ineunte ætate aſſuetus nullo impedimento, curſu vtatur faciliore, cum & ratio quid expediat, admoneat, & ad id aſſequendum facilitatem præbeat conſuetudo. Hæc Baſilius. Et S. Petrus neceſſitatem & fructum huius confeſſionis indicans, interrogatus à Niceta ſic reſpondit: Permitto, inquit, non ſolum tibi, ſed & omnibus, non ſolũmodo ſed & ſemper vt vnuſquiſq; quid eũ mouet & partẽ quã dolet in animo fatea-

Regulæ fuſius diſp. ca. 14.

L. 3. recognit. Clemẽt.

fateatur, vt poſſit conſequi medicinam. Quæ e-
nim ſilentio conteguntur, nec innoteſcũt nobis,
velut multi temporis vitia, difficile curantur. Et
ideo quoniam tacẽtibus non facile poteſt mede-
la opportuni & neceſſarij ſermonis adhiberi, pro-
ferre debet vnuſquiſque in quo animus per igno-
rantiam languet: tacenti verò dare remedium ſo-
lius eſt Dei. Et quoniam taciturni & occultas in-
firmitates ſuas ſilentio tegentes ſerò vel nũquam
curantur, ideo dicebat Abbas Poëmen, quod in
nullo ſic gaudeat inimicus, quomodo in illo, qui
non vult cogitationes ſuas manifeſtare, hoc enim
valde periculoſum eſt; & è contrario valde tutum
Coll. 2. c. 10. eas patri ſpirituali aperire. Non enim valebit (in-
quit Caſſianus) ignorationi eius callidus hoſtis
illudere, qui vniuerſas cogitationes in corde naſ-
centes pernitioſâ verecundiâ neſcit obtegere, ſed
eas maturo examine ſeniorum reprobat vel ad-
mittit. Illicò namque, vt patefacta fuerit cogita-
tio maligna, marceſcit, & antequam diſcretionis
iudicium proferatur, ſerpens teterrimus velut è
tenebroſo & ſubterraneo ſpecu, virtute confeſ-
ſionis protractus ad lucem & traductus quodam
modo ac dehoneſtatus abſcedit. Tam diu enim
ſuggeſtiones eius noxiæ dominantur in nobis,
Coll. 2. c. 11. quamdiu cęlãtur in corde. Quod tali exẽplo Se-
rapionis Abbatis à Caſſiano relato clarè exiſtit.
Solet enim Serapiõ Abbas iunioribus ſuis refer-
re: Cũ eſſem, inquit, adhuc puerilus & cũ Theo-
ne Abbate commanerem, hæc mihi fuerat inimi-
ci impugnatione conſuetudo ingeſta, vt poſtquã
refeciſſem hora nona cum ſene, vnum paximaciũ
quotidiè in ſinu meo latenter abſcõderem, quod
ſerò illo ignorante, occultè edebã. Quod furtum
licet

Non licet Monacho ſine furti nomine aliquid clãculum demenſa accipere extra præ-

licet conuenientia voluptatis, & inoliti ſemel deſiderij incontinentia ſine ceſſatione committerē, expleta tamen concupiſcentia fraudulenta ad me ipſum reuertēs, ſuper admiſſo furti crimine, grauius cruciabar, quam ſuper eſu eius fueram iucūdatus. Cum illud moleſtiſſimum opus velut ab exactoribus Pharaonis indictum mihi vice laterum ſingulis diebus explere non ſine dolore cordis mei compelleret, nec tamen eruere me poſſem ab hac eorum ſæuiſſimâ tyrannide, & clandeſtinum furtum ſeni manifeſtare confunderer, contigit Dei nutu de hoc me captiuitatis iugo volentis eripere, vt quidam fratres cellam ſenis obtentu ædificationis expeterent. Cumque refectione tranſacta collatio ſpiritalis cæpiſſet agitari, reſpondenſque ſenex propoſitis interrogationibus eorum, de gaſtrimargiæ vitio & occultarum cogitationum denominatione diſſereret, earumque naturam, & atrociſſimam vim quam haberent, donec celarentur exponeret, compunctus ego collationis huius virtute, & conſcientia redarguēte perterritus, velut qui crederem ob hoc ea fuiſſe prolata, quod ſeni Dominus ſecreta mei pectoris reuelaſſet, in occcultos primum gemitus excitatus, deinde cordis mei compunctione creſcēte, in apertos ſingultus lachrymaſque prorumpens paximacium, quod conſuetudine vitioſa clanculè ſubtraxeram comedendum, de ſinu furti mei conſcio ac ſuſcèptore produxi, ipſumque in medium proferens, quemadmodum quotidiè latenter ederem, proſtratus in terram cum veniæ poſtulatione confeſſus ſum, & vbertim profuſis lachrymis, vt abſolutionem duriſſimæ captiuitatis à Domino depoſcerent, imploraui: Tunc

ſcriptum comedendū.

Exemplum fallaciæ diabolicæ in rebus minutioribus.

Inſignis pænitētia exēplum.

Tunc ſenex: Cōfide, ait, ô puer abſolui te ab hac captiuitate, etiam me tacente, tua confeſſio. Et idcirco iam te poſt hanc publicationē tuam nequiſſimus ſpiritus iſte inquietare nō poterit, nec in te latibulum ſibi teterrimus ſerpens deinceps vſurpabit, de tenebris tui cordis confeſſione ſalutari protractus ad lucem. Necdum ſenex hęc verba cōpleuerat, & ecce lāpas accenſa de meo ſinu procedens, ita cellā repleuit odore ſulfureo, vt vehementia fætoris ipſius vix in ea reſidere nos permitteret. Reſumēſq; ſenex admonitionē, Ecce, inquit, Deus tibi veritatē ſermonū meorū viſibiliter approbauit, vt paſſionis illius incentorem de corde tuo confeſſione ſalubri fugatum, oculis peruideres, patefactumque hoſtē nequaquā locum in te vlterius habiturū, aperta eius expulſione cognoſceres. Itaq; ſecundū ſententiā ſenis, ita eſt, inquit, in me cōfeſſionis huius virtute, dominatio diabolicæ illius tyrānidis extincta atque in perpetuū cōſopita, vt nunquā mihi ne memoriam quidē cōcupiſcētiæ huius vlterius tētauerit inimicus ingerere, nec me poſt hæc aliquando pulſatū furtiui illius deſiderij inſtigatione perſēſerim. Ecce inſignē virtutē & efficaciam cōfeſſionis quam ſane, quanti fecerit S. Gregorius oſtēdit in Iob his verbis: Videatur, inquit, vir iſte cuilibet magnus in virtutibus ſuis, mihi certè ſublimis apparet etiam in peccatis ſuis. Mirentur in eo qui volunt caſtitatis continentiā, mirētur integritatē iuſtitię, mirentur viſcera pietatis: ego in eo non minus admiror cōfeſſionem humillimam peccatorum, quam tot ſublimia geſta virtutum. Scio enim quod per infirmitatis verecundiā plerumque grauioris eſt certaminis commiſſa peccata

Confeſſio peccati eſt eiectio diaboli.

L. 22. Moral. cap. 14.

cata prodere, quam non admiſſa vitare; & vnũquodque malum quamuis robuſtius vitetur, tamen humilius proditur. Hæc Gregorius.

Sextus humilitatis gradus eſt, ſi omni humilitate vel extremitate ſit contentus monachus: & ad omnia quæ ſibi iniunguntur, velut operarium malum & indignum ſe iudicet, dicens cum propheta: Ad nihilum redactus ſum, & neſciui: vt iumentũ factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. *Pſal. 72.*

Oportunè hic gradus antecedentem cõſequitur, cui nimirum, & ſubſeruit. Quemadmodum enim dictum eſt, quartum humilitatis gradum firmitatem & munimen pręſtare tertio gradui, propterea quod ita animum patientia muniat, vt nec ob moleſtias, nec iniurias quaſcumque obedientiam ſemel promiſſam deſerat: ita ſextus iſte gradus quintum confirmat, dum nimirũ hoc præſtat, vt diſcipulus medicinã à ſuperiore aut patre ſpirituali ægrè ſuę animæ vel occultis vitijs adhibitã humiliter excipiat vel ſeruet; nec ſuæ prouidẽtiæ aut induſtriæ in via ſpirituali vllo modo fidat. Hoc enim fit cũ defectibus ſuis bene expẽſis, ſe ad omnia indignum & inutilem iudicat, qui eſt ſextus humilitatis gradus. Ille enim facilè cogitationes ſuas, & occulta ſua mala manifeſtabit, qui vilis haberi non formidat: ille quoque idoneus eſt, qui à patre ſpirituali de internis animi affectibus inſtruatur, & in

Qui non timet abiectus fieri ſua crimina prodit.

& in rebus ſpiritualibus dirigatur, qui iuxta Apo-
Rom. 12. ſtolum, non alta ſapit, ſed humilibus conſentit, cui viliora & contemptibiliora placẽt, verbi gratia, in cibo, in veſtitu, in opere ſeu officio, & in omni denique vita & conuerſatione; qui ad omnia, quę ſibi iniungũtur non ſolum magna & ardua, ſed etiam ad leuiſſima, ad viliſſima & abiectiſſima opera & officia ritè obeunda, & explenda operarium malum, indignum & ineptum ſe indicat. Quod ſane quilibet de ſe non falsò, ſed verè de ſuis proprijſque viribus metiendo iudicare poteſt & debet. Quia homo ſibi & naturali ſuæ imbecillitati relictus, gratiâ Dei nihil adiutus, ve-
Ioan. 15. rè nihil poteſt præſtare dicente Chriſto: *Sine me nihil poteſtis facere, nihil* ſcilicet quod ſit Deo gratum, quod vobis ſalutare. Vnde & humilitatis
1. Cor. 12. ſpiritu imbutus Paulus: *Nemo*, inquit, *poteſt dicere Domine Ieſu, niſi in ſpiritu ſancto*. Et iterum: *Non*
2. Cor. 3. *quod ſufficientes ſumus cogitare à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos non fecit miniſtros noui teſtamenti &c.* Quamuis verò à nobis nihil poſſimus, ſi tamen Dei gratia adiuti perpendamus quid poſſimus, iam ſine dubio nihil nõ
Philip. 4. poſſumus. *Omnia enim* (inquit Apoſtolus) *poſsũ in eo, qui me confortat.* Et Chriſtus Dominus ait:
Marci 9. *Omnia poſsibilia ſunt credenti.* Nil (inquit Bernar-
Serm. 85. Cant. dus) omnipotentiã Verbi clariorem reddit quam quod omnipotentes facit omnes, qui in ſe ſperant. An non omnipotens cui omnia poſſibilia ſunt? Declarat hoc Diuus Gregorius in libros regum lib. 1. cap. 3. in illa verba. *Ad*
1 Reg. c. 26. *huc reliquus eſt paruulus &c.* Merito, inquit, paruulus iſte dicitur oues paſcere; quia electus quiſque humilis eſt, & ſterilis non eſt: quia
quotidie

quotidie magna agit, ſed de ſe magna non ſentit. Meritò ergo nõ ſolũ paruulus, ſed paſtor aſſeritur; quia qui verè humiles ſunt, foris ſe deijciunt, ſed per internam ſocietatem in ſummis & æternis paſcuis immorantur. Nam ſcriptum eſt; *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* *Iacob. 1.* Quæ autem gratia niſi vt ſumma videant & cognoſcant, cognoſcant & diligant, atque ad ipſa dilecta, quaſi fortes & pingues currant? Hæc D. Gregorius. Idẽ cernitur in omnibus beatis, ſunt enim & ex ſe humillimi, & ex donis Dei ſummè magnamini. Imò nulli ſunt magis magnamini quam illi, qui vere ſunt humiles. Cum enim non ſuis viribus, ſed Dei tantum auxilio, cui ſe penitus ſubiecerunt, nitantur, eiuſque omnipotentiam & bonitatem aſſiduè cogitent; nihil eſt, quod hac ratione illis impoſſibile, aut valde arduum appareat: ac proinde etiam quiduis aggredi, cum honor Dei poſtulat, non dubitant. Exemplo nobis ſunt maximi quique ſanctorum, & inprimis Apoſtoli, qui ſtupenda, Deo confiſi, ſunt aggreſſi & perfecerunt. Itaque humilitas non reddit ſegnem aut timidum, aut puſillanimem, ſed ad veram animi magnitudinem diſponit. Mũdi magnanimitas quia ſuis viribus nititur, ſuperbia potius eſt quam magnanimitas.

Summè humiles ſunt verè magnanimi.

Septimus humilitatis gradus eſt ſi omnibus ſe inferiorẽ & viliorem, nõ ſolũ ſua lingua pronuntiet, ſed etiam intimo cordis credat affectu, humilians ſe & dicens, cum propheta: Ego autem ſum vermis & *Pſal. 71.*

 non

non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis. Pſal. 78. *Exaltatus ſum & humiliatus & confuſus. Et iterum, bonum mihi* Pſal. 118. *quod humiliaſti me: vt diſcam mandata tua.*

Tertium & vltimum quod requiritur ad perfectam humilitatem eſt vt religioſum bene ordinet ad proximos ſiue pares, ſiue minores. Primum quo ad internam æſtimationem: quod fit hoc ſeptimo gradu, dum ſe omnibus viliorem ex animo credit; tum quo ad externam conuerſationẽ, quod fit quinque gradibus conſequentibus, quibus exteriora noſtra ad humilitatem formantur, vt patebit. *Omnis humilitas eſt verax.* Verum, cum virtus humilitatis cum veritate conſentire debeat, nec cum falſo iudicio conſiſtat, quærat forte aliquis: *Quæſtio.* quomodo tamquam verè humilis, veraciter me iudicem inferiorem & viliorem illo quem video malè viuere & committere peccata, quæ ego deteſtor & perpetrare nolim? *Reſponſio.* vt humilitas tua ex veritatis iudicio hic procedat, recipies te introrsũ, ad abdita & occulta cordis tui, quæ tibi & Deo ſoli cognita ſunt; vel conuertes oculum mentis tuæ ad ea, quæ in occulto agis, & ibi haud dubito, aliquid vitij vel infirmitatis tuæ deprehendes, quod in illo proximo tuo ignorabis, quod illi (niſi temere proximum iudices) certò attribuere, nec audebis nec poteris: & hic iam te illo ſine periculo falſitatis viliorem veraciter iudicabis. Qui perfectè ſemel ſeipſum examinãdo intelligit (inquit Guilielmus Abbas Signiacenſis ad fratres Carthuſienſes) ſuo peccato nullius peccatum

par

par eſſe æſtimat, quod non ſicut ſuum intelligit. Deinde ignoras quos internos animi bonos motus ſentiat, quos tu non ſentis; ignoras & quanto cordis dolore & pœnitudine peccata ſua defleat, quanto cruciatu, & carnis ſuæ afflictione eadem occultè expiet. Audiamus D. Bernardum, vanum hunc ſcrupulum ac dubitationem, ſic nobis eximentem: Quid ſi in eo, inquit, diſcordaret à veritate, vt minorem ſe inferioremque putaret quam veritas haberet? Excuſaret eum ſua proculdubio ignorantia, & minimè reputaretur ſuperbus, nec tam inueniretur iniquitas eius ad odium, quam humilitas fortaſſis ad gratiam. Si enim in quonam ſtatu vnumquemque noſtrum habeat Deus, liquido cognoſceremus: nec ſuprà ſanè, nec infra ſecedere deberemus, veritati in omnibus acquieſcentes. Nunc autem quia conſilium hoc poſuit tenebras latibulum ſuum, & ſermo abſconditus eſt à nobis, ita vt nemo ſciat, ſi dignus ſit amore vel odio, iuſtius tutiuſque iuxta ipſius veritatis conſilium, nouiſſimum nobis locum eligimus de quo poſtmodũ cum honore ſuperius educamur; quam præſumimus altiorem, vnde cedere mox oporteat cum rubore. Non eſt ergo periculum quantumcumque te humilies, quantumcumque reputes minorem quam ſis, hoc eſt, quam te veritas habeat. Eſt autem grande malum, horrendumque periculum, ſi vel modicè plus verò te extollas, ſi vel vni videlicet, in tua cogitatione te præferas, quem fortè parem tibi veritas iudicat, aut etiam ſuperiorem. Quemadmodũ enim ſi per oſtium tranſeas cuius ſubliminare (vt ad intelligentiam loquar) nimium baſſũ ſit, non nocet quantũcumque te inclinaueris, nocet autem ſi vel trãſuerſi digiti ſpatio plus quam

Serm. 37. Cant.

2. Reg. 22. *Eccl. 9.*

Luca 14.

Audenter te humilies in omnibus.

Similitudo.

oſtij patitur menſura, erexeris, ita vt impingas, & capite quaſſato collidaris: ſic in anima non eſt planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autē, nimiū que pauenda vel minima temere præſumpta erectio. Quam ob rem noli te homo comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid ſcis enim ô homo ſi vnus ille quē forte omnium viliſſimum atque miſerrimum reputas, cuius vitam ſceleratiſſimam, ac ſingulariter fœdiſſimam horres, & propterea illum putas ſpernendum non modo præ te (qui forte iam ſobriè & iuſtè & piè viuere te confidis) ſed etiam præ cæteris omnibus ſceleratis, tanquam omnium ſceleratiſſimum, quid ſcis inquam ſi melior & te, & illis mutatione dexteræ excelſi in ſe quidem futurus ſit, in Deo vero iam ſit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipſum ſaltem inter nouiſſimos eligere locum nos voluit. *Sed recumbe* (inquit) *in nouiſſimo loco*; vt ſolus videlicet omnium nouiſſimè ſedeas, teque nemini ne dico præponas, ſed nec comparare præſumas. Et alibi oſtendens humilitatem illam, qua quis ſe omnibus inferiorem & viliorem credit & pronuntiat, nulli ſe comparando, eſſe iuſtitiam latiorem & à lapſus periculo remotiorem; aliam vero qua alteri ſe comparat eſſe iuſtitiam ſtrictiorem & lapſui vicinam, ſic ait: eſt iuſtitia quædam ſtricta & anguſta valde, itavt quam cito pedem verteris, in peccati foueam cadas, nec præponere ſe æquali, nec æquare præpoſito. Huius definitio eſt, Reddere vnicuique quod ſuum eſt. Altera latior & amplior iuſtitia, nec æquare ſe pari nec inferiori prępónere. Sicut enim grandis & grauis eſt ſuperbia, præferre ſe æquali, aut æquare prælato: ita magnæ humilitatis eſt & inferiorem ſe exhi-

Elatio mentis pernitioſa.

Sui nimia erectio & horrenda.

Fortè ille eſt te melior quē putas peiorem.

Luca 14.

Sermon. 4. Epiph.

exhibere æquali, aut, ęqualem inferiori. Maxima & plena iuſtitia eſt ſe inferiorem exhibere etiam ipſi inferiori. Sicut enim ſumma & intolerabilis ſuperbia eſt ſuperiori ſe præponere: ita inferiori ſe ſubdere ſumma & plena iuſtitia eſt. Hæc Bernardus. Alia ratio eſt aſſignandi gradus humilitatis ſcilicet ex parte obiecti cui ipſa ſe ſubijcit. Primùm, ſcilicet ſubdere ſe maiori & non præferre ſe æquali. 2. ſubdere ſe ęquali nec præferre ſe minori. 3. ſubdere ſe minori. Primum vocat Bernardus iuſtitiam anguſtam, & eſt ſufficiens. 2. iuſtitiam latiorem, & eſt abundans. 3. plenam iuſtitiam quam Chriſtus baptizatus à Ioanne ſuo exemplo oſtendit dicens: *Sic oportet nos implere omnem iuſtitiam.* Per primum ſubijcimus nos omnibus ſuperioribus tam ſæcularibus quam Eccleſiaſticis, debitam obedientiam illis præſtantes; cum æqualibus vero ſocialiter æqualiter viuimus, nolentes illis præferri, aut maiores videri, nec ad noſtrum ſenſum aut modum eos pertrahere. Per ſecundum ita nos æqualibus ſubijcimus, vt eos nobis in animo præferamus, eos honoremus, honoratiorem locum libenter concedamus, & facile in rebus honeſtis nos ipſis accommodemus. Per tertium præponimus nobis inferiores tum interius in animo, tum etiam exterius, quãdo id decorè fieri poteſt, libenter profitendo illos nobis doctiores, meliores &c.

Qua perfectiſſima iuſtitia.

Gradus humilitatis ex parte obiecti.

Octauus humilitatis gradus eſt, ſi nihil agat monachus, niſi quod communis monaſterij regula, vel maiorum cohortantur exempla.

Ad Marcellam epiſt. Ambroſius.

Iactans vel arrogans eſt (inquit D. Hieron.) qui non acquieſcit ijs quæ à patribus vel à maioribus inſtituta ſunt pro communi vtilitate, ſed propriam quandam viam iuſtitiæ ac ſanctitatis inquirit. Non tamen is ſingularitatis notatur, nec proprium iuſtitiæ ac ſanctitatis viam inquirit, qui in congregatione, vbi forte religio collapſa eſt, ſeruat ea, quæ plerique malè negligunt, vel ſeruat ea, quæ religionis ſunt, ſollicitè & accuratè, quæ alij negligenter & remiſsè: ſed ille qui in congregatione, vbi piè, ſobriè, & iuſtè viuitur, pręter communem, vſitatum & bonum viuendi modum, vel ſingulariter ieiunat, vel à communi cibo potuue (niſi legitima ratione & permiſſu ſuperiorjs) ſe abſtinet, alijs operantibus, orat, aut meditatur &c. De quali Ioannes Caſſianus. Quidquid, inquit, extra conſuetudinem, vſumque communem præſumitur, vt vanæ gloriæ, & oſtentationis morbo pollutum antiquiſſima patrum traditio notat. Et D. Bernardus nouitij feruoris & ſingularitatis durius arguit eos, qui recens ad religionem venerant: Veſtram illam, inquit, minus diſcretam vehementiam, imò intemperantiam prorſus nimium obſtinatam frequenter reprimere conati ſumus. Non vultis communi eſſe contenti vita, non ſufficit vobis regulare ieiunium, non ſolemnes vigiliæ, non impoſita diſciplina, non menſura quam vobis partimur in veſtimentis & alimentis, priuata præfertis communibus. Singularitatis autem amantem, vide luculenter depictum à D. Bernardo, plus ſibi, inquit, blanditur de vno ieiunio, quod cæteris prandētibus facit, quam ſi cum cæteris ſeptem diebus ieiunauerit. Commodior ſibi videtur vna oratiuncula particularis, quam tota pſalmodia vnius noctis,

Lib. 5. de inſtit. monaſt. c. 23.

Serm. 19. Cant.

Singularitatis monaſticæ amantis reprehenſio.

Tract. de 12. gradibus humilit. gradu 5.

Deſcriptio monachi hypocritæ.

noctis. Ad omnia ſua ſtrenuus, ad communia piger. Vigilat in lecto, dormit in choro, cum alijs pſallentibus ad vigilias tota nocte dormitat, poſt vigilias alijs quieſcentibus ſolus in oratorio remanet, excreat & tuſſit, gemitibus ac ſuſpirijs aures foris ſedentium de angulo implet, &c. Octauus igitur humilitatis gradus religioſum benè ordinat, ad proximos in externa conuerſatione, dum ſe cæteris accommodat, in ijs quæ communem vitam contingunt. Quemadmodum igitur homo ſuperbus, & vanæ gloriæ cupidus ſingularia & inſueta quædam molitur & agit, vt dicere poſſit: *Non ſum ſicut cæteri hominum*, verus humilis è contra, intra communis vitæ limites ſeſe continet, ne ſingularis videatur, ieiunat cum cæteris, manducat cum cæteris, &c. Hęc autem vitæ ſingularitas in religioſo improbatur multis de cauſis. Primùm quia propriam voluntatem retinet, quæ religioſo neganda eſt. Ideò Bernardus, ſic nouitios ſuos pergit increpare de ſingulari vita ſua: qui veſtri curam, inquit, ſemel nobis conceſſiſtis, quid rurſum de vobis vos intromittitis? Nam illam qua toties Deum, conſcientijs veſtris teſtibus offendiſtis, propriam videlicet voluntatem veſtram, ecce nunc igitur magiſtrum habetis, non me. Illa vos naturæ docet non parcere, rationi non acquieſcere, non obtemperare ſeniorum conſilio vel exemplo, non obedire nobis, &c. Et D. Baſilius, quærit an religioſus rectè ſecum ſtatuat, aliquod tempus ab hac vel illa eſca, aut potione ſe abſtinere: & reſpondet quod non: Quia, inquit, religioſo proprio voluntatis ſuæ arbitrio ſtare periculoſum eſt. Et iterum petit, an in familia fratrum permitti alicui debeat, vt pluſquam cęteri, ieiunet, vigi-

Luca 18.

Singularitas religioſo vitanda.

Serm. 19. Cant.

In reg. breuior. cap. 137.

Ibidem q. 138.

vigiletue ex proprio ipſius voluntatis arbitrio. Et reſpondet, quod non, quia, inquit, quod quis in rebus etiam bonis alios vult excellere, contentionis vitium eſt, quod ex appetitione naſcitur inanis gloriæ. Idcirco, inquit, omiſſis propr ijs voluntatibus, eoque vt velimus videri aliquid excellentius façere, quam reliqui, parere debemus Apoſtolo admonenti ac dicenti: *Siue manducatis ſiue bibitis, vel aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Propterea & ſanctus Bernardus quamuis (ſicut hiſtoria refert) priora ſua nihil reputans, ſemper maiora moliretur ad non parcendum corpori, ad ſtudijs ſpiritualibus robur addendum, corpus ſuum varijs infirmitatibus per ſe attenuatum, ieiunijs inſuper & vigilijs ſine intermiſſione atterendo, diligentiſſimè tamen omnem ſingularitatis notam cauebat: prouerbium illud in ore ei frequēter, ſemper in corde: Qui hoc facit quod nemo, mirantur omnes. Quo nimirum intuitu vitam, regulamque communem amplius æmulabatur, nihil in ſuis actibus præferens obſeruantiæ ſingularis. Ob hoc deniq; & cilicium quod pluribus annis occultè geſtauerat, vbi innotuit, continuo abijciens, ad communia ſeſe conuertit. 2. ſingularitas horrenda eſt religioſo, quia diabolum ſuaſorem & auctorem habet, dicente D. Bernardo: Suadet nonnullis ſingularia ieiunia quædam, vnde çęteri ſcandalizentur: non quia ieiunium diligat, ſed quia ſcandalo delectetur. Atque hæc tertia ratio eſt, cur ſummopere vitare eam debeat religioſus, quia ſcilicet, alios ſcandilizat, concordiam & vnitatē turbat. Quā propterea ſic grauiter damnat S. Bernardus: Quid illud, inquit, quod nos toties in domo iſta tam grauiter inquietat, notabilem quorundam loquor qui inter vos ſunt, ſuperſtitioſamq; abſti-

1. Cor. 10.

Lib. 1. vita S. Bernard. c. 8. & l. 3. c. 1.

Sermon. de multipl. vtilit. verbi Dei.

Serm. 64. Cant.

abſtinentiam, & qua ſe omnibus ſibique omnes moleſtos reddunt? quomodo non hæc ipſa diſcordia tam generalis & ſuæ illis conſcientiæ diſſipatio eſt, & quod in ipſo eſt, grandis vineæ huius, quam plantauerat dextera domini, veſtrum ſcilicet, omnium vnanimitatis demolitio? *væ homini per quem ſcandalum venit. Qui ſcandalizauerit vnum de his puſillis*, durum eſt quod ſequitur. Quantò duriora meretur, qui tantam & tam ſanctam multitudinem ſcandalizat? Iudicium prorſus duriſſimum portabit, quicumque eſt ille. Ideo & Symeon quidam qui præter communem vitæ modum rigidius & durius viuebat, (vt prodit hiſtoria) iuſſus eſt è congregatione ſecedere, ne ijs qui erant corpore imbecilliores, ea quæ eſſent ſupra vires æmulari conantibus, damni cauſa fieret.

Matth 26. Marci 9.

Theodoretus in hiſt. SS. Patrum c. 26.

Nonus humilitatis gradus eſt, ſi linguam ad loquendum prohibeat monachus, & taciturnitatem habens vſque ad interrogationem non loquatur, monſtrante ſcriptura: quia in multiloquio non effugietur peccatum: & quia vir linguoſus non dirigetur ſuper terram.

Prou. 10. Pſal. 139.

Iſte gradus iunioribus maximè & minoribus conuenit, qui ſi inter maiores non interrogati loquantur, ſuperbiæ notantur. Propterea quod ipſorum ſit, non alios docere, monere, corripere: ſed diſcere, moneri, corripi. Superbus igitur, & altè de ſe ſentiens ante interrogationem in verba prorumpit,

pit,ſeſeque oſtentat. Humilis vero breuiter alijs, de ſe autem demiſſe ſentiens, non ſuam prodere ſed alienam ſententiam & doctrinam audire cupit. Ideo ſenex quidam fratri ſic ſe interroganti: ſi habito cum alijs fratribus, & video aliquam rem inconuenientem, vis vt loquar? reſpondit: ſi ſunt aliqui maiores aut tibi coætanei, tace magis, & requiem habebis. In hoc enim quo te minorem facies etiam ſecurum te reddes, & quo modo video, inquit, bonum eſt tacere. Humilitas enim tibi eſt taciturnitas. Et Euagrius abbas initio conuerſationis ſuæ petijt quendam ſenem: Dic mihi, inquit, abba ſermonem, quo ſaluus fiam. Ille autem dixit ei: ſi vis ſaluari, quando ad aliquem vadis, non prius loquaris, antequam ille de te inquirat. Et Euagrius: Crede mihi, inquit codices multos legi & talem eruditionem nunquam inueni, & multum proficiens exiuit. Et D. Bernardus docebat ſororem ſuam vt taceret vſquequo interrogaretur. Interrogatio, inquit, os tuum aperiat. Imo nec paruis tantum, ſed & magnis eximijſque viris conuenit vſque ad interrogationem tacere. Hoc eſt, donec certa neceſſitas, aut euidens vtilitas velut interrogatio quædam ſermonem expoſtulare videatur. Temetipſum (inquit Abbas Ammon) fideliter ſerua & tanquam tibi magnum certamen negotiumque reputa, ſemper tacere. At, ſi neceſſarium tibi fuerit aliquid loqui, vbi tecum primum perpenderis, an rei neceſſitas, an ratio, an Dei voluntas id poſtulet, tum demum loquere; id enim tunc melius eſt, quam tacere, atque communica cum Deo loquendi cauſam, ſicque deinde loquere, tanquam Dei voluntati deſeruiens atque obſequens. Et D. Auguſt. Gaudium tibi ſit (inquit) in

Notabile documentum ſilentij.

De modo benè viuendi ad ſororem ſer. 30.

Apud Effrē tom. 1. c. 18. paramelicorum.

In Pſal. 139.

in auditione Dei, neceſſitas tibi ſit in locutione tua & non eris vir linguoſus, ne non dirigaris.

Decimus humilitatis gradus eſt ſi non ſit facilis ac promptus in riſu, quia ſcriptum eſt: Stultus in riſu exaltat vocem ſuam. Eccleſ. 21.

Quemadmodum humilis quiſque peccata ſua, peccandi pronitatem, omnemque vilitatem ac miſeriam, quam in ſe videt ſibi ob oculos perpetuo ponit, ex quo nimirum triſtitiam concipit, vultus ſerenitatem, & morum maturitatem oſtendit: ita econtra ſuperbus, omne quod eſt magnum, quod glorioſum videtur, ſibi proponit; quod abiectum, diſſimulat. v.g. eximias animi ac corporis dotes ſibi attribuit, conſcientiæ puritatem ſibi pollicetur, ac propterea animo læuis & ſecurus riſum non continet. Hinc D. Bernardus: proprium eſt (inquit) ſuperborum læta ſemper appetere, & triſtia, deuitare iuxta illud: *Cor ſtultorum vbi lætitia.* Cunctis quippe quæ in ſe contemptibilia & ideo triſtia nouerat, memoria raſis: boniſque ſi qua ſentit in ſe adunatis vel ſimulatis ante oculos mentis; dum nil cogitat niſi quodlibet, nec attendit ſi licet: iam riſum tenere iam ineptā lętitiā diſſimulare nō valet. Putas, ſi attendas, aut ſui oblitū, aut ablutū, à culpis vt enim veſica collecto turgida vēto, punctoq; perforata exiguo, ſi ſtringitur crepat dū detumeſcit, aç vętus egrediēs nō paſſim effuſus, ſed ſtrictius emiſſus crebros quoſdam ſonitus reddit; ſic monachus *De 12. gradibus humilitatis & ſuperbiæ gradu tertio.* *Eccleſ. 7.*

vbi

vbi vanis ſcurrilibuſque cor ſuum cogitationibus impleuerit, propter diſciplinam ſilentij non inueniens, ventus vanitatis qua plenius egrediatur, inter anguſtias faucium per cachinnos excutitur. Sæpe vultum pudibundus abſcondit, claudit labia, dentes ſtringit, ridet non volens, cachinnat inuitus, cumque os pugnis obſtruxerit ſuis, per nares adhuc ſternutare auditur.

Vndecimus humilitatis gradus eſt, ſi cum loquitur monachus, leniter & ſine riſu, humiliter cum grauitate, & pauca verba, & rationabilia loquatur; & non ſit clamoſus in voce, ſicut ſcriptum eſt: ſapiens verbis innoteſcit paucis.

Eccl 20.

Conditiones boni & fructuoſi ſermonis.

Hic notat ſanctus Benedictus, ſeptem conditiones boni & fructuoſi ſermonis, quas humilis quiſque in loquendo ſeruat: ſuperbi autem ſermo contrarijs vitijs contaminatur. Nam humilitatis ſermo primum lenis eſt audienti, hoc eſt, ſuauis, dulcis & benignus. 2. modeſtus & honeſtus ſine riſu. 3. humilis non verborum delectu exquiſitus. 4. grauis non inconſtans & mobilis. 5. ſobrius non verboſus. 6. rectæ rationi conſentiens & veritate ornatus. 7. non turbulentus, nec voce elatus, ſed ſubmiſſus. Superbus è contra loquendo vociferatur vel cachinnat, vera falſis ſæpe miſcet, verboſus eſt, variabilis nonnunquam, aſper minoribus & verborum faſtu moleſtus & odioſus.

Conditiones ſuperbi ſermonis.

Duode-

Duodecimus humilitatis gradus eſt, ſi non ſolum corde monachus, ſed etiam corpore humilitatem ſe videntibus ſemper indicet, id eſt, in opere: in monaſterio: in oratorio: in horto: in via, in agro vel vbicumque ſedens, ambulans, vel ſtans inclinato ſit ſemper capite, defixis in terram aſpectibus, reum ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimans, iam ſe tremendo iudicio Dei præſentari exiſtimet. Dicens ſemper illud, quod publicanus ille Euangelicus fixis in terram oculis dixit: Domine non ſum dignus, ego peccator leuare oculos meos ad cælum. Et iterum cum propheta: Incuruatus ſum, & humiliatus ſum vſquequaque.

Luca 18.
Pſal. 118.

Debet monachus humilitatem veraciter interius retinere, debet & eam videntibus ſe exterius demonſtrare: vt interius interno placeat iudici, & exterius cunctis exemplum præbeat humilitatis. Quemadmodum igitur præceps ad loquendum linguam, os in riſu diſſolutum, & curioſitas oculorũ, externa & viſibilia ſigna ſunt interioris & latentis ſuperbiæ: ita linguæ & oris continentia, oculorumque modeſtia internæ humilitatis indicia ſunt. Huius, inquam, humilitatis indicia qua religioſus (in-

Monachus interius & exterius humilis.

In formula honeſtæ vitæ. (inquit Bernardus) cogitat quia puluis eſt, & in puluerem reuertetur, qua ſe reum ſemper agnoſcit peccatorum, nunquam autem innocentem præſumit; qua omni hora ſupplicē ſe Deo, ſiſtit iamiamque ad iuſtum eius iudicium citandum formidat. Neque enim extollere ſolent oculos ſupplices & rei, ſed humi deſpicere. *Luca 18.* Sic enim Publicanus ille Euangelicus, humilis demittebat oculos in terram, nec audebat eos attollere (inquit Hieron.) *Lib. 1. aduerſus Pelag.* Conſcientia delictorum verecundabatur cælum intueri, vbi nouerat conſcientiæ ſuæ inſpectorem, & iudicem eſſe, quem offenderat. Sic de Chriſto humilitatis magiſtro, dicit S. Ioannes Euangeliſta. *Cum ſubleuaſſet oculos Ieſus*, quos ſcilicet, ſemper humi demiſſos habebat, nec ſuſtollebat niſi certa ratione. *Serm. in feſt. S. Malachiæ.* Quemadmodum & ſanctus Bernardus teſtatur de ſancto Malachia: Aſpectus eius, inquit, aut officioſus erat, aut demiſſus, & cohibitus intra ſe, nempe (quod non mediocri laudi inter ſapientes ducitur) oculus eius in capite eius nuſquam auolās, niſi cum virtuti paruiſſet. *Theodoretus hiſtoria SS. Patrum cap. 4.* Sic oculos noſtros conſcientia peccatorum, & timore impendentis iudicij percuſſos, & attonitos perpetuo & vbique in terrā demiſſos, habere nos decet. Quemadmodum legimus de quodam Euſebio, qui propterea quod oculos ſuos oblectauerat aſpectu aratorum, ita vt Ammonium ſacra legentem non exaudiſſet, tam rigidā *Exemplum cuſtodia oculorum.* deinceps legē ipſe oculis ſuis poſuit, vt neque campum illum vnquam contemplaretur poſtea, neq; cęleſti pulchritudine, & chori aſtrorum aſpectu frueretur, ſed anguſtiſſimâ vtens ſemitâ (cuius menſuram aiunt fuiſſe vnius palmi) tendēte ad oratorium, extra eam deinceps oculos egredi non eſt paſſus. Inſuper vinculis ferreis, ita ſe adſtrinxit &

onera-

eneravit, vt toto corpore inclinato, aſſiduè terram aſpicere cogeretur. Quâ lege & rigore fertur 40. annos vixiſſe.

Ergo his omnibus humilitatis gradibus aſcenſis monachus, mox ad charitatẽ Dei 1. *Ioannis* 4. *perueniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem, per quam vniuerſa quæ prius non ſine formidine, obſeruabat abſque vllo labore velut naturaliter, ex conſuetudine incipiet cuſtodire, non iam timore gehennæ, ſed amore Chriſti, & conſuetudine ipſa bona, & delectatione virtutum quæ Dominus iam in operario ſuo mundo à vitijs & peccatis Spirituſancto dignabitur demonſtrare.*

Concludit S. Benedictus, capitulum de humilitate, oſtendẽs, in quem finem duodecim eius gradus diſpoſuerit & deſcripſerit; & cum quo fructu religioſus eoſdem aſcendat, ſcilicet, cum fructu magnæ, imò perfectæ charitatis Dei: nam in primo humilitatis gradu, qui eſt timor Dei, initium quoddam charitatis eſt, *Principium*, enim, *ſapientiæ timor Domini.* Ab hoc igitur, primo humilitatis gradu pergens charitas, & ordine progrediens, per ſingulos gradiendo creſcit, & ſeipſa maior & perfectior ſemper euadit, donec tandem duodecimum attingens & comprehendens, perfecta fiat.

Quod

Quod hac ratione ſit manifeſtum : nam primus & infimus humilitatis gradus minima quoque charitas eſt, ſcilicet, ob metum gehennæ & ſpem vitæ æternæ meminiſſe mandatorum Dei, & illa ſeruare. Deinde in ſecundo maior quædam eſt charitas: quia abſolutè maius & perfectius eſt non amare, aut nolle propriam voluntatem & deſideria ſua, implere, quam illa non implere ; quia quamuis non impleas ob metum pœnæ, tamen adhuc forte amas. Rurſum in tertio amplior eſt charitas, qua à voluntate propria adhuc longius receditur, cum iam non ſolum non amatur, ſed etiam ei renuntiatur, ſubdendo eam voluntati alterius. Et ſic deinceps progrediendo vſque ad duodecimum humilitatis gradum, charitas per ſingulos incrementum capere monſtratur. Vltimi proinde & ſupremi humilitatis gradus perfectam quoque charitatem demonſtrant. Conſtat enim quod maior ſit charitas eius, qui linguam continet, riſum coercet, oculos cauſa placendi Deo deprimit, ne vel inutili verbo, vel modico riſu, vel oculo curioſo, leuiter illi diſpliceat, aut venialiter illum offendat; quàm eius, qui hoc ſolum curat, ne manifeſta mandatorum violatione mortaliter peccet. Qui autem hunc ſupremum charitatis gradum tenet, certè is iam foras miſit timorem. Qui enim adeo diligit Deum, vt ne inani & curioſo oculi iactu illum offendere velit, ſed ita ſollicitè & diligenter eius gratiam ſeruare ſtudet, vt etiam minima caueat, ne ipſi diſpliceat, ille non timore gehennæ, aut alius cuiuſdam pœnæ, ſed ſyncero & puro charitatis affectu Deo ſeruit. Nec tantum ſine formidine pœnæ ſeu gehennæ, ſed etiam magnâ alacritate & amore Chriſti, ac dilectione virtutum, velut naturaliter & ex con-

cõſuetudine vniuerſi obſeruat. Quemadmodum D. Bernardus in duodecimo gradu ſuperbiæ egregiè colligit. Quod quando homo aſcendit duodecimum humilitatis gradum, tunc ſine impedimento & labore ad vitam feſtinet, quem nimirum charitas alacrem facit, & in quo laborem nõ ſentit, & à quo charitas foras mittit timorem, & cui charitas dat ſecuritatem. Hanc autem operãdi alacritatem, delectationem, & ſecuritatem operatur & oſtendit Dominus gratia Spirituſſancti in operario ſuo, qui diligenter ſeſe exercendo & diſcurrendo per duodecim gradus humilitatis à vitijs & peccatis ſeſe mundare ſtuduit. *In tract. de duodecim grad. humilit. & ſuperb.*

De officijs diuinis in noctibus.

CAP. VIII.

Hiemis tempore, id eſt, à calendis Nouembris vſque ad Paſcha, iuxta conſiderationem rationis octaua hora noctis ſurgendum eſt, vt modicè ampliùs de media nocte pauſetur, & iam digeſti ſurgant.

Congruo ordine Sãctus Benedictus poſt humilitatis deſcriptionẽ & commendationẽ, orationis, & laudis diuinę tempus & modum diſponit.

 ponit.

ponit. Humilitas enim vna neceſſaria conditio eſt bonæ orationis. Hinc Iudith Domino
Iudith. 9. confitens ait: *Humilium & manſuetorum tibi ſemper placuit deprecatio.* Ad laudandum autem Deum ſacræ ſcripturæ & maximè pſalmi Dauidici frequenter nos hortantur, tum ſanctorum, tam veteris quam noui teſtamenti exempla nos prouocant, plurium rationes nos conuincũt, præſertim creationis, conſeruationis, redemptionis, & remunerationis. Quæ quatuor beneficiorum genera ob quę Deo perpetuas debeamus laudes, vide D. Bernardũ pulchrè declarãtem ſermone 14. in pſal. 90. Arguũt prꝛterea auium exempla Dei laudes ſuo modo canentium immo totius creaturæ quædam gratitudo. Omnes enim creaturæ
Lib. 11. Moral. cap. 2. (inquit D. Gregorius) eo ipſo quo creaturæ ſunt per oſtenſam ſpeciẽ Creatori ſuo quaſi laudem ſuæ confeſſionis reddunt. Poſtremò quid iucundius, quid fructuoſius quam laudare Deũ? Quod autem & nocte diuinæ laudes cantãdæ ſunt, item ſacrę ſcripturæ teſtimonia, ſanctorum exempla, & auium vigilantia nocte Deo canẽtium nos docet, ratio ſuadet & dictat. Suadet inquam, ratio, quia cum animus nocte liberior ſit ab imaginationibus creaturarum, quas lux diurna generat & ingerit, etiam ad laudandum Deum aptior eſt. Ratio quoque nos conuincit, quia ſi beneficia Dei nocte nõ conquieſcunt nec ceſſant, certè nec gratiarum actio ceſſare debet. De auiũ exẽplo ſic
Serm. 43. S. Ambroſius: Imitare frater minutiſſimas aues manè & veſpere Creatori gratias referendo. Et ſi es deuotior, imitare luſciniam, cui quoniam ad dicendum laudes dies ſola non ſufficit, nocturna ſpatia peruigili cantilena decurrit. Et tu igitur laudibus

laudibus tuis diem vincens operi tuo adde nocturna curricula. Et inſomnem ſuſcepti laboris induſtriam pſalterij ſerie conſolare. Myſteria autem quæ nocturnas vigilias nobis commendant ſunt, quia Chriſtus de Virgine media nocte natus eſt cantantibus Angelis: Gloria in altiſſimis Deo. Secundò, quia media nocte ſurrexit à mortuis. Octaua hora noctis qua ſurgere vult religioſos à Calendis Nouembris vſque ad Paſcha, poſt mediam noctem accipienda eſt ipſo S. Benedicto dicente: *Vt modicè amplius de media nocte pauſetur*. Id eſt vt parum vltra mediam noctem quieſcatur. Nec intelligi debet ſecundum ordinem nocturnarum horarum cuiuſque menſis; quia noctes creſcunt & decreſcunt. De hora ſurgendi nota in lib. definitionum: ſed ſecundum proportionem ad horas nocturnas Calēdarum Nouembrium v. g. ſi octauà hora noctis in Calendis Nouēbribus eſt hora prima vel ſecunda vel tertia poſt mediam noctem ſecundum computū noſtrum, etiam eadem hora prima vel ſecunda vel tertia æſtimetur & ſurgatur reliquis menſibus. Non obſtante quod alijs mēſibus noctes lōgiores ſint vel breuiores. Et hoc eſt quod S. Benedictus dicit iuxta conſiderationem rationis acceptæ à Calendis Nouembris. Huic cōſonare videtur quod Sanctus Clemens initio lib. 6. recognitionum ſcribit dixiſſe: Vbi, inquit, veris tempus &c. Cauſam cur tantum temporis quieti dandum ſit, ſubdit: *& iam digeſti ſurgant*, hoc eſt, concocto & digeſto cibo, pridie ſumpto vt agiles & vigiles ad diuinum officium peragendum ſurgant. Quia indigeſtio generat craſſos humores & vapores de ſtomacho ad

Myſteria nocturnas vigilias cōmendantia.

Quæ ſit octaua hora noctis.

Diſt. 5. c. 1.

caput aſcendentes & cerebrum perturbantes.
Epiſt. Audi filia. Quapropter & D. Hieron. hortatur Auſtochiũ: Ad orationem, inquit, tibi ſurgenti nocte non indigeſtio ructum faciat, ſed inanitas. Accedit huc quod eſt in regula.

Quod verò reſtat poſt vigilias à fratribus; qui pſalterij, vel lectionum aliquid indigent; meditationi inſeruiatur. A Paſcha autem vſque ad ſupradictas Calendas Nouembris ſic temperetur hora vigiliarũ agẽda, vt paruiſsimo interuallo, quo Fratres ad neceſſaria naturæ exeãt, cuſtodito, mox matutini, qui incipiente luce agendi ſunt, ſubſequantur.

Quo tẽpore matutini agantur. Matutinos, (qui laudes communiter dicũtur) vult regulariter agi, tam hyeme, quam æſtate, incipiente luce, hoc eſt, tenui aurorâ coruſcante. Sed interuallum inter vigilias & matutinas hyemis tempore longius, æſtatis vero breuius fieri debet propter noctium hyemaliũ, & æſtiualium inæqualitatem. Statuit igitur S. Benedictus quod religioſus hoc longiore ſpatio intermedio tempore hyemis agat. Cauet autem ne ſe ſomno det, *L. 2 c. 13. & l. 3. c. 5. de inſt. monaſt.* idque duabus de cauſis, quas Caſſianus notatas nobis reliquit. Primò, ne purificationem noſtram confeſſione ſupplici, & antelucanis orationibus acquiſitam, vel emergens quædam redundãtia humorum naturalium contaminet, vel illuſio inimici

inimici corrumpat. Secundò, ne ſomni refectio interrumpat ſpiritus noſtri feruorem, ac tepefactos ſomni torpore per totum diei ſpatium inertes deinceps ignauoſq; traducat. Quod Ægyptij vt caueant, poſt nocturnas, vſque ad lucem vigilias extendant, vt eos ſuperueniens lux matutina in hoc feruore ſpiritus reperiat conſtitutos, ac per totum diei tempus feruentiores, ſolicitioreſque cuſtodiat, præparatos eos ſuſpiciens ad conflictum & contra diaboli diurnam colluctationem, nocturnarumque exercitio vigiliarum, ac ſpiritali meditatione firmatos. Vult proinde vt religioſus poſt nocturnas vigilet & meditationi vacet, qui pſalterij vel lectionum aliquid indiget, hoc eſt quem fortè imprudentem vel negligentem aliquid de pſalmis vel alia diuini officij pars in cõmuni ſynaxi præterijt, id priuatim ſuppleat. Quia tardè ingreſſo chorum, ſufficit poſtea ea ſola, quę erant ab alijs recitata ſupplere; vel qui cupit lectionẽ aliquã publicè recitandã diſcere ſeu cogitatione & memoria percipere; vel ſacræ ſcripturæ ſtudere; vel alia ratione ſpiritũ ad pietatẽ exercere, id faciat ſecum meditando, non cum alijs conferendo, quia tempus ſilentij eſt. Sic enim fiet, quod Gillebertus Abbas de religioſis gloriatur, quod ſcilicet nec ipſa communium horarum interualla nocturna vacant.

Qui impeditus non impleuit pẽſum horarũ diurnũ, poſtea impleat.

Serm. 23. in Cant.

Quanti ſiue quot pſalmi dicendi ſunt in nocturnis horis.

CAP. IX.

Hyemis tempore, præmiſſo in primis verſu, Deus in adiutorium meum intẽde: Domine ad adiuuandum me feſtina: in ſecundo ter dicendum eſt: Domine labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam. Cui ſubiungendus eſt tertius pſalmus, & Gloria. Poſt hunc pſalmus nonageſimus quartus, cum antiphona aut certè decantandus. Inde ſequatur Ambroſianum. Deinde ſex pſalmi cum antiphonis. Quibus dictis, dicto verſu: benedicat Abbas. Et ſedentibus omnibus in ſcamnis legãtur viciſſim à fratribus in codice ſuper analogium tres lectiones: inter quas tria reſponſoria canantur. Poſt tertiã verò lectionẽ, qui cãtat, dicat Gloriã. Quã dũ incipit cãtor dicere, mox omnes de ſedilibus ſuis ſurgãt, ob honorẽ & reuerentiã ſãctæ

Trini-

Trinitatis. Codices autem legantur in vigilijs, tam veteris teſtamenti, quam noui, ſed & expoſitiones earum, quæ à nominatiſſimis & orthodoxis catholicisq́ patribus factæ ſunt. Poſt has verò tres lectiones cũ reſponſorijs ſuis ſequantur reliqui ſex pſalmi cum alleuia canẽdi. Poſt hos lectio Apoſtoli ſequatur, ex corde recitãda, et verſus et ſupplicatio letaniæ, id eſt, Kyrie eleyſon, & ſic finiantur vigiliæ nocturnæ.

INtellectus huius capitis quotidiano vſu tam planus eſt, vt explicatione nulla egeat. Illud tamen tacitè prætereundum non videtur, quod diuini adiutorij imploratio quæ ſingulis vicibus diuinarum laudum ſeu horis pręmittitur, nos admonet infirmitatis & inſufficientiæ noſtræ, & quod nihil dignè, nihil Deo gratum acturi ſumus, niſi eius nobis adſit adiutorium. Quæ res nos ſollicitos in diuino officio habere debet, iuxta illud: *Seruite Domino in timore*. Fit autem hæc inuocatio diuini adiutorij cum formatione crucis ad fugandum diabolum, qui orantes & Deum laudantes maximè infeſtare ſolet. Vnde & Sapiens monet: *Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Si crucẽ (inquit Chryſoſtomus) faciei tuæ impreſſeris, nullus ſceleſtorũ dæmonũ, cum haſtã videat, qua læthale vulnus ſuſcepit, congredi

Eccl. 2.

Hom. 55. in Matt.

Crucis ſignum haſtile validum.

tecum audebit. *Deinde ter dicitur: Domine labia mea aperies & os meum annuntiabit &c.* ad confeſſionē & reuerentiam ſanctiſſimæ Trinitatis, vt ſingularū perſonarum ſingulari inuocatione,diuinæ protectionis gratia citius certiuſque impetretur. De gloria &c. hoc notandum quod in eccleſia originem cæpit auctore & inſtitutore Damaſo Papa, monitore autem D. Hieron. qui Damaſo Papæ ſcribens ſic ait: Cliens precatur tuus, vox iſta pſallentium in ſede tua Romana die noctuque canatur, & in fine pſalmi cuiuſlibet ſiue matutinis ſiue veſpertinis horis, coniungi pręcipiat Apoſtolatus tui ordo, Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto, & reliqua. Illud carmen laudis omni pſalmo coniungi præcipiat,vt fides trecentorum decem & octo Epiſcoporum Niceni conſilij in veſtro ore pari conſortio declaretur. Conuenientiſſimè autem laudis iſtud carmen ad finem ſingulorum pſalmorum additur: quia quidquid in pſalmis continetur, ſummæ laudi Deo tribuendum eſt. v. g. ſumma Dei bonitas & iuſtitia,maieſtas & potentia, ſapientia, prouidentia, totius vniuerſi gubernatio & conſeruatio, promiſſiones & retributiones iuſtorum,comminationes & punitiones malorum, electio ſaluandorum, & reprobatio damnandorum,& alia Dei in nos beneficia, variaque eius iudicia. De quibus omnibus illi vel tanquam miſericordi ſaluatori, vel tamquam iuſto iudici laudes debemus. Vnde ſic D. Proſper: qui laudat Deum, inquit, in miraculis beneficiorum, laudat etiam in terroribus vltionum, nam & blanditur & minatur. Si non blandiretur, nulla eſſet exhortatio; ſi non minaretur, nulla eſſet correctio. Quemadmodum igitur religioſè

Damaſus Papa auctor gloria ad pſalmos. Epiſt. Legi litteras apoſtolatus veſtri.

Quare additur ad pſalmos ſingulos Gloria patri &c.

Serm. 70.

ligioſè laudis iſtud carmẽ inſtitutum eſt, ita cum intima deuotione ipſum cantare, & caput inclinando, ſanctiſſimæ trinitati honorem & reuerentiam deferre nos decet. Legitur ſtatutum in cõcilio Lugdunẽſi quod audiẽs vel dicens inter horas Gloria patri &c. inclinauerit ſe deuotè, meretur 40. dies indulgentiarum. Hoc enim quam ſibi gratum ſit teſtatum nobis eſſe voluit Deus exemplo Arnulphi monachi cuiuſdam Clareuallenſis, cui ægrotanti, & nihilominus inclinanti ſe ad Gloria patri &c. legitur Angelus ſuſtinuiſſe caput. *Ambroſianum* intelligit hymnum qui ſic dictus eſt, quia tempore ſancti Ambroſij in eccleſia Mediolanenſi cantari cæperunt hymni, qui mos inde latius manauit, vt teſtatur D. Paulinus in vita D. Ambroſij, & D August. lib. 9. confeſſ. cap. 7. *Lectiones* prædicationem verbi Dei ſignificãt, imò reipſa prædicationes ſunt & doctrinæ ſacræ. Et propterea eas lecturi benedictionem petũt: quia nemo niſi miſſus officium prædicandi vſurpare debet. *Quomodo enim prædicabunt* (inquit Apoſtolus) *niſi mittantur*? *Reſponſoria* autem quæ à reſpondendo dicuntur, hoc nobis innuunt, vt affectus, geſtus actuſque noſtri ipſis lectionibus reſpondeant & conſentiant. v. g. ſacræ lectiones læta annuntient, vtpote gaudia cęli, reſurrectionis gloriam & ſimilia, etiam lætè nos geramus; ſi triſtitia, veluti paſſionẽ Chriſti, pænitentiam, gehennæ pænam, triſtitiam oſtendamus, ne ſcilicet verè nobis dicatur illud Euangelij: *Cantauimus vobis & non ſaltaſtis: Lamentauimus vobis & non planxiſtis*. Ideo reſponſoria cum lectionibus concinere, idemque vel ſimile quod lector prædicat & hortatur, chorus annuere

Lib. de initio Ciſterc. ordinis diſt. 1. cap. 16.

Quid Ambroſianum?

Quid lectiones.

Rom. 10.

Quid reſpõſoria.

Matth. 11.

nuere

nuere, & cantu quaſi reſpondere ſolet.

Qualiter æſtatis tempore agatur nocturna laus.

CAP. X.

A Paſcha autem vſque ad Calendas Nouembris, omnis, vt ſupra dictum eſt, pſalmodiæ quantitas teneatur: excepto, quod lectiones in codice propter breuitatem noctium minimè legantur: ſed pro ipſis tribus lectionibus vna de veteri teſtamento memoriter dicatur, quam breue reſponſorium ſubſequatur, & reliqua omnia, vt dictum eſt, impleantur, ideſt, vt nunquam minus à duodecim pſalmorum quantitate ad vigilias nocturnas dicantur, exceptis tertio, & nonageſimo quarto pſalmo.

Pſalmorum duodenarius numerus.

AD iſtud capitulum hoc ſolum videtur annotandum de pſalmorum numero duodenario ad nocturnos perſoluendo, quòd diuinitus inſti-

inſtitutus, & ab Angelo denuntiatus ſit. Cum enim venerabiles Patres Ægypti (vt refert Caſſianus) peruigili cura poſteris conſcribentes, quinã modus quotidiano cultui per vniuerſum fraternitatis corpus decerni deberet, tractaturi cõueniſſent, & quilibet eorum pro ſuo feruore, alij quinquaginta, alij ſexaginta, alij plures pſalmos pro nocturna & veſperarum laude decantandos eſſe cenſerent, vnus in medio pſalmos Domino cantaturus exurgit. Cumque ſedentibus cunctis vndecim pſalmos cãtaſſet, duodecimum ſub Alleluia reſponſione conſummans, ab vniuerſorum oculis repentè ſubtractus, quæſtioni pariter & ceremonijs finem impoſuit. Et hinc venerabilis patrum ſenatus intelligens Angeli miniſterio cõgregationibus fratrum generalem canonem non ſine diſpenſatione Domini conſtitutum, hũc numerum tam in veſpertinis, quam in nocturnis conuẽtibus tum pro infirmorum tepiditate, tum pro fortium deuotione tenendum cenſuit.

rus diuinitus inſtitutus & Angeli miniſterio traditus.

Lib. 2 de inſt. monaſt. cap. 5. & 6.

Qualiter

Qualiter dominicis diebus vigiliæ agantur.

CAP. XI.

Dominico die tẽperiùs ſurgatur ad vigilias, in quibus vigilijs teneatur mẽſura, ideſt modulatis (vt ſupra diſpoſuimus) ſex pſalmis, & verſu, reſidẽtibus cunctis diſpoſitè, & per ordinem in ſubſellijs, legantur in codice (vt ſupra diximus) quatuor lectiones cum reſponſorijs ſuis, vbi tãtum in reſponſorio quarto dicatur à cantante, Gloria. *Quam cum incipit, mox omnes cũ reuerentia ſurgant. Poſt quas lectiones ſequantur ex ordine alij ſex pſalmi cum antiphonis ſicut anteriores, & verſu. Poſt quos iterum legantur aliæ quatuor lectiones cum reſponſorijs ſuis ordine, quo ſupra, poſt quas iterum dicantur tria Cãtica de prophetis, quæ inſtituerit Abbas: quæ Cantica cum alleluia pſallantur. Dico etiam*

iam verſu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor lectiones de nouo teſtamento, ordine quo ſuprà. Poſt quartum autem reſponſorium incipiat Abbas hymnum: Te Deum laudamus. Quo perdicto, legat Abbas lectionem de euangelio, cum honore & tremore ſtãtibus omnibus. Quâ perlectâ, reſpondeant omnes. Amen. Et ſubſequatur mox Abbas hymnum: Te decet laus. Et datâ benedictione, incipiant matutinas. Qui ordo vigiliarum omni tempore tam æſtatis, quam hyemis æqualiter in die Dominico teneatur, niſi fortè (quod abſit) tardiùs ſurgant, & aliquid de lectionibus breuiandum eſt, aut reſponſorijs, quod tamen omninò caueatur ne proueniat. Quod ſi contigerit, dignè inde ſatisfaciat Deo in oratorio per cuius euenerit neglectum.

Ad Euangelij lectionem omnes iubentur ſtare; quia omnes Chriſti fideles parati eſſe debent ad pugnandum pro fide catholica & euangelio. Stare enim pugnantium eſt. *State* (inquit Apoſtolus) *ſuccincti lumbos veſtros veritate, & induti loricam iuſtitiæ.* Cum honore & tremore audienda eſt ſancti euangelij lectio; quia hominem magnatem

Stans euangeliũ audi.

Epheſ. 6.

tem & in dignitate conſtitutũ audiamus cum reuerentiâ & honore; in poteſtate autem poſitum cum tremore, quidni Deum in Euangelio loquentem? Abbreuiatio lectionum fieri poteſt, non numeri duodenarij diminutione, ſed verborum & ſententiarum nonnulla ademptione, numerorum ſeu notarum in reſpõſionibus contractione. Per cuius neglectum autem tardius ſurgitur, is ſcilicet, dignè ſatisfaciat Deo in oratorio, publico ſcilicet aliquo ſatisfactionis & pænitentiæ ſigno, prout Abbas pro præſenti iuſſerit, aut conſuetudo congregationis tulerit; vel priuatim Deum veniã rogando, vel loco ſatisfactionis, aliquot pſalmos, aut alias preces Deo fundendo.

Qualiter matutinorum ſolemnitas agatur.

CAP. XII.

In matutinis, dominico die, inprimis dicatur ſexageſimuſſextus pſalmus ſine antiphona indirectè. Poſt quẽ dicatur quinquageſimus pſalmus, cum alleluia. Poſt quẽ dicantur centeſimus ſeptimus decimus, & ſexageſimus ſecundus. Deinde benedictiones, & laudes, lectio de Apocalypſi vna ex corde: & reſponſorium, & Ambroſianum:

num: & verſus: & Canticum de Euangelio: letaniæ: & completum eſt.

BEnedictiones in hoc capitulo intelliguntur, Canticum trium Puerorum, quo in fornace candente illæſi exiſtentes ad prædicandum Dei bonitatē & potentiā omnes & ſingulas creaturas prouocant. Laudes dicit pſalmum 148. cum duobus ſequētibus, in quibus quoq; omnes creaturæ tū ſenſus participes, tum ſenſus expertes, rationabiles & irrationabiles ad laudem Creatoris ſui excitātur. Benedictus, hoc eſt Cāticū Zachariæ, canticū eſt de Euangelio ſumptum. Litaniȩ Græcè, rogatio, Latinè dicitur, vt eſt Kyrie eleyſon, quod ſonat Domine miſerere. Cætera clara ſunt. *Quid hic benedictiones.* *Quid Laudes.*

Qualiter priuatis diebus matutinæ agantur.

CAP XIII.

Diebus autem priuatis matutinorū ſolēnitas ita agatur. Ideſt ſexageſimus ſextus pſalmus dicatur ſine antiphona: indirectè ſubtrahēdo ex codice ſicut dominica: vt omnes occurrant ad quinquageſimū qui cum antiphona dicatur. Poſt quem alij duo pſalmi dicuntur ſecundū conſuetudinē, id eſt ſe-

eſt, ſecunda feria, quintus & trigeſimuſquintus. Tertia feria, quadrageſimus ſecundus & quinquageſimus ſextus. Quarta feria, ſexageſimus tertius: & ſexageſimus quartus. Quinta feria, octuageſimus ſeptimus & octuageſimus nonus. Sexta feria, ſeptuageſimus quintus & nonageſimus primus. Sabbatho autem centeſimus quadrageſimus ſecundus: & Cãticum Deuteronomij quod diuidatur in duas glorias. Nam cæteris diebus canticum vnumquodque die ſuo ex prophetis ſicut pſallit Eccleſia Romana, dicatur. Poſt hæc ſequantur laudes: deinde lectio vna Apoſtoli memoriter recitanda, Reſponſoriũ Ambroſianum, verſus: canticũ de euangelio, lætania & completum eſt. Planè agẽda matutina vel veſpertina nõ trãseat aliquãdo, niſi in vltimo ordine oratio dominica omnibus audientibus dicatur à Priore, propter ſcãdalorum ſpinas quæ oriri ſolẽt, vt conuenti per ipſius orationis ſponſionẽ, qua dicũt, Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, purgẽt ſe ab huiuſmodi vitio.

vitio. Cæteris verò agendis vltima pars eius orationis dicatur vt ab omnibus reſpondeatur: ſed libera nos à malo.

Hic vnum iſtud notandum videtur, quod valde piè & congruè oratio Dominica in matitunis & veſpertinis precibus altâ voce recitatur: vt ſi fortè non omnia ſint pacata in congregatione, ſi quid diſſentionis aut ſimultatis lateat, diſſidentes & malè concordes, hoc orationis pacto, & petendæ ac dandæ ſibi veniæ conditionem, ſcilicet, dimitte fratri, ſi vis, vt Deus tibi dimittat, admoniti & conuicti, noxas & inimicitias inuicem ex animo condonent. *Si enim dimiſeritis hominibus* (inquit Chriſtus) *peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra, ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Ideo D. Leo: dicentes, inquit, Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, duriſſimis nos vinculis alligamus, niſi quod profitemur, impleamus. Rectè autem recitatur altâ voce in matitunis & veſpertinis potius quam in alijs horis. In matitunis, inquam, vt diem inſtantem cum fraternâ charitate ſuſcipiẽtes, fæliciter & cum ſalute decurramus. In veſpertinis autem, ne Sol occidat ſupra iracundiam noſtram.

Quare dicatur pater noſter altâ voce.

Matt. 6.

Ser. 5. in quadragſe. ca. 4.

Qualiter in natalitijs Sanctorum agantur vigiliæ.

CAP. XIV.

In ſanctorum verò feſtiuitatibus vel omnibus ſolemnitatibus, ſicut diximus Dominico die agendum, ita agatur; excepto, quod Pſalmi aut antiphonæ vel lectiones ad ipſum diem pertinentes, dicantur: modus autem ſupradictus teneatur.

Dies obitus Sanctorum eſt natalis eorum.

NAtalitia ſanctorum dicũtur dies paſſionis vel obitus eorum: quia ſicut quando quiſque noſtrûm ex matre ad temporalem & fugacem hanc vitam naſcitur, dicitur dies natalis, ita quando Sancti defungentes mortali hac vita, ad æternam & veram vitam naſcuntur & ingrediuntur, meritò eorum natalis dies & eſt, & dicitur; in quibus natalitijs idem modus & quantitas Pſalmorum, lectionum, reſponſoriorum, &c. quæ Dominici ſeruanda, ſeruetur, ſed qualitas mutãda ſtatuitur. Conuenit enim, vt quando feſta Sanctorum agimus, eos Pſalmos, lectiones, & cætera legamus, quæ ad ſanctos maximè pertineant: & quę eorum vitam

vitam, virtutes, vel præclara facta prædicant: vt hac ratione in ſanctos maiore amore accenſi, feſta deuotius peragamus, eorumque veſtigia diligentius amplectamur.

Quibus temporibus dicatur Alleluia.

CAP. XV.

A ſancto Paſcha vſque ad Pentecoſten ſine intermiſſione dicatur Alleluia, tam in Pſalmis quam in reſponſorijs. A Pentecoſte autem vſque ad caput quadrageſimę, omnibus noctibus cum ſex poſterioribus Pſalmis tantum ad nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra quadrageſimam, cantica, matutini, prima, tertia ſexta, nonaque cum Alleluia dicantur, veſpera verò cum antiphonis. Reſponſoria verò nunquam dicantur cum Alleluia niſi à Paſcha vſque ad Pentecoſten.

CApitulum iſtud de cantando Alleluia ipſo vſu patet; excepto quod anno 1601. cõmuni conſenſu venerabilium Patrum Abbatum noſtri Ciſtercienſis Ordinis in capitulo generali apud

Quãdo Cãtandum Alleluia.

apud Ciſtercium congregatorum ſtatutum eſt, vt Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ & Quinquageſimæ ad Cantica, matitunos, primam, tertiam, ſextam, nonam, & ad ſex poſtremos Pſalmos nocturnarum priuatis diebus loco, Alleluia, dicantur certę antiphonæ tempori luctus congruentes. Quia enim à ſeptuageſima vſque ad Paſcha præſentatur nobis tempus vitæ præſentis, dies laboris & doloris, de quibus Deus ad Adam poſtquam peccaſſet, ait. *In ſudore vultus tui, veſceris pane tuo.* Conſiderauerunt dicti Patres canticũ lętitiæ, ſcilicet, Alleluya, tempore luctus fore importunum. A Paſcha autem vſque ad Pentecoſten repræſentatur tempus lætitię, tempus beatæ Reſurrectionis, cuius gaudia voluit Deus, vt electi ſui piã quadam cogitatione & contemplatione perciperent & prægustarent, ad præſentium dolorum conſolationem & leuamen, & ad futuræ fœlicitatis deſiderium in eis excitandum. Nũc cantamus (inquit ſanctus Augu.) Alleluya ad ſolatium viatici, poſt hanc vitam nihil erit quàm Alleluya. Et iterum: ſpes beatę Reſurrectionis nunc cantat Alleluya. Canit & nunc amor, ſed amor eſuriens, cantabit poſt hac amor feruens. Cauſa igitur pręguſtatæ beatitudinis Eccleſia gratulando canit Alleluya, hoc eſt, Laudate Dominum, ſcilicet de gaudio æternæ ſalutis electis præparato.

Gen. 3.

Ser 1. in recens editis.

Quali-

Qualiter diuina opera per diem agantur.

CAP. XVI.

Vt ait Propheta: Septies in die laudem dixi tibi. Qui ſeptenarius numerus ſacratus à nobis ſic implebitur: ſi matituno, primę, tertię, ſextæ, nonę, veſperę, completorijque tempore noſtrę ſeruitutis officia perſoluamus: quia de his horis dixit Propheta: Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis vigilijs idem ipſe Propheta ait: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus referamus laudes Creatori noſtro ſuper iudicia iuſtitię ſuæ, id eſt, matitunis, prima, tertia, ſexta, nona, veſpera, completorio, & nocte ſurgamus ad confitendum ei.

SEptenarius numerus horarum canonicarũ antiquus eſt, celebris in Eccleſia Dei & myſterio commendatus. Solet enim iſte numerus (inquit D. Auguſt.) eſſe vniuerſitatis indicium, propter quod

Septenarius numerus eſt myſterioſus
Conc. 31. Pſal. 118.

quod ſex diebus diuinæ operationis, ſeptimus adiectus eſt quietis. Et per ſeptem dies currentes & recurrentes tempora vniuerſa voluuntur. *Septies igitur in die laudem dixi tibi.* Cur? *ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* q. d. iudicia tua varia ſunt & occulta, quæ omnia iuſta ſunt, quamuis eorum ratio nos lateat, veluti quod mali floreāt diuitijs, honoribus &c. Iuſti è contra, deſpiciantur, affligantur, nec iam, perſecutionem patiantur. Item qui maximam ætatis ſuæ partem in peccatis duxerunt, tandem ad pænitentiam conuertuntur & ſaluantur: qui verò piè vixiſſe multo tempore videntur, tandem peruerſi damnantur & pereunt. Hæc & ſimilia alta ſunt iudicia ſapientię & ſcientiæ Dei

Rom. 11. de quibus Apoſtolus cum admiratione ſui exclamat: *O altitudo diuitiarum ſapientię & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? &c.* Hæc igitur ſcrutari non licet, laudare oportet, immo ſepties in die, hoc eſt, ſemper tota die de his Deum laudare debemus. Huiuſmodi autē iudicia, myſteria & opera Dei, de quibus pſalmi Dauidici pleni ſunt, abunde quidem ſufficiunt ad pietatem & deuotionem recitanti & cantanti conciliandam: ſed quia non omnes, imò pauci fortaſſe nouerūt ſugere mel deuotionis de pſalmorum petra: (multi enim verba non intelligunt, pauciores verborum ſenſum, pauciſſimi myſteria.) ideo ad parandam & cōſeruandam animi intentionem, & deuotionem in horarum lectione quidam homines deuoti concipiunt & ſibi proponunt certos articulos de paſſione ſeu vita Chriſti, quibus animus in Deo & in gratiarum actione ſtabiliatur, quibus in cæleſtium amore inardeſcat, & creſcat; quorum etiam

Minus docti quæ concipiāt cantando Pſalmos.

jam memoria, animus, ſi fortè in pſalmodiæ & horarum decurſu pro humana fragilitate ad terrena cogitando labatur, tamquam adminiculo quodam iterum ad diuina ſeſe erigat: vtpote in matutinis proponũt ſibi quod Chriſtus tota nocte à militibus variè vexabatur ſcilicet oculorũ velatione, colaphis &c. In prima, quod ad Pilatum ductus falsè accuſabatur &c. In tertia, quod flagellabatur, ſpinis coronabatur, ad mortem ſanguinolentis vocibus Iudæorum petebatur &c. In ſexta quod crucem portat ad locum ſupplicij, & in ea configitur & ſuſpenditur. In nona quod tradidit ſpiritum. Hæc vel his ſimilia pro cuiuſq; deuotione ob oculos mentis ſub horarum precibus ſibi pius religioſus ponat. Vnde ſic monet S. Bernardus. In choro, inquit, depinges quaſi reſupinatum ante te Dominum in cruce, & nunc pro clauis nunc pro ſpinis; nunc pro ſputis, nunc pro lateris effoſſione ſuſpirabis & gratias ages. Rationes autem cur ſeptem iſtis potius, quam alijs horis laudes Deo cantentur, has reddita Snctus Baſilius. Ea re (inquit) & nobis neceſſario huiuſmodi tempora delecta ſunt, quod in eorum ſingulis peculiaris quædam Dei in nos beneficiorum eſt commemoratio. Ad matutinum quidem, vt primi animi ac mentis noſtræ motus conſecrẽtur Deo, neque vllius rei curæ antè aditum ad nos demus, quam nos in cogitatione de Deo oblectauerimus, ſicut ſcriptum eſt: *Memor fui Dei & delectatus ſum*. Primæ autem horæ ratio, ne corpus prius ad functionem muneris alicuius moueamus, quam illud fecerimus, quod dictũ eſt: *Orabo ad te Domine, mane exaudies vocẽ meam, & mane*

Exemplum.

In tractatu qui inſcribitur doctrina ſanctib.

Cur ſeptem horis iſtis cantentur laudes.

In Reg. f. e. 23.

Pſal. 76.

& mane adſtabo tibi. Tertia verò hora, vt in ea fratres omnes in vnum congregentur, licet diuerſis in locis, alij in alijs operibus ſint occupati, idque ea re, vt admoniti doni Spiritus, quod circa hanc ipſam horam Apoſtolis datum fuit, vno eodemque animo cuncti fratres in vnum congregentur & Spiritum ſanctum venerentur, ab eoque petant, vt & ipſi digni ſint, qui ſanctificationem ſuſcipiant; ſimulque vt ſalutaris ſibi doctrinæ, & recti itineris Dux eſſe & auctor velit, illum

Pſal. 50. imitantes, qui dixit: *Cor mundum crea in me Deus & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis, ne proijcias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me*. Porrò ſexta hora ſanctorum exẽplo neceſſariam eſſe orationem iudicauimus, a-

Pſal. 50. pud quos eſt; *veſpere & mane & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam*. De nona verò, quod ea ad orationem nobis neceſſaria eſt, id A-

Act. 3. poſtoli ipſi declarauerunt in Actis; in quibus eſt; quod *Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*. Completo verò iam die pro ijs omnibus; quæ in eo data nobis fuerint, fæliciterue nobis euenerint, gratiarum actio (ſcilicet veſpertina) ſuccedat, eorumque quæ vel per conſenſũ, aut ſecus contra animi ſententiã prætermiſſa ſint, confeſſio; ac ſicubi latens delictum aliquod admiſſum fuerit, verbis operibuſue, aut etiam corde, pro his omnibus oratione adhibita veniam nobis à Deo comprecabimur. Tum autẽ primis ſe noctis intendentibus tenebris, ſequetur petitio (ſcilicet Cõpletorij) vt quies, quã ſumus capturi, inoffenſa & ab omni perturbatione ac vitio libera

ſit:

ſit: qua hora etiam neceſſario nonageſimus recitari Pſalmus debet. Hæc Baſilius.

Quot Pſalmi per eaſdem horas canendi ſunt.

CAP. XVII.

Iam de nocturnis vel matitunis digeſſimus ordinem Pſalmodiæ, nunc de ſequẽtibus horis videamus. Prima hora dicãtur Pſalmi tres ſigillatim & non ſub vna gloria. Hymnus eiuſdẽ horæ poſt verſum. Deus in adiutoriũ meũ intende, antequã Pſalmi incipiantur. Poſt expletionem verò triũ Pſalmorũ recitetur lectio vna, verſus & Kyrie eleiſon & miſtæ ſint. Tertia verò, ſexta & nona eodem ordine celebretur, oratio, verſus, Hymni earumdem horarum, terni Pſalmi, lectio, verſus, Kyrie eleiſon, & miſſæ ſint. Si maior congregatio fuerit, cum antiphonis: Si verò minor,

minor, in directum pſallantur. Veſpertina autem ſynaxis quatuor Pſalmis cum antiphonis terminetur: poſt quos Pſalmos lectio recitanda eſt. Inde reſponſorium Ambroſianum: verſus, canticum de euãgelio, lætania, & oratio Dominica: & fiant miſſæ. Completorium autem trium Pſalmorum dictione terminetur. Qui Pſalmi directanei ſine antiphona dicendi ſunt. Poſt quos hymnus eiuſdem horę, lectio vna, verſus, Kyrie eleyſon, & benedictio, & miſſæ fiant.

Quare orationes vocentur Miſſæ.

IN quatuor diurnis horis ſcilicet 1.3.6.& 9.poſt tres Pſalmos, capitulum, verſum & Kyrio eleyſon miſſæ ſint, hoc eſt, orationes fiant & mittantur ad Deum, tum à ſingulis priuatim & ſubmiſsè dicentibus, Pater noſter,&c. tum communiter vno Sacerdote collectam clarè recitante. Dicuntur enim orationes noſtræ miſſę, quemadmodum ſacrificium altaris & oblatio incruenta ac ſalutaris dicitur Miſſa, quia Deo offertur & mittitur, vel in gratiarum actionem de beneficijs ab ipſo acceptis, vel cauſa propitiationis. Quo ſacrificio completo, annuntiat diaconus populo altâ voce dicens: Ite Miſſa eſt. Quaſi dicat (vt ait Innocentius 3.) Redite ad propria, quia oblata eſt Hoſtia ſalutaris.

Lib. 6. de Miſſæ myſt. c. 12.

Quid maior congregatio dicenda.

Maior congregatio eſt cuius iuſtus & regularis

ris eſt Religioſorum numerus: Regularis autem numerus eſt duodenarius ad numerum 12. Apoſtolorum Chriſti. Ideo & auctoritate ordinis noſtri Ciſtercienſis ſtatutum eſt, vt ad inſtitutioné & fundationem noui Monaſterij minus quam duodecim Religioſi cum Abbate, qui eſſet decimus tertius, non mitterentur. Vnde ſanctus Baſilius ſermone de inſtitutionibus Monachorum: Quemadmodum lex ſpiritualis pauciores eſſe quam 12. vetat illos, qui myſticum Paſcha manducent, item eorum quoque qui ſpirituali vitæ ſimul operam dant, denarius numerus amplianduseſt potius, quam reſtringendus, vbi igitur hoc duodenario, Religioſorum numerus minor eſt, permittit S. Benedictus vt horæ ſine numeris vel notis in directum legantur; Vbi autem numerus iſte, eſt completus aut fortè maior, vult vt cum antiphonis & modulatione canantur. *Diſt. 3. definitionum cap. 1.*

Synaxis dicitur à Græco verbo quod congregare vel colligere ſonat, & ſignificat celebrem conuentum & congregationem in qua Monachi ad vnam concionem, & communem locum oraturi, vel ſacram lectionem ſiue exhortationem audituri, conueniunt. *Quid ſynaxis.*

Quo

Quo ordine Pſalmi dicendi ſunt.

CAP. XVIII.

In primis ſemper diurnis horis dicatur verſus Deus in adiutorium meum intẽde. Domine ad adiuuandum me feſtina: & gloria. Inde hymnus vniuſcuiuſque horæ. Deinde prima hora Dominica dicenda quatuor capitula Pſalmi centeſimi octaui decimi. Reliquis verò horis, id eſt, tertia, ſexta, & nona, terna capitula ſupra dicti Pſalmi centeſimi octaui decimi dicantur. Ad primam autem ſecundę feriæ, dicantur tres Pſalmi, id eſt, primus, ſecundus & ſextus; & ita per ſingulos dies ad primam, vſque ad Dominicam, dicantur per ordinem terni Pſalmi vſque ad nonum decimum Pſalmum, ita ſanè vt nonus Pſalmus, & ſeptimus decimus partiantur in binas glorias, & ſic fiat, vt ad vigilias Dominica ſemper à vigeſimo incipiatur.

cipiatur. Ad tertiam verò, ſextã, & nonã ſecundæ feriæ nouem capitula, quæ reſidua ſunt de centeſimo octauo decimo Pſalmo, ipſa terna per eaſdem horas dicantur. Expenſo igitur Pſalmo centeſimo octauo decimo duobus diebus, id eſt Dominica, & ſecunda feria; tertia feria, iam ad tertiam, ſextam, vel nonam pſallantur terni Pſalmi à centeſimo nono decimo vſque ad centeſimũ vigeſimum ſeptimũ, Pſalmi nouẽ. Quique Pſalmi ſemper vſq; ad Dominicam per eaſdem horas itidem repetantur: Hymnorum nihilominus lectionũ vel verſuum diſpoſitione vniformi cũctis diebus ſeruata, & ita ſcilicet, vt ſemper Dominica à centeſimo octauo decimo incipiatur. Veſpera autem quotidie quatuor Pſalmorum modulatione canatur. Qui Pſalmi incipiantur à centeſimo nono vſque ad centeſimum quadrageſimum ſeptimum, exceptis his qui in diuerſis horis ex eis ſequeſtrantur, id eſt à centeſimo decimo ſeptimo, vſque ad centeſimum vigeſimum

ſepti-

ſeptimum, & cẽteſimo trigeſimo tertio, & centeſimo quadrageſimo ſecundo. Reliqui omnes in veſpera dicendi ſunt. Et quia minus veniunt tres Pſalmi, ideo diuidendi ſunt, qui in numero ſupradicto fortiores inueniuntur, id eſt, centeſimus trigeſimus octauus, & centeſimus quadrageſimus tertius, & centeſimus quadrageſimus quartus. Centeſimus verò ſextus decimus, quia paruus eſt, cum centeſimo quintodecimo coniungatur. Digeſto ergo ordine Pſalmorum veſpertinorum, reliqua, id eſt, lectiones, reſponſoria, hymni, verſus, vel cantica, ſicut ſupra taxauimus, impleantur. Ad completorium verò quotidie iidem Pſalmi repetantur, id eſt, quartus, nonageſimus, & centeſimus trigeſimus tertius. Diſpoſito ordine pſalmodiæ diurnę, reliqui omnes Pſalmi, qui ſuperſunt, æqualiter diuidantur in ſeptem noctium vigilias, partiendo ſcilicet, qui inter eos prolixiores ſunt Pſalmi: & duodecim per vnamquamque conſtituantur noctem.

noctem. Hoc præcipuè commonentes, vt ſicui fortè hæc diſtributio Pſalmorum diſplicuerit, ordinet ſi melius aliter iudicauerit: Dum omnimodis id attendatur, vt omni hebdomada pſalterium ex integro numero centum quinquaginta Pſalmorũ pſallatur, & Dominico die ſemper à capite repetatur ad vigilias, quia nimis iners deuotionis ſuæ ſeruitium oſtendunt Monachi, qui minus pſalterio cum canticis conſuetudinarijs per ſeptimanæ circulum pſallunt, dum legamus, ſanctos patres noſtros vno die ſtrenue impleuiſſe, quod nos tepidi vtinam ſeptimana integra perſoluamus.

QVamuis hoc capite & antecedentibus S. Benedictus, ita aptè Pſalmorum ordinem diſtribuerit, vt ſingulis ſeptimanis ex integro pſalterium in laudibus diuinis recitaretur: tamen humilitatis cauſa permittit, vt hic ordo mutetur, hac tamen conditione, vt idem totum Pſalteriũ ſpatio ſeptimanę abſoluatur. Totũ autẽ pſalteriũ ſingulis hebdomadibus in diuinis laudibus abſolui propterea fortè voluit, quod pſalteriũ quodammodo videtur abſolutũ diuinæ laudis inſtrumentũ eſſe, & plenam Dei laudem continere, ac velut fons vberrimus eam propinare videtur. Quamuis enim nulla quidem creatura debitam & plenam

Deus maior omni laude. plenam Deo laudem dare poſſit. Quia infinita eius maieſtas, infinita eius bonitas, ſapientia, poteſtas, &c. infinitam laudem meretur. Videtur tamen pſalterium tantam Dei laudem inſinuare, quantam homo fragilis & mortalis reddere poteſt. Ideo dicit Caſſiodorus, quod ordo Pſalmorum propterea cum laudibus Domini terminatur, quia ſcilicet in Pſalmis prędicitur & exponitur, quot modis ſit laudandus: cum tamen, inquit, pręconia ipſius nullis libris, nullis poſſint humanis viribus explicari: *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, ſupervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum poteſtis: Maior enim eſt omni laude.* Quidni omnem laudem, quam homo Deo tribuere poteſt, pſalterium contineat? Neque enim vox humana ſacræ ſcripturæ amplitudinem ſuperat. Quid autem (inquit Caſſiodorus) in iſto cæleſti armario (ſcilicet pſalterio) ſcripturarum diuinarum inuenire non poſſis? Et D. Athanaſius volumen Pſalmorum comparat paradiſo, in quo ſunt omnia genera lignorum plantata: quia in illo ſunt omnia ſacrę ſcripturę myſteria propoſita. Neque etiam laus noſtra cœlos tranſcendit, non vltra inferos permeat, aut peruadit. At quidquid in cœlo (inquit Caſſiodorus) in terra, in mari, vel apud inferos agitur, ſi cautiſſimè legas, omnia ſuis locis (ſcilicet in Pſalterio) poſita competenter agnoſcis. Quia igitur plenā laudis diuinæ formam, pro mortali ac fragili hac noſtrâ cõditione, nobis pſalteriũ præſcribit, eapropter S. Benedi. meritò inertiæ arguit Monachos qui nimirũ diuinis laudibus celebrandis & noctu diuque

In concluſione expoſitionis Pſalmorum.

Eccli. 43.

In epiſt. ad Marcellinũ

Pſalterium alter Paradiſus.

diuque cantandis ſe dedicauerunt, ſi penſum 150. pſalmorum ſingulis ſeptimanis, adeo non perſoluant. Quin & hoc ipſum ſuadet pſalterij fructus. Nam ſi paradiſus (inquit Caſſiodorus) deſiderabilis habetur, quod eum quatuor fluminum lapſus amęnare noſcuntur, quanto beatior eſt anima, quæ 150. pſalmorum fontibus irrigatur? Quemadmodum enim 150. diebus ſuperducto diluuio criminibus ſuis terra diluta eſt: ſic pſalmorum ſpiritualis abyſſus peccatis inquinata corda mortalium; vſque ad iudicij tempus perpetua emundatione purificat, & fit nobis ex ipſo ſalutare diluuium, quod noſtrum ſenſum ſordidum reddit ablutum. *Ibidem.*

De diſciplina pſallendi.

CAPVT XIX.

Vbique credimus diuinam eſſe præſentiam, & oculos domini in omni loco ſpeculari bonos & malos. Maximè tamen hoc ſine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus diuinum aſſiſtimus. Ideò ſemper memores ſimus quod, ait Propheta: Seruite domino in timore. Et iterum: pſallite ſapienter. Et, In conſpectu Angelorum pſallam tibi. Ergo conſideremus *Pſal. 2.* *Pſal. 46.* *Pſal. 137.*

mus

mus qualiter oporteat, nos in conſpectu diuinitatis & Angelorum eſſe, & ſic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.

DISCIPLINA pſallendi videtur conſiſtere in debito animi, & corporis moderamine. Quã diſciplinam, & S. Bernardus, videtur inſinuaſſe duobus verbis dum monuit fratres ſuos, vt ſtrenuè & purè diuinis intereſſent laudibus, ſtrenuitate ſcilicet, vocis, & corporis; puritate vero animi diſciplinam exprimendo. Strenuè, inquit, vt ſicut reuerenter, ita & alacriter domino aſſiſtatis, non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes, non parcentes vocibus, non pręcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis & remiſſis vocibus muliebre quiddam balba de nare ſonante, ſed virili (vt dignum eſt) & ſonitu & affectu voces ſancti ſpiritus depromentes, purè verò vt nihil aliud dum pſallitis, quam quod pſallitis cogitetis. Nec ſolas dico vitandas cogitationes vanas & otioſas: vitandæ ſunt & illæ (illa dumtaxat hora & illo loco) quas officiales fratres pro communi neceſſitate, quaſi neceſſariò frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profectò recipere tunc conſuluerim, quæ forte paulò ante in clauſtro ſedentes, in codicibus legeratis, qualia & nunc me viua voce diſſerentem, ex hoc auditorio Spiritusſancti recentia reportatis. Salubria ſunt, ſed minimè illa ſalubriter inter pſallendum reuoluitis. Spiritus enim ſanctus illa hora gratum non recipit, quid-

Serm. 47. in Cant.

Dum cantas, attende.

quidquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Deinde ad hanc diſciplinam pertinet decens & honeſta corporis compoſitio, modeſta & ſedata membrorum ad ceremonias inflexio, ſenſuum & maximè viſus continentia. Vnde D. Bernardus: In choro, inquit, ne defigas oculos tuos longius ante te quam longe protenditur proceritas corporis tui, quia hoc multum impedit euagationes animi. Ad hanc diſciplinam in pſallentibus ſeruandam mandat ſanctus Benedictus: *ob præſentiam diuinæ maieſtatis, & ſanctorum angelorum*. Talis enim modeſtia morum grauitas, vocis ſtrenuitas & animi attentio decet nos religioſos in diuinis officijs, in conſpectu Dei; qui quamuis, *omni loco ſpeculetur bonos & malos*, maximè tamen ad opus Dei aſſiſtentes. Licet enim (inquit S. Bernardus) ſemper videamur, ſed nunc (ſcilicet tempore orationis) etiam præſentamus, & oſtendimus nos quaſi facie ad faciem cum Deo loquentes. Quanta vero cum reuerentia (inquit Bernardus) quanto timore, quantâ illuc humilitate accedere debet à palude ſua procedens, & repẽs ranuncula vilis? Quã tremebundus, quã ſupplex, quam denique humilis & ſollicitus, & toto intentus animo maieſtati gloriæ, in præſentia Angelorum, in concilio iuſtorum & congregatione, aſſiſtere poterit miſer homuncio? De præſentia angelorum præter teſtimonia ſacræ ſcripturæ, eſt doctrina ſanctorum Patrum, & in primis ſancti Bernardi dicentis:. Terribiliter metuendus eſt locus vterque (ſcilicet orationis & ſanctæ prædicationis) nec maior adeſſe credendus eſt numerus hominum quam angelorum. Ad cuius rei confirmationem cuidam fratri ordinis noſtri Ciſter-

Diſciplina pſallenti ſeruanda.

In doctrina B. Bernardi.

Serm. de 4. modis orandi.

Optimè attentus ores.

Serm. in natali Ioannis Baptiſtæ.

Lib. de initio ordinis Ciſterc. diſt. 1. c. 14. ſtercienſis talis viſio diuinitus oſtẽſa fuit. Hic cum nunnumquam in Cyſtercio fuiſſet raptus in ſpiritu vidit quam deuotè & reuerenter horas, fratres ibidem domino decantarent. *Exemplum.* Vidit ſupra conuentum religioſorum, alium cõuentum ſanctorum angelorum eodem ordine ſtantium, & fratrum deuotioni congratulantiũ, & quamuis fratres magna claritate fulgerent, maiore tamen angeli. *Cap 6. meditat.* O quam fælix eſſes (inquit Bernardus) ſi ſpiritualibus oculis ſemel intueri poſſes, quomodo præueniant principes coniuncti pſallentibus in medio iuuencularũ tympaniſtriarum. *Angelorum ſtudium pro hominibus iuſtis.* Videres proculdubio qua cura quoue tripudio interſunt cantantibus, adſiſtunt orantibus, adſunt meditantibus, ſuperſunt quieſcentibus, prouidentibus atque procurantibus præſunt. Diligunt ſiquidem ſuos conciues ſupernæ poteſtates, & pro ijs, qui hæreditatem capiunt ſalutis, ſolicitè congaudent, confortant, inſtruunt, protegunt prouidentque. Omnes enim ipſi deſiderant aduentum noſtrum, quoniam ipſi de nobis exſpectant ciuitatis ſuæ ruinas reſtaurari. Diligẽter quærunt, & audiunt bona libenter de nobis, ſolliciti currunt medij inter nos & Deum, noſtros gemitus fideliſſimè ad eum portantes, ipſiuſque gratiam deuotiſſimè ad nos reportantes. Non dedignabuntur eſſe ſocij noſtri, quoniam facti ſunt miniſtri noſtri. *Lib. de initio Ordinis Ciſterc. diſt. 2. c. 3.* Vidit & S. Bernardus quadam nocte in nocturnis vigilijs, ſingulis fratribus ſingulos angelos aſſiſtentes. Quod quiſque pſallebat, etiam minimam ſyllabam quantumcumque negligenter prolatam, in ſcedulis diligenter excipiebant, ſed diuerſo modo. *Angelus obſeruat: cane rectè.* Quidam enim ſcribebant auro, ſignificantes feruentiſſimum in domini ſeruitio ſtudium, & abſolutam cordis intentionem, in his, quæ pſallebant.

Quidam

Quidam argento, ſignificãtes minorem feruorem, *Exemplum.* puram tamen pſallentium deuotionem. Alij atramento, ſignificantes continuum quendam bonæ voluntatis vſum in pſallendo, licet non cum multa deuotione. Alij aqua, ſignificantes eos qui vel ſomnolentia preſſi, vel vanis cogitationibus à ſe abducti aliquid ſonare videbantur, ſed cor eorum longius abſtractum voci prorſus non concordabat. Alij nihil ſcribentes, lamentabilem cordis duritiem redarguebant eorum, qui lethali ſomno voluntariè ſe dabant, aut vigiles ore tacito vanis & noxijs cogitationibus, non ex infirmitate, ſed data opera vacabant. Doleo proinde (inquit S. Bernardus) ali- *Serm. 7. in* quos veſtrum graui in ſacris vigilijs deprimi ſom- *Cant.* no, nec cæli ciues reuereri, ſed in præſentia principum tamquam mortuos apparere, cum veſtra ipſi alacritate permoti, veſtris intereſſe ſolemnijs delectentur. Vereor ne veſtram deſidiam quandoque abominantes, cum dedignatione recedant; & incipiat vnuſquiſque noſtrum ſerò cum gemitu dicere Deo: *Longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me, abo-* *Pſal. 87.* *minationem ſibi.* Et illud: *Elongaſti à me, amicum & proximum, & notos meos à miſeria.* Item: *Qui iuxta me* *Pſal. 37.* *erant, de longè ſteterunt, & vim faciebant, qui quærebãt animã meam.* Pro certò enim, ſi ſe à nobis boni ſpiritus elongauerint, impetus malignorum quis ſuſtinebit? Dico ergo his, qui eiuſmodi ſunt: *Maledictus* *Hierem. 48.* *qui opus Dei facit negligenter.* Dicit quoque non ego ſed Dominus: Vtinam te calidum, aut frigidum in- *Apoc. 3.* ueniſſem, ſed quia te tepidum inueni, incipiam te euomere ex ore meo. Ea propter allicite principes veſtros cum ſtatis ad orandum vel pſallendum, & ſtate cum reuerentia & diſciplina, & gloriamini quia angeli veſtri quotidie vident faciem patris, ni-

mirum miſſi in miniſterium propter nos, qui hæreditatem capimus ſalutis, deuotionem noſtram in ſuperna ferunt, & referunt gratiam. Vſurpemus officium, quorum ſortimur conſortium, vt in ore infantium, & lactantium perficiatur laus. Dicamus eis: *Pſallite Deo noſtro, pſallite.* Atque audiamus eos viciſſim reſpondentes: *Pſallite regi noſtro, pſallite.* Laudem ergo cum cæli cantoribus in communi, dicentes, vtpote ciues ſanctorum & domeſtici Dei, *Pſallite ſapienter.* Pſallit autem ſapienter is, cuius mens voci concordat, hoc eſt, qui ſicut lingua, & voce diuina voluit, ita & corde reuoluit; qui animum vel in verba, vel in ſenſum pſalmodiæ vel in Deum intendit. Hæc proinde eſt vera pſallendi diſciplina, quando mens voci conſonat. Quod & D. Benedictus hic indicans ait: *Sic ſtemus ad pſallendum, vt mens noſtra concordet voci noſtræ.* A recta enim morum diſciplina valde alienum eſt, imò Deo iniurium, ſi vox laudem Dei ſonet, mens autem aliud agat, dicente D. Auguſtino: Cogitationes aliquando inclinantur & auferunt te, & plerumque in oratione video corpus vbi iaceat, quæro vbi volitet animus. Modo ſi mecum loqueris, & ſubito auerteres te ad ſeruum tuum, & dimitteres me, nõ dico à quo aliquid petebas, ſed cum quo ex æquo loquebaris, non mihi iniuriam factam deputarem? Ecce quid facis quotidie Deo? Et D. Cyprianus: Quæ ſegnitia eſt alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cum dominum deprecaris? Quaſi ſit aliud quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cũ tu ipſe te nõ audias? Vis eſſe Deum memorem tui cum rogas; quando tu ipſe memor tui non ſis? Hoc eſt, ab hoſte in totum non cauere;

Pſallendi ratio ſapiẽs.

In Pſal. 140.

De oratione Dominica.

cauere; Hoc eſt, quando oras Deum, maieſtatem Dei negligentiâ orationis offendere; hoc eſt, vigilare oculis,& corde dormire,cum debeat Chriſtianus,& cum dormit oculis, corde vigilare. Diſtinguit autem S. Thomas triplicem attentionem,quę orationi vocali poteſt adhiberi. Prima eſt ad verba, ne in illis erretur. Secunda, quâ attenditur ad ſenſum verborum, vt mente percipiatur, & affectus illi applicetur: itavt pro verſuum & ſententiarum, quæ recitantur varietate, recitantis quoque varietur & dilatetur affectus, nunc gaudio, nunc compunctione, nunc fide in Deum, nunc charitate in Deum vel proximum. Tertia,quâ attenditur ad finem orationis ſcilicet Deum, & ad rem, pro qua oratur, qua,inquam,attenditur Deus, vel cum laude magnitudinis,maieſtatis,& perfectæ ipſius in ſeipſo gloriæ; vel cum laude & gratiarum actione de beneficijs nobis multipliciter collatis; vel cum ſupplicatione indulgentiæ; vel cum petitione auxilij & gratiæ ipſius. Atque hæc vltima attentio eſt omnium maximè neceſſaria, quam etiam idiotæ habere poſſunt. Quæ quandoque mentem tam profundè euehit in Deum, vt reliquarum actionum penitus obliuiſcatur. Ponit Caietanus quatuor attentionis modos,tertium modum à S. Thoma poſitum diſtinguens in duos. Et dicit quod vna iſtarum attentionum ſufficit ſcilicet ad ſatisfaciendum officio horarum. Nouit enim Deus anguſtiā cordis humani, quod omnes attentiones ſimul capere non poſſit. Sed notandum hic eſt primam attentionem quæ eſt ad verba non ſufficere, niſi ſuppoſito animo, orandi & vacandi Deo, hoc eſt, niſi intendamus ſacra illa verba recitare eo fine, vt illis Deum oremus,laudemus,illa in Deum dirigendo;

2.2.quaſt. 83.a.13.

De attentione multiplici.

Verbo hora 8.

& intendamus nihil profanum ſpontè animo voluere, quod attentionem neceſſariam ad verba, & reuerentiam in Deum excludat. Iſte enim animus includit attentionem quandam ſaltem confuſam ad Deum. Qui enim vult orare, hoc ipſo cenſetur etiam velle attentionem, & reuerentiam debitam adhibere. Nam oratio eſt colloquium cum Deo, & petitio decentium à Deo: Colloquium autem & petitio poſtulat attentionem ſaltem confuſam ad eum, cum quo colloqueris, & à quo petis & poſtulas vt verba ad ipſum cum reuerentia dirigas. Qui igitur orationem vel horas inchoat, cum animo ac propoſito colendi, laudandi, orandi Deum, ſed inter orandum diſtrahitur inuitus, ſeu non aduertit ſe diſtrahi ab attentione, is officio ſatisfacit, nec peccat. Quod enim non eſt voluntarium, nec peccatum. Nec dici poteſt in hac oratione deeſſe attentionem: quia etſi non ſit actualis, eſt tamen virtualis, quæ ſicut in omni alio opere, ita etiam in oratione ſufficit. Cenſetur autem ibi eſſe virtualis attentio ratione propoſiti, ex quo illa oratio eſt inchoata & continuata. Cum enim ex intentione attentè & reuerenter orandi proceſſerit, hoc propoſitum cenſetur manere per totam orationem, niſi expreſsè vel implicitè reuocatum fuerit. Expreſsè reuocatur ſi expreſsè nolis attendere amplius. Implicitè, ſi aduertens tuas diſtractiones, negligas mẽtẽ reuocare. Tũc enim quod poſt hunc neglectum recitas, non amplius ſequitur ex primo illo propoſito orandi attentè, ſed ex alio aduerſo propoſito ſcilicet, negligenter agendi. Si tamen primum propoſitum reuocetur & inſtauretur, manet per totam orationem, quæ ex illo ſequitur. Eſt autem perfectiſſimus modus recitandi horas.

Quid oratio.

Attentio dupliciter violatur.

De reue-

De reuerentia orationis.

CAPVT XX.

Si cum hominibus potentibus volumus aliquid ſuggerere, non præſumimus niſi cum humilitate, & reuerentia: quantò magis domino Deo vniuerſorum cum omni humilitate, & puritatis deuotione ſupplicandum eſt? & non in multiloquio; ſed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri ſciamus? Et ideo breuis debet eſſe & pura oratio, niſi fortè ex affectu inſpirationis diuinæ gratiæ protendatur. In conuentu tamen omninò breuietur oratio, & facto ſigno à priore omnes pariter ſurgant.

REVERENTIA orationis ex cognitione & conſideratione diuinæ maieſtatis, ad quam oratio dirigitur, naſcitur, de qua capite præcedenti actum eſt. Quod autem Deo vniuerſorum cum humilitate, & deuotâ puritate ſeruiendum & ſupplicandũ ſit, probat, S. Benedictus argumẽto ducto à mi-

Attentiſſimus eſto loquens iudici tuo Deo.

à minore. Quia nemo prçſumit vel hominẽ potentem, niſi cum reuerẽtia alloqui, ergo multo minus Deum. Vnde S. Baſilius: Si quis judicem ſuum videns, aut principem, & loquens cum eo, non ſibi credit licitum eſſe, vagari oculis, & alicrſum aſpicere, dum ipſi loquitur: quanto magis, qui accedit ad Deum nuſquam debet mouere oculos cordis, ſed intentus eſſe in eum, qui ſcrutatur renes & corda? Cum ſumma, quoque humilitate, & animi demiſſione Deus orandus eſt, nemo enim quamuis innocentiſſimus, (vt ęgregie docet D. Gregorius Nyſſ. oratione 5. in orationem Dominicam) ſit, debet ad orationem cum Deo loquuturus accedere quaſi peccati expers, quia ſaltem habet originale peccatum. Humilitas igitur orationem noſtram comitabitur, ſi ſeriò conſideremus, quales nos, qui tantam maieſtatem oramus, ſumus tam ex creatione, quam ex culpa. Pura eſt oratio, qua petitur Deus, aut aliquid propter Deum. Deum petit, qui petit aliquid diuinum
ſent. 17. aut ſpirituale. Cuiuſmodi recenſet Bernardus ſcilicet remiſſionem peccatorum, Spiritus ſancti gratiam, virtutem, & ſapientiam, fidem, veritatem, iuſtitiam, humilitatem, patientiam, manſuetudinem, & cætera ſpiritualia chariſmata; quæ qui quæſierit, & cogitando vehementer affectauerit, hæc ſecundum Deum eſt oratio, & hæc verè meretur audiri, ait Bernardus. Sint alia quæ petuntur quoquè à Deo, quæ (vt pura ſit oratio) propter Deum petenda ſunt, vt eſt corporis ſanitas, pecunia, cæterarumque rerum affluentia. Quæ
Quæ petenda. purè, & ſecundum Deum petuntur, quando tantum petuntur, quantum neceſſitati noſtræ ſeruiũt ad honorem Dei, & animarum ſalutem. Deinde
pura

pura oratio requirit, vt animus orantis liber ſit, & expeditus ab extranearum cogitationum turba. Vnde Bernardus ſerm.47.in Cantica. Moneo vos dilectiſſimi pure diuinis ſemper intereſſe laudibus vt nihil aliud Deo pſallatis. Multiloquium in oratione improbatur,quia apud Deum qui ſcrutatur renes, & corda, cui omnis voluntas loquitur, nec voce neç verbis opus eſt , ſed affectu & cordis deſiderio. Illa enim apud Deum validiſſima, & efficaciſſima oratio eſt , quæ in auribus ſuæ pietatis ſonat, ſine ſono & ſine ſtrepitu verborum loquitur deuotū precantis affectum, & feruens cordis deſiderium. Quod exemplo Moyſis certum,& compertum eſt , qui cum non verbis , ſed cordis, contriti, & humiliati deſiderio Dominum rogaret, cito orationis ſuæ effectum ſenſit, & diuinæ miſericordiæ reſponſum accepit. *Quid clamas ait Dominus,ad me? loquere ſilijs Iſrael vt proficiſcantur, &c.* Ideo & Dominus errorem Ethnicorum in oratione reprehendens, & corrigens, ſic in Euangelio ait:*Orantes autem nolite multū loqui ſicut Ethnici:putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis,ſcit enim pater veſter quid opus ſit vobis antequam petatis.* Ideo dicit & pſalmiſta Dominum non verba,ſed deſideriū pauperum exaudiſſe. Non igitur Deo ſed nobis in oratione opus eſt verbis, vt nimirū certis quibuſdā precādi formulis foueatur,& continuetur oratio. Vnde ſic Hugo de S. Victore: Homo(inquit) qui rogatur, per narrationē noſtrā docetur , vt ſciat, quid velimus,per ſupplicationē noſtrā pulſatur, vt annuat, quod petimus.Sed in illa quæ ad Deū fit oratione, narratio neceſſaria non eſt,niſi forte homo ad hoc narret , vt ipſe ſuam petitionem melius intelligat, vt &

Multiloquium abſit ab oratione.

Exodi.14.

Matt. 6.

Pſal. 9.

De modo orand. ca.4.

vt & per narrationem ſuam admonitus, quid petat conſideret, & per conſiderationem petitionis ſuæ exercitatus deuotius oret. Sanè quãtum ad Deum pertinet, ſola ſupplicatio ſufficit, quia Deus non neceſſe habet doceri vt ſciat: ſed ſupplicandus eſt vt annuat. Abſit igitur (inquit D. Auguſtinus) ab oratione multa locutio, ſed non deſit multa precatio, ſi feruens perſeueret intentio: nam multum loqui in orando, eſt rem neceſſariam ſuperfluis agere verbis: multum autem precari eſt ad eum, quem precamur, diuturna & pia cordis excitatione pulſare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam ſermonibus agitur, plus fletu quam affatu. Breuis quoque oratio commendatur propter humanam infirmitatem. Quia enim illa intentio animi, & lacrymarum compunctio, quæ maximè in oratione requiritur, in pleriſque breuis eſt, imò momentanea; ideo vult S. Benedictus, vt orationes quæ præſcribuntur, & imponuntur Conuentui, ſiue Canonicæ illæ ſint, & ordinariæ, ſiue extraordinariæ ob certam aliquam cauſſam inſtitutæ, breues ſint, factoque ſigno à præſide omnes pariter ſurgant, & exeant templo, niſi qui forte ex affectu inſpirationis diuinæ orationem continuare voluit. Debent enim orationes quæ communitati imperantur & communiter aguntur, ipſi communitati accommodari & conuenire. In communitate autem non omnes ſpiritu æquè ferueant, ſed quidam tepent & languent, quibus longæ orationes noxiæ & torporis cauſa forent, vti inſinuat Caſſianus. Ideo communes preces breues eſſe debent ad ingenium infirmorum: præſertim cum deuotioribus & feruentioribus, ſuo deſiderio & deuotioni ſatisfaciendi, & diutius orandi

Epiſt. 121. ad prob.

Adſit multa precatio.

Lib. 2. de inſt. monaſt. c. 10.

orandi licentia non negetur, vt patet in regulæ c. 52. Idcirco (inquit Caſſianus) medicorem canonicarum orationum numerum indicant diuinitus moderatum. Vt ardentibus fide, ſpatium quo ſe virtutis eorum infatigabilis curſus extenderet, ſeruaretur. Et nihilominus feſſis, ægriſque corporibus minimè gigneretur de nimietate faſtidium. Dicuntur fratres in Ægypto (inquit Auguſtinus) crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breuiſſimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, per productiores moras euaneſcat, atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipſi ſatis oſtendunt, hanc intentionem, ſicut non eſt obtundenda, ſi perdurare non poteſt, & ſi perdurauerit non eſſe rumpendam. Sic ibi D. Auguſtinus, & alibi: Caueat, inquit, ne prolixior oratio faſtidium pariat, vtilius enim eſt ſæpius orare breuiter, quam ſemel nimis prolixè; niſi forte orationi deuotio inſpirata ipſo neſciente, qui orat, prolongauerit.

Ibidem c.11.

Vbi ſupra.

De vita erem. ad ſororem c.14.

De Decanis Monaſterij.

CAPVT XXI.

Si Maior fuerit congregatio, eligantur de ipſis fratres boni teſtimonij, & ſanctæ

ſanctæ conuerſationis : & conſtituantur decani, qui ſollicitudinem gerant ſuper decanias ſuas in omnibus ſecundum mandata Dei, præcepta Abbatis ſui. Qui decani, tales eligantur in quibus ſecurus Abbas partiatur onera ſua. Non eligantur per ordinem: ſed ſecundùm vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam. Quod ſi quis ex eis aliquis forte inflatus ſuperbia : repertus fuerit reprehenſibilis, correptus ſemel, & iterum, & tertio, ſi emendare noluerit, deiiciatur : & alter in loco eius, qui dignus eſt, ſubrogetur. Et de Præpoſito eadem conſtituimus.

QVONIAM Abbas ſolus congregationi præſertim magnæ ſatisfacere non poteſt, ſtatuit S. Benedictus, quos & quales ſubſidiarios ſibi aſciſcat, ſcilicet decanos. Ad eum plane modum, quo Ietro ſuadet Moyſi dicens : *Prouide de omni plebe viros ſapientes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, &c. leuiuſque ſit tibi, partito in alios onere.* Decani nomen in ordine noſtro Ciſtercienſi inauditum

Exod. 18.

Decani nomen in Ciſtercienſi ordine non eſt in vſu.

tum eſt, officium tamen (quod in priore conuentuali reſidere videtur) non inuſitatum. Decanorum meminit D. Hieron. prima (inquit) conſideratio in communi habitantium monachorum eſt, obedire maioribus, & quidquid iuſſerint, facere. Diuiſi ſunt per decurias, atque centurias, ita vt nouem hominibus decimus præſit. Vt rurſum: Decem præpoſitos ſub ſe centeſimus habeat. His vero in locis vbi monaſteria ad tantum religioſorum numerum non excreuerunt, Prior loco decanorum cenſendus videtur. Quia eius eſt ſollicitudinem gerere ſuper vniuerſam congregationem in omnibus ſecundum mandata Dei, & pręcepta Abbatis ſui, hoc eſt, debet paternæ, & veræ charitatis affectu ſollicitus eſſe de ſibi creditorum ſalute, de mutua fouenda charitate, & concordia, de diuini cultus, & religionis conſeruatione, & augmento, & omnem ſuam doctrinam, iuſſionem & prohibitionem, omnem monitionem ſuam, correptionem, & punitionem ſuam delinquentium inſtituere ſecundum præcepta Dei, & Abbatis ſui voluntatem, & ordinationem, non ſecundum ſuum ſenſum. Debet autem talis conſtitui, in quem Abbas ſecurus partiatur onera ſua, hoc eſt, de cuius prudentia, virtute & æquitate, ita certus ſit Abbas, & ſecurus, vt meritò confidat, nihilque dubitet, quin vices ſuas in gubernanda congregatione, bene & fideliter acturus ſit. Et propterea mandat S. Benedictus vt eligatur non ſecundum ordinem conuerſionis, ſed ſecundum vitæ meritum, & ſapientiæ doctrinam, hoc eſt, cuius vita meretur vt eligatur, cuius vitam multa exornant, & commendant virtu-

Ad Euſtachium Epiſt. Audi filia.

Prioris officium.

Qualis debeat conſtitui Prior.

virtutum merita, qui doctrina excellit & ad docendum alios idoneus eſt. Prior (inquit Innocentius Papa) præ cæteris poſt Abbatem, potens ſit in opere & ſermone. Vt exemplo vitæ, verboque doctrinæ fratres ſuos & inſtruere poſſit in bono, & à malo etiam reuocare, zelum religionis habens ſecundum conſcientiam, vt delinquentes corripiat, & caſtiget, obedientes foueat & confortet. Hic autem ſi vitioſus & reprehenſibilis reperiatur, ab officio, præmiſſis ex præſcripto regulæ correptionibus, dimoueri poteſt. Quia nullum officium in monaſterio perpetuum eſſe debet, ſed temporale & iudicio Abbatis reuocabile, iuxta decretum Innocentij Papæ de ſtatu monachorum dicentis: Tales ad agenda officia monaſterij deputentur, qui fideles fuerint & diſcreti: nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò poſſidenda tamquam in ſua ſibi vita locetur, ſed cum oportuerit amoueri, ſine contradictione qualibet remoueatur.

De ſtatu monach. Capitulo. Cum ad monaſterium.

Nullum officium perpetuum in monaſterio.

Quo modo dormiant Monachi.

CAPVT XXII.

Singuli per ſingulos lectos dormiant. Lectiſternia pro modo conuerſionis ſecundum diſpenſationẽ Abbatis ſui accipiãt. Si po-

Si poteſt fieri, omnes in vno loco dormiãt: ſi autem multitudo non ſinit, deni aut viceni cum ſenioribus, qui ſuper eos ſolliciti ſint, pauſent. Candela iugiter in eadem cella ardeat vſque mane. Veſtiti dormiant, & cincti cingulis, aut funibus; & cultellos ad latus non habeant dum dormiunt, ne fortè per ſomnium vulnerentur dormientes: & vt parati ſint Monachi ſemper, & facto ſigno, abſque mora ſurgentes, feſtinent inuicem ſe præuenire ad opus Dei, cum omni tamen grauitate & modeſtia. Adoleſcentiores fratres iuxta ſe non habeant lectos, ſed permixti ſint cum ſenioribus. Surgentes verò, ad opus Dei inuicem ſe moderatè cohortentur, propter ſomnolentorum excuſationes.

Quæ hoc capite ſtatuuntur multum momenti ad morum diſciplinam, & honeſtatis cuſtodiam habent. Veluti vt omnes monachi ſingulariter dormiant; quod lectiſternia pro modo conuerſationis accipiant, hoc eſt, quæ conuerſationi & inſtituto monachorum conueniunt: inſtitutum enim monaſticum omnes carnis illecebras, & voluptates

Lectiſternia ſint dura, & vilia. abdicat, vitæ auſteritatem dictat. Lectiſternia proinde monachorum eſſe debent nõ mollia, non pretioſa, quæ ſenſibus blandiuntur, carnem delectant, alliciunt & ad longos iteratoſque ſomnos inuitant: ſed dura & vilia, quæ naturæ quidem & neceſſitati ſufficiunt, carnem domant, laſciuire prohibent; deinde vt iuniores iuxta ſeniores cubent, vt eorum exemplo inſtruantur ad omnem modeſtiam, vel eorum anctoritate inquieti coerceantur. Iugiter quoque lucens candela omnem immoderationem cauet, quam nox & tenebræ ſuadent, & audent iuxta verſum.

Nox & amor, vinumque nihil moderabile ſuadent.

Rom. 13. Eph. 5. Ideo & Apoſtolus vocat peccata opera tenebrarum; quod in tenebris ac remotis arbitris licentiùs, & liberiùs committuntur.

Quare monachi veſtiti dormiant. *Veſtiti dormiant.* Duplicem maximè ob cauſam alteram hic à B. Benedicto expreſſam, vt ſcilicet expeditiores ſint ad opus Dei: alteram, ne tentationi carnis det fomitem nuditas. Rogo (in- *In Apologia.* quit Bernardus) quæ eſt hæc ſecuritas inter frementium vndique hoſtium fulgurantes haſtas, & circumuolantia ſpicula, tamquam finito iam bello, & triumphato aduerſario proijcere arma, & nudum molli volutari lecto? *Væ, qui dormitis* *Amos 6.* *in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris.* Qui athleta eſt Domini (inquit Hieron. hic) & exercetur ad luctam, & præparat ſe contra aduerſarias poteſtates, dormit in nuda humo imi- *Geneſ. 28.* tans Iacob, & ponit ſibi lapidem ad caput, quem reprobauerunt ædificantes, & factus eſt in caput anguli. Qui vero delitijs vacant atque luxuriæ, & omnia ventris cauſa faciunt, dormiunt in lectis eburneis mortui animalis, immundis hærent

hærent oſſibus, & pulchrà videntur vitia,& præſenti nitore delectant, requieſcunt in eorum lectulis, & ſopore grauiſſimo deprimuntur. Vt ſurgentes ad opus Dei inuicem cohortentur, & excitent, mutuæ & fraternæ charitatis officium poſtulat.

De excommunicatione culparum.

CAPVT XXIII.

Si quis frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius exiſtens ſanctæ regulæ, & præceptis ſeniorum ſuorum contemptor repertus fuerit; hic ſecundum Domini noſtri pręceptum admoneatur ſemel, & ſecundò ſecretò à ſenioribus ſuis: ſi non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus: ſi verò neque ſic correxerit; ſi intelligit qualis pæna ſit, excommunicationi ſubiaceat: ſin autem improbus eſt, vindictę corporali ſubdatur. Matth. 18.

Legis præſcriptum violans priuatur.

QVoniam homo fragilis eſt,& in bono propoſito ac voluntate incōſtans,ideo in omnī vitæ inſtituto non ſolū datæ ſunt leges ad ignorātiæ inſtructionem,& vitæ directionē;ſed etiam cōſtitutæ ſunt peccantibus,& à præſcripta vitæ regula recedentibus pœnæ ad emendationem. Sic cum Deus per Moyſen filijs Iſrael decalogum & multa alia viuendi præcepta tradidiſſet, dedit & modos puniendi eos,qui præcepta tradita violaturi erant, & certas rationes ſatisfaciendi & placandi offenſum legiſlatorem Deum. Sic Chriſtus in Euangelio fideles mandatis inſtrüit & punitionum remedijs lapſos curat & erigit. Ad ſimilem modum S. Benedictus poſtquam tradidiſſet præcipua quædam mandata monaſtices, veluti de obedientia, humilitate,taciturnitate, pſalmodia, &c. deinceps optimo ordine aliquot capitibus agit de correctionibus & punitionibus monachorum contra leges & inſtitutum ſuum delinquentium. Nihil enim æquè neceſſarium eſt ad humanam malitiam refręnandam,& infirmitatem curandam , atque eccleſiaſtica diſciplina. Quemadmodum enim maxima peccandi illecebra eſt , impunitatis ſpes: ita malæ volūtatis validum fręnum eſt,flagelli metus. Deinde hæc diſciplinæ ratio omnibus hominibus cuiuſquam ſtatus & ordinis magnæ conſolationi & ſecuritati eſt. Quod nimirum violato per infirmitatem aut aliter vitæ propoſito,ipſum inſtaurandi,& damnum reſarciendi ſpes & locus reliqua ſit. *In multis enim offendimus omnes.* Qua de re ſic egregiè S. Bernardus:Partienda eſt (inquit) in nobis in duo hæc obſeruātia regularis,in præcepta videlicet & remedia. Præceptis inſtituitur vita contra peccatum, remedijs reſtituitur poſt peccatum innocentia.

Iacob.3.

De præcep. & diſp.

tia. Sic ergo vtraque iſta complectitur noſtra profeſſio, vt profeſſus quiſque cum in aliquo fortè regularium mandatorum reliquerit, ſi ad remedium æquè regulare confugerit, etſi conuincitur transgreſſor mandati, non tamen pacti præuaricator. Solum itaque cenſuerim fregiſſe votum, violaſſe propoſitum, pactum præuaricaſſe; qui & præceptum contempſerit & remedium. Nam illum ſanè dico ſecurum, qui etſi interdum obedientiæ limitem præterit, conſilium non reſpuit pænitentiæ. Regulares namque terminos, etſi ſæpe deliquerit, non euadit, qui cenſuræ, quæ ex regula eſt, diſciplinam non ſubterfugit. Pars ſiquidem regulæ eſt, regularis correctio, & in ea reperitur, non ſolum bonæ vitæ inſtructio, ſed etiam emendatio prauæ. Inueniuntur in ea & præcepta obedientiæ & inobedientiæ remedia, vt ne peccando quidem à regula recedatur. Fateor ſanè impoſſibile cuiuis mortalium vel venialiter interdum non delinquere in præceptis obedientiæ: ſed nulla iam de impoſſibilitate quęrela. Quandoquidem & ex regula licet id quoque, quod criminaliter delinqui contigerit, emendare. Quod ergo dicitis à nullis poſſe obſeruari ad integrum quidquid à magiſtris præcipitur, verum eſt: ſed leuis culpa inobedientiæ eſt, & facilis cura eius inuenitur in regula, ſi quidem ſit transgreſſio abſque contemptu. Si autem & ipſum deeſſe aliquando non poſſe contenditis, id quidem falſum eſt: ſed nec talem tamen inobedientiam ſine cura relinquit diligentia regularis. Et licet fortiori egeat curationis medicamento, caret tamen morbo præuaricationis, niſi cum & ipſum forte medicamentum contemnitur. Cui igitur profeſſo iam impoſſibile, imo per Dei gratiam non facile ſit

Quis præuaricator.

cauere præuaricationem, vbi non inobedientia, ſed impenitentia facit præuaricatorem? hæc D. Bernardus. Incipit autem D. Benedictus correctionem vitiorum in monaſterijs exorientium à peccato contumaciæ, inobedientiæ, ſuperbiæ, &c. Quæ omnia eodem modo quamuis diuerſis vijs, & rationibus ad regularis obedientiæ (quæ vniuerſæ religionis monaſticæ neruus eſt) euerſionem tendunt. Quia igitur pernitioſiſſima hæc ſunt, & certiſſimæ monachorum peſtes, in monaſterijs toleranda non ſunt, ſed acerrimis extremiſque remedijs, profliganda & exterminanda.

Excommunicatio eſt grauiſſima. Quapropter S. Benedictus in eorum correctione, etiam vſque ad excommunicationem, quæ omniũ pœnarum præſentis vitæ grauiſſima eſt, procedendum mandat, quando mitiori remedio curari non poteſt ſecundum præceptum Domini, qui ſic docuit. *Matt.* 18. *Si*, inquit, *peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum, ſi te audierit lucratus eris fratrem tuum. Si autem te, non audierit, adhibe tecum adhuc vnum aut duos, vt in ore duorum aut triũ teſtium ſtet omne verbum, quod ſi non audierit eos, dic* *Correptio fraterna.* *Eccleſię, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Primum corripiendus eſt is, *In cap.* 18. *Matth.* qui occultè peccauit, ſecretò: ne ſi ſemel (inquit Hieron.) pudorem ac verecundiam amiſerit, remaneat in peccatis. Fama enim (inquit Ioannes *In expoſit. cap.* 18. Heſſelius) ad corporalia, & ſpiritualia admodum vtilis eſt. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum:* Quoniam per peccatum perditus erat. Et D. Iaco- *Iaco.* 5. bus: *Fratres mei, ſi quis à vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animã eius à morte, & operit multitudinẽ peccatorũ.* Quod maius

lucrum

lucrum (inquit Hier.) poteſt eſſe, aut quid pretio- *In lit. 1.*
ſius, quàm ſi humanam animam quis lucretur?
Quod ſi non emendauerit eum ſecreta correptio,
adhibeantur ſenes, coram quibus verecundetur, &
relicto malo cõuertatur. Tales autem adhiberi de- *Quales te-*
bent, quos peccans veriſimiliter auditurus ſit, do- *ſtes adhibē-*
cti ſcilicet & probi, qui peccatũ ei ſuum quale ſit, *di in corre-*
& quã grande oſtendere queant, & quorũ ille au- *ptione frater-*
ctoritatẽ, & probitatem revereri poſſit. Adhibendi *na.*
autẽ ſunt teſtes, vel ad docendũ, vel conuincẽdum,
denique vt teſtes ſint admonenti; quod pro ſalute
fratris correptionẽ non neglexerit. *Quod ſi non au-*
dierit eos, dic Eccleſię Vel vt habet S. Benedictus. *Si*
non emendauerit, obiurgetur publice corã omnibus. Tunc
(inquit Hier. hic) multis dicendũ eſt, vt deteſtatio-
ni eum habeant, & qui non potuit pudore ſaluari,
ſaluetur opprobrijs. Ecce quã lentè velit Dominus
ad excõmunicationẽ eſſe procedẽdum. Ecce quot
modis peccator ad pœnitentiam prouocãdus ante-
quam excommunicetur. Inſinuauit & D. Paulus
ante excommunicationem monitiones eſſe facien-
das: *Quod ſi quis,* inquit, *non obedit verbo noſtro per* *2. Theſſ. 3.*
epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo.
Et concilium Tridentinum dicit, quod gladius
excommunicationis ſobriè, magnâque circumſpe- *25. De refor.*
ctione exerendus eſt. Vnde & iniuſtam iudicant *c. 3.*
Canones excommunicationem illam (etiamſi ex- *Sobrius ſit*
communicandi cauſa iuſta ſit) quam triplex ad- *excommu-*
monitio non præceſſit, vt colligitur ex libr. 2, *nicandi pec-*
Regiſtri ſancti Gregorij cap. 45. Reprehendit. & *cantes vſus.*
D. Gregorius illos Eccleſiæ prępoſitos, qui ſubitò
& præcipites ad excommunicationem proruunt,
non conſiderantes nec tentantes, vtrum alia via
ad pœnitentiam, & correctionem delinquentes

Hom.16.in Euang. adduci poſſunt. Videndum eſt, inquit, quæ culpa vel pænitentia ſit ſecuta poſt culpam, vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos paſtoris ſententia abſoluat. Et D. Leo Papa, oſtendens ſententiam excommunicationis non temerè, ſed circumſpectè, & tardè, non iracundè, *Epiſt.89. c.6.* ſed dolenter ferendam eſſe, ſic ait: Nulli Chriſtianorum facile communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium ſacerdotis, quod in magni reatus vltionem inuitus & dolens quodammodo debet inferre animus vindicantis. Cognouimus enim pro commiſſis, & leuibus verbis quoſdam à gratia communionis excluſos, & animam, pro qua Chriſti ſanguis effuſus eſt, irrogatione tam ſæui ſupplicij ſauciatam, & inermem quodammodo exutāque omni munimine, diabolicis incurſibus, *Lib.1. offi.c. 27.* vt facile caperetur obiectam. Et D. Ambroſius pulchrè eandem ſententiam adhibens cooperationem pij & prudentis chirurgi: Cum dolore, inquit, amputatur, quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, ſi poteſt ſanari medicamentis: ſi non poteſt, tūc à bono medico abſcinditur: Sic epiſcopi affectus boni eſt, vt optet ſanare infirmos, ſerpentina auferre vlcera, adurere aliqua, non abſcindere, poſtremò quod ſanari non poteſt, cum dolore abſcindat. Quemadmodum Chriſtus in Euan- *Matt.18.* gelio dicit: *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Et ſanctus Benedictus: *Si vero nec ſic correxerit, excommunicationi ſubiaceat.* Hoc eſt, publicè excommunicatus habeatur, non iam tanquam frater, ſed extra Eccleſiam exiſtens Ethnicus & publicanus ſimul effectus: quinimmo illis deterior factus, peior enim eſt excommunicatus Chriſtianus, homine gentili. Oſtendit enim

S. Au-

S. Auguſt, malum Chriſtianum meliorem eſſe infideli quamdiu in Eccleſia manet, excommunicatum vero, & ab eccleſia ſeparatum peiorem. Quo ſane Chriſtianis auribus nihil horribilius. Verum quoniam quidam adeò parui vel obcæcati ſunt intellectus, vt capere non poſſint, quam excommunicatio ſit pæna grauis, in quanto æternæ damnationis periculo excommunicatus verſetur; ideo S. Benedictus tales non excommunicando, ſed alia ratione vult corrigi, neque enim terror excommunicationis, quem non ſentiunt, tales ad reſipiſcendum commoueret. Similiter improbi, quos nec opprobria, nec animæ pericula mouent, non excõmunicatione ſe verberum acerbitate, ad inſtar irrationabilium pecorũ (quę nullo rationis iudicio ducuntur ſed flagello impelluntur) cogendi ſunt, vt qui malitia ſua excæcati, & obdurati, nullis rationibus cedunt, illos corporum afflictio, & cruciatus commoueat, & ad mentem reuocet.

Conc. 2. in Pſal. 30.

Aliqui ſunt nequam homines ſolis pœnis corporalibus caſtigandi.

Qualis debeat eſſe modus excommunicationis.

CAPVT XXIIII.

Secundum modum culpæ, & excommunicationis, vel diſciplinę debet extendi men-

Deut. 25.

menſura, qui culparum modus in Abbatis pẽdeat iudicio. Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur tantùm, à mẽſæ participatione priuetur. Priuati autem à menſæ conſortio, iſta erit ratio, vt in oratorio pſalmum, aut antiphonam non imponat, neque lectionẽ recitet vſque ad ſatisfactionem. Refectionem autem cibi poſt fratrum refectionem ſolus accipiat. Vt ſi (verbi gratia) fratres reficiunt hora ſexta, ille frater nona: ſi fratres nona, ille veſpertina, vſque dum ſatisfactione congrua veniam conſequantur.

Epiſt. 28.

Communicatio varia.

IN hoc capite patet excommunicationem habere gradus, & vnam alia eſſe grauiorem. Excommunicare enim eſt (inquit D. Cyprianus) à communicatione arcere & cohibere. Eſt autem in humana ſocietate multiplex & varia communicatio. Eſt enim alia rerum ſæcularium, v.g. menſæ, ſermonis, negotiationis &c. alia rerum ſpiritualium vt templi, orationis, ſacramentorum, verbi Dei, ſuffragiorum Eccleſiæ, eccleſiaſticæ ſepulturę & ſimilium. Horum igitur communicatione Eccleſia Chriſtianos propter peccata ſua piè & ſalubriter ſubinde priuat aut partim, aut plenè & abſolutè pro peccati merito & quantitate, Nos (inquit

quit Euſebius Emiſſenus) multis modis peccatores ſeparamus: alios quidem à cibis quibus prius licitè vtebantur; alios à corpore & ſanguine Chriſti; alios ab Eccleſiæ introitu, atque alios à noſtra communione: & alios quidem ſeptem, alios plures vel pauciores & dies & annos ſeparamus. In quibus ſi viderimus lepram non creuiſſe, mundos eos iudicamus. Et Eccleſiæ reconciliamus. Ex qua inæquali communicationis priuatione illa excommunicationis diſtinctio naſcitur, qua diuiditur in maiorem & minorem excommunicationem. Maior enim eſt, quæ abſolutè ſeparat Chriſtianum à communione & corpore Eccleſiæ, quemadmodum membrum corporis mortuum à corpore viuo. Minor autem, quæ eum non omnino priuat eccleſiaſticâ communione, ſed partim. Horum autem priuationem vult S. Benedictus fieri ſecundum meritum & modum culpæ: vt ſcilicet pro graui & enormi culpa, omnium vel plurium horum communium bonorum priuatio fiat: pro minore vero pauciorum & leuiorum verbi gratia ſermonis, menſę &c. Vnde ſic Sanctus Baſilius: ijs, inquit, qui in culpa aliqua depræhenſi fuerint, ad magnitudinem delicti, pænæ quoque modus accommodatur, videlicet vt vel in communi cum cęteris pſalmorum decantationi intereſſe prohibeantur, vel ad orationis communionem neutiquam admittantur, itemque à cibi communione arceãtur. Quia vero Abbas in primis nouit vultũ pecoris ſui, hoc eſt ingenium & animos ſuorũ religioſorũ, ac propterea quæ diſciplinę ratio, quis punitionis modus ad ſingulorũ correctionẽ cõuenientiſſimus ſit; ideo vult diſciplinæ & excõmunicationis menſurã ex eius pendere prudentia & arbitrio.

In Euang. Dominica 14. poſt pent.

Quid maior excommunicatio.

Quid minor.

Serm. de inſtitutionibus monach.

Vt

vt nimirum illam abhibeat, quam indicat ſecundum timorem Dei, & charitatem ſubditis ſuis debitam, præſentiſſimum, certiſſimumque fore remedium delinquentis fratris. Cum autem S. Benedictus conſtituat leuioris culpæ loco pœnam mēſæ priuationem, ſcire oportet, quænam ſit leuis culpa. Quid eſt (inquit Bernard.) leuior culpa, niſi leuior inobedientia? Traduntur enim à prælatis interdum minora mandata, quorum transgreſſio leuiora ſecundum regulam parit & peccata: & tamen in Deum nihilominus præuaricatio fit, quotiens Abbatis iuſſio præteritur: non ſemper tamen damnabiliter ſeu criminaliter, quod pręcipitur, non impletur. Etſi enim omnis inobedientia inexcuſabiliter ſit culpabilis, nulla tamen æternaliter damnabilis, niſi quam remedium pœnitentiæ non ſanat. Nulla eſt lęthaliter criminalis, niſi quæ contemptum ſuperbiæ non euitat. Docet igitur hoc loco B. Bernardus leuioris culpæ transgreſſionem & inobedientiam eſſe eorum pręceptorum (ſi tamen contēptus abſit) quæ conſtituuntur de bonis medijs, id eſt, quæ per ſe & abſolutè, nec bona nec mala ſint, nec virtutes nec vitia. Quæ præcepta (inquit Bernardus) à præpoſitis diſpenſationem admittunt, & quia leuiori cenſura neglecta puniuntur, leuiora dicuntur. Ex his v. g. dico eſſe vel riſum interdictum, vel ſilentium. Hæc ſiquidem ſi contra mandatum non veniunt, nec peccata ſunt: accedente mandato, ſi quominus iam obſeruantur, in peccatum reputantur, non tamen in crimen. Ita ſanè ſi per ſubreptionem aut obliuionem, non autē per contemptum horum transgreſſio fiat; quando enim contemptus accedit grauioris culpæ fit inobedientia.

Quid leuis culpa.

De percept. & diſpen.

Ibidem.

bedientia. Eſt autem igitur leuis culpa ex præſcripto regulæ expianda communis menſæ priuatione, publicarum quarundam in diuino officio functionum interdictione, deinde certis corporis proſternationibus & humiliationibus ex conſtitutionibus patrum ordinis noſtri Ciſtercienſis in choro publicè faciendis. At durior hæc leuis culpæ (quæ nimirum facile & ſæpè committi poteſt & committitur) pæna cuique fortè videbitur. Certe ſi conſideres rigorem primorum monachorum, ſi quam auſterè etiam ob minima peccata ſua ſeipſos caſtigauerunt & punierunt, audias: aliter puto, ſenties; deinde exiſtimandum non eſt, quod ſtatim certò & ſine retractatione pœna leuis culpæ imponi debet, vbi leuis inobedientia aliqua commiſſa eſt; aut quod pro ſingulis vicibus, & actibus indifferenter, ſine conſideratione perſonæ, cauſæ & aliarum circumſtantiarum facti ſeu delicti iniungenda ſit: ſed quemadmodum in ſimilibus ordinis & religionis cauſis: ita & hic arbitrium & diſcretio Abbatis locum habere debet; vt nimirum ipſe vel etiam infligat, quando neceſſe ſeu vtile putabit, vel aliam corrigendi rationem ineat, quam honori Dei, religionis conſeruationi, & animarum ſaluti conuenientiorem indicabit. Tertiò, conſtituitur hæc leuis culpæ pæna extrema, & ſummi iuris, qua nimirum grauior ei conſtitui non debeat, à qua & abſtinendum eſt, ſi leuiori modo corrigi poteſt. Ad quam proinde nec ſubito vno ſcilicet errore commiſſo, ſed paulatim quaſi per gradus (quemadmodum ſcilicet in graui culpa ad excommunicationem & alias graues pœnas) procedendum eſt. Vt patet etiam exemplo Paulæ Præpoſitæ ſanctimonialium in Bethleem,

Leuis expiatio.

In definit. diſt. 7. c. 5.

leem, quæ ſorores ſuas vitioſas hoc excommuni-cationis genere punire ſolet vt refert S. Hieron. ad Euſtochium: quam, inquit, linguoſam, garru-lam,ac procacem,rixiſque perſpexerat delectari, & ſæpius commonitam nolle conuerti,inter vltimas, & extra conuentum ſororum, ad fores triclinij orare faciebat, & ſeparatim cibum capere: vt quam obiurgatio non correxerat, emendaret pu-dor.

In epitaphio Paulæ.

De grauioribus culpis.

CAPVT XXV.

Is autem frater qui grauioris culpæ noxa tenetur,ſuſpendatur a menſa ſimul & ab oratorio: nullus ei fratrum in vllo iungatur conſortio, neque in colloquio,ſo-lus ſit ad opus ſibi iniunctum, perſiſtens in pœnitentiæ luctu, ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis: Traditum huiuſmodi hominem ſathanæ in interi-tum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Cibi autem refectionem ſolus percipiat, menſura,vel hora,qua præui-

1.Cor. 5.

deris

uiderit ei Abbas competere: nec à quoquam benedicatur tranſeunte, neque cibus qui ei datur.

QVæ ſint grauiores culpæ ex declaratione leuioris culpæ iam facta intelligi poteſt, tum maximè ex ipſo correctionis modo. Cum enim excommunicatio maior in leui culpa locum non habeat, ſed tantum in grauiori, certum eſt illam venialem, hanc mortalem eſſe, quia excommunicatio tantum in mortale peccatum cadit. Neque enim æquum foret, mortis ſententiam & pœnam ſuſtinere eum, qui mortem non meruit, hoc eſt, qui mortaliter non peccauit. Grauiores igitur culpæ ſunt, trium votorum monaſticorum violatio, & alia grauiora peccata, quæ hominem ęternæ mortis reum conſtituunt. Cuiuſmodi multa recenſet Apoſtolus: *Manifeſta ſunt autem*, inquit, *opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, ęmulationes, rixæ, irę, diſſentiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non conſequentur*: ſed diaboli regno & æternæ damnationi addicentur. Cuius diabolici regni & damnationis ſpecimen quoddam & inchoatio eſt, eiectio ab Eccleſia, & ſeparatio à ſocietate ſanctorum, quæ fit per excommunicationem. Qui enim proijcitur à ſocietate ſanctorum, quid ei ſupereſt, quam quod ſit in ſocietate damnatorum, in qua diabolus præeſt?

Excommunicatio reſpicit mortaliter peccantem.

Culpæ grauiores.

Gal. 5.

Quod

Quod autem propter eiuſmodi grauia peccata etiam in hac vita peccantes per excommunicationem ab Eccleſia ſeparandi, & è ſocietate ſanctorum eijciendi ſunt, conſtat & exemplo Apoſtoli fornicarium excommunicantis, & dicentis. *Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri, ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax cum eiuſmodi nec cibum ſumere.* Religioſus igitur qui in grauioribus culpis ſeu peccatis mortalibus deprehenditur, primùm ſecretò monendus eſt; deinde coram aliquot teſtibus. Tertiò publicè ad eum modum, quem Chriſtus tradidit Matt.18.& explicatum eſt capitulo 23. regulæ. (Nam iſte ordo procedendi contra peccantem hic planè intelligi,& ſeruari debet) quibus modis ſi non moueatur nec emendetur, tunc iuxta ſententiam S.Benedicti ſuſpendi debet à menſa, ab oratorio, colloquio ac omni penitus fratrum conſortio. Et vult eum meminiſſe terribilem illam Apoſtoli ſententiam, ſcilicet. *Traditum*, eiuſmodi, *Hominem Sathanæ, in interitum carnis, vt, Spiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Significans eum maiore excommunicatione damnatum, qua homo ſathanæ traditur. Quemadmodum enim in Baptiſmo, quo homo Eccleſiæ aſſociatur, & incorporatur, Sathanas certis exorciſmis ab homine expellitur: ita per excommunicationem, qua rurſum ab Eccleſia eijcitur, iterum Sathanæ traditur. Eſt igitur excommunicatio maior (ait D.Thomas) à qualibet licita cõmunione fidelium ſeparatio. Priuatur enim excõmunicatus omni communione actiua,& paſſiua, tam corporali,& politica, quam ſpirituali, & Eccleſiaſtica, quemadmodum his verſibus indicatur.

1.Cor.5.

Corripe fraternè.

Ibidem.

Suppl.q.21. art.1.

Si pro

Si pro delictis anathema quis efficiatur:
Os, orare, vale, communio, menſa negatur.

Quę etiam ſingula à S. Benedicto ſignificantur. Excommunicato negatur *os*. Per (os) ſignificatur colloquium, oſculum, amplexus, epiſtola data vel accepta ab excommunicato eſſe vetita. D. Benedictus. *Ne quis fratrum*, inquit, *in colloquio ei iungatur*. (*Orare.*) Significat participationem ſacramentorum, orationum tam priuatarum quā publicarum cum excommunicato prohiberi. S. Benedictus, eum ſuſpendit ab oratorio & prohibet cibum eius benedici: (*vale*) ſalutationes, verbo, ſcripto vel alio ſigno factas, veluti aſſurgendo, caput aperiendo, labia mouendo, capite annuendo. Benedictus. *A nemine tranſeunte benedicatur*. (*Communio.*) Participationem in operando, in exercendo, in faciendo aliquid cum excommunicato, vel in habitando in eadem domo, aut in cōuerſando cum eo alijs modis, interdicit. S. Benedictus mandat. *Ne quis illi iungatur in vllo conſortio*. (*Menſa.*) Accubationē in eadem menſa, ſeu conuiuio, hanc & S. Benedictus expreſsè vetat. Hæc autem excommunicationis ſeparatio primùm fit, vt excommunicatus verecundetur, & mediante ac vrgente eum pudore ad mentem redeat & reſipiſcat dicente Propheta Dauid: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*. Et Apoſtolo: *Quod ſi quis non obedit verbo noſtro, ne commiſceamini cum illo, vt confundatur*. Et S. Auguſt. Nos quidem, inquit, Fratres, propter correptionem ſeu medicinam tenemus nos etiam à fratribus noſtris, & non cum eis conuiuamur, vt corrigantur. Cum extraneis potius conuiuamur, & cum paganis, quam cū his qui nobiſcum

Quibus priuetur excommunicatus.

Pſal.

2. Theſſ. 3.

In Pſal. 106.

erant,& nobis adhærent, ſi viderimus eos malè viuere, vt erubeſcant & corrigantur. Quemadmodum igitur putre & mortuum membrum à reliquo corpore abſcinditur & ſeparatur, ne ſanas corporis partes inficiat & vitiet: ita excommunicatus à corpore Eccleſiæ, & ſocietate fidelium ſeparatur & expellitur. Sicut autem membrum à naturali corpore abſciſſum nec animâ viuit, nec alijs beneficijs & commodis gaudet, quibus alia membra viua: ita excommunicatus non viuit (inquit Greg.) de ſpiritu Eccleſiæ, hoc eſt, de Spirituſancto, non enim eſt de corpore. Eccleſia autem ſpiritum viuificantem habet, quia capiti ſuo Chriſto inſeparabiliter adhæret. Scriptum eſt enim: *Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt cum eo.* Hęc Gregorius. Ex quibus colligitur, quod excommunicatus priuatur & caret cõmuninibus Eccleſiæ beneficijs, & gratijs, quæ à capite Eccleſiæ Chriſto per Spiritumſanctum in viua eius membra influunt; ſpoliatur ſpiritualibus Eccleſiæ ſuffragijs & orationibus, ita vt per hæc nulla in re intendat Eccleſia excommunicatis ſubuenire. Vnde S. Leo Papa expreſsè prohibet, ne excommunicatorum nomina ad altare recitentur. Et D. Gregorius l. 6. Regiſtri epiſt. 17, & D. Benedictus non vult eorum cibum benedici. Ex hac autem priuatione ſuffragiorum accipit excommunicatus triplex incommodũ ſecundũ tria beneficia, quæ ex ſuffragijs Eccleſiæ conſequebatur. Valent enim ſuffragia Eccleſiæ 1. ad augmentum gratię eis, qui eã habent; vel ad merendum ſeu acquirendum eis, qui non habent: & quantum ad hoc gratia Dei ſubtrahitur per excommunicationem. Secundò valent ad cuſtodiã virtutis

Similitudo

In Pſalm. 5. pœnit. ad 1. verſum.

1. Cor. 6.

Epiſt. 26. c. 2

Ad quid valent ſuffragia eccleſiaſtica.

D. Thomas Suppl. q. 21. art. 2. ad 3.

virtutis, & quantum ad hoc protectio ſubtrahitur: non quod omninò à prouidentia Dei excludatur excommunicatus, ſed ab illa protectione, qua filios Eccleſię ſpecialiori modo cuſtodit. Tertiò, valent ad defenſionem ab hoſte: & quantum ad hoc, datur diabolo maior poteſtas ſæuiẽdi in excommunicatum, & ſpiritualiter & corporaliter. Vnde in primitiua Eccleſia, quando oportebat per ſigna viſibilia homines ad fidem inuitare: ſicut Sanctiſpiritus donum viſibili ſigno manifeſtabatur: ita & excommunicatio corporali vexatione à diabolo innoteſcebat. Cuius rei exemplum Eccleſię tum fuit exhibitum, & poſteris relictum in Anania & Saphira. Eorum exemplo (inquit Ambroſius) noluit perire cæteros. Et Auguſt. Per eorum pœnam temporalem, inquit, voluit Deus ſciri diſciplinam. Credendum autem eſt quod poſt hanc vitã pepercerit eis Deus, magna eſt enim miſericordia eius, &c. Propterea enim excommunicatus dicitur tradi ſathanę, quia priuatur ſpiritualibus eius priuilegijs & ſubſidijs, quibus muniuntur contra ſathanam & peccata membra Eccleſiæ: prçciſo enim interiore vinculo & nexu, quo Eccleſiæ adhęrebat, ab Eccleſia illuc proijcitur, vbi ſathanas liberiorem exercet poteſtatem, magiſque ſæuit. Ideo dicit S. Hieron. excommunicatum tradi dæmoni diſcerpendum. Et D. Leo dicit: Animam irrogatione tam ſæui ſupplicij (ſcilicet excommunicationis) ſauciatam, inermem quodammodo, exutamque omni munimine diabolicis incurſibus, vt facilè caperetur, eſſe obiectam. Cum autẽ eccleſiaſtica diſciplina adhiberi debeat in eũ finẽ, vt peccantes corrigantur, & ſaluentur. Quęret fortè aliquis quomodo

Act. 5.

Lib. 1. offic. c. 30. ſer. 11. in ſeparatis editis.

Ad Hiliodorum.

Epiſt. 89. c. 6

eccleſia rectè vtatur ad emendationem peccantium excommunicatione, qua videntur potius ab emendatione & ſalute arceri & impediri, quã ad eam prouocari aut iuuari. Orationibus enim & ſuffragijs Eccleſiæ ſternitur & munitur via ad virtutem & ſalutem; ijs autem excommunicatio ſpoliat, ita vt anima (inquit Leo) his exuta & inermis, diabolicis incurſibus obiecta, facile capi, & à diabolo & peccato ſuperari poſſit. At non eſt inconueniens (inquit D. Thomas) ſi ille qui non eſt deſperatus, hoſti detur: quia non datur quaſi damnandus, ſed quaſi corrigendus, cum in poteſtate eccleſiæ ſit, ex eius manu ipſum, cum voluerit, eripere. Nam iuxta mandatum Apoſtoli, eccleſia non æſtimat excommunicatum inimicũ, ſed corripit vt fratrem; non odio, ſed amore tradit eum ſathanæ, non in perditionem animæ, ſed in interitum carnis, nimirum vt ſpiritus ſit ſaluus in die domini. Et propterea eccleſia pro illo luget dicente D. Auguſt. Cum, inquit, ad talem vindictam neceſſitas cogit, humilitas lugentium debet impetrare miſericordiam, quam repellit ſuperbia; nec illius ipſius qui de medio fratrum tollitur, debet negligi ſalus: ſed ita agendum eſt, vt ei talis vindicta ſit vtilis, & agendum votis & precibus, ſi corrigi obiurgationibus non poteſt. Quamuis igitur excommunicatus ſpolietur præſidijs & communibus eccleſiæ orationibus, quibus adiutus facilius ad pænitentiam rediturus videri poſſit; & quamuis tradatur ſathanę, qui peccantem ſemper à pænitentia reuocat, & ad peccandum inſtigat: non tamen putandus eſt Deus omnem ſuam prouidentiam, & curam illi ſubtraxiſſe & negaſſe. Neque enim ita abſolutè traditur dia-

Suppl. q. 21. art. 2. ad 3.

2. Theſſ. 3.
1. Cor. 5.

Lib. 3. contra Permenianũ c. 1.

diabolo, vt in illũ & de illo pro malitia ſua quidquid volet, tamquam dominus efficiat: ſed Deus eius malitiam & poteſtatē ita moderatur & coercet, vt non efficiat, nec tantum noceat quantum ipſe, ſed quantum Deus vult. Vult autem Deus interitum carnis, & ſalutem ſpiritus, hoc eſt, deſtructionem vitæ carnalis & peccati. Traditur igitur excommunicatus diabolo vt eouſque in eo ſæuiat (vel corporaliter eum affligendo, vt puniendo, inquit Chryſoſthomus, eius carnem aut eum percellendo vulnere malo, vel alio morbo: vel ſpiritualiter eum tentando & ad peccatum ſollicitando) vt fatigatus eiuſmodi moleſtijs ad ſe redeat, reſipiſcat, & caro eius intereat & moriatur. Fit enim dum homo ſentiens dæmonis violentiam ad peccatum ſollicitantis & impellẽtis, & ſuam ad illi reſiſtendum experiens imbecillitatem (propterea quod exutus iam ſit ſubſidijs, & ſpiritualibus ſuffragijs matris ſuæ eccleſiæ, quibus olim munitus, & tamquam in acie bene ordinata conſtitutus fortiter aduerſarium repellere ſolebat) vt reſipiſcat, & de repetẽdo arcem præſidij, eccleſiam cõgitet, à peccando deſiſtat, & pænitentia ſalutari interitus carnis in ipſo fiat. Interit autem caro (inquit Ambroſius) cum ſapiẽtia eius tranſit in ſpiritum, vt iam non quæ carnis ſunt ſapiat, ſed quę ſunt ſpiritus. Caro igitur hic intelligenda eſt, non carnis ſubſtantia, ſed illa (inquit D. Epiphanius) de qua ſcriptum eſt: *caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt*. Etenim reuera, inquit, non poteſt ſcortatio regnum cælorũ poſſidere, neque adulterium atque petulantia, neque ſimulachrorum cultus, hoc eſt, caro & ſanguis. Sicut igitur Dominus (inquit Ambroſius) in a-

Quid interitus carnis.

Quomodo excommunicatus traditur ſathanæ.

Hom. 15. 1. Cor. 5.

Lib. 1. de pænitent. c. 12.

Hæreſi 66.

Vbi ſupra.

animam S. Iob poteſtatem non dedit, ſed in carnem eius permiſit licentiam: ita & hic traditur ſathanæ in interitum carnis, vt ſerpens terram eius lingeret, animæ non noceret. Hic igitur mirabilis modus eſt excommunicationis, quo vtitur Deus ad emendationem & pœnitentiam peccantium, qui quidē in Eccleſia conſtituti facilius poterant pœnitentiam ſuſcipere, ſed quia Eccleſiam non audientes contempſerunt, eos foras mittit, & Eccleſiæ præſidijs ſpoliatos & quaſi inermes hoſti obijcit; vt videntes ſe in maximis perditionis periculis poſitos, infeſtatione dæmonis coacti, de

ſimilitudo ſalutis remedio cogitare incipiant. Ad eum planè modum, quo quis inquietus, & obtemperare nolens Præfecto ciuitatis, proijcitur de ciuitate. Qui vidēs ſe in medio hoſtium, & telis vndique appeti, periculo ſuo monitus emendationem & reditū ad ciuitatem meditari incipit. De hoc mi-

Lib. 1. de pænitent. c. 13. rabili correctionis modo ſic egregiè D. Ambroſius: Magna (inquit) poteſtas, magna gratia, quæ imperat diabolo, vt ſe ipſum deſtruat. Se enim deſtruit, cùm hominem quem tentando ſupplantare ſtudet, ex infirmo fortiorē efficit: quia dum carnē debilitat, mētem eius corroborat. Et iterū: Quāta vis Chriſti, vt cuſtodia hominis imperetur etiam ipſi diabolo, qui ſemper vult nocere. Dominum ergo Ieſum nobis propitiemus. Imperante Chriſto & diabolus ipſe ſit prędę ſuæ cuſtos; vel inuitus mandatis obſecundat cæleſtibus, & quamuis immitis, tamen māſuetis obſequitur imperijs. Sed quid ego commendo obſequium eius? ſit ille ſemper malus, vt ſit Deus ſemper bonus, qui malitiam eius nobis in gratiam con-

uertit:

uertit. Vult nocere ille, ſed non poteſt, ſi Chriſtus obſiſtat. Carnem vlcerat, ſed cuſtodit animam, terram deuorat, ſed reſeruat ſpiritum. Hęc D. Ambroſius.

De his qui ſine iuſſione Abbatis iungunt ſe excommunicatis.

CAP. XXVI.

Si quis frater præſumpſerit ſine iuſſione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo ſe iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, ſimilem ſortiatur excommunicationis vindictam.

CVm ratio cur ſancta mater Eccleſia vtitur excõmunicatione ſit, vt peccãtes per pudorem emendentur: vt nimirum videntes ſe ab omnibus Chriſtianis vitari, & deſpectui haberi, ignominiam ſuam non ferentes, reſipiſcant. Ideo omnes diligenter abſtinere ſe debent ab omni *Fulmen excommunicationis ad quid vtile?*

vſu, & conſortio excommunicatorum, ne tali conſortio, abſterſâ fortè eis verecundiâ animoſiores fiant, & in malo ſuo obdureſcant. Quam rationem vitandi excommunicatos clarè indicauit Ioannes Caſſianus: Si quis, inquit, orationi eius (ſcilicet excommunicati) antequam recipiatur à ſeniore, inconſiderata pietate permotus, cõmunicare præſumpſerit, complicem ſe damnationis eius efficit: tradẽs ſcilicet ſemetipſum voluntariè ſathanę, cui ille pro reatus ſui emendatione, fuerat deputatus, in eo vel maximè grauius crimen incurrens, quod cum illo ſe vel confabulationis, vel orationis communione miſcendo, maiorem illi generet inſolentiæ fomitem, & contumaciam delinquentis in peius enutriat. Pernicioſum namque ſolatium tribuens, cor eius magis ac magis faciet indurari, nec humiliari eum ſinet ob quod fuerat ſegregatus, & per hoc vel increpationem ſenioris nõ magni pendere, vel diſſimulanter dę ſatisfactione & venia cogitare. Vt autem ſciatur, an participans aut iungens ſe excommunicato maiore excommunicatione ſimiliter ſemper excommunicetur: Notandum eſt ex D. Thoma: quod excommunicatio in aliquem fieri poteſt dupliciter, ſcilicet aut ita vt ipſe ſit excommunicatus cum omnibus ei participãtibus: & tunc non eſt dubium, quod quicumque participat ei, eſt excommunicatus maiore excommunicatione. Aut eſt excommunicatus ſimpliciter, & tunc aut participat aliquis ei in crimine, præbendo ei conſilium, auxilium aut fauorem, & eſt excommunicatus maiore excommunicatione: aut participat ei in alijs, ſicut in verbo, vel in oſculo,

Lib. 2. inſt. monaſt. cap. 35.

Cum excõmunicato cõmunicãs, eâdem pænâ inuoluitur. 1. Cor. 5.

Suppl. q. 21. art. 2.

oſculo, vel in menſa, & ſic eſt excommunicatus minore excommunicatione. Cum igitur vult S. Benedictus vt frater qui ſe iungit excommunicato ſine iuſſione Abbatis, ſimilem ſortiatur excō-municationis vindictam, hoc eſt, ſimiliter innodetur vinculo excommunicationis maioris, intelligendus eſt loqui nō de excommunicato ſimpliciter; ſed de eo qui ſic excommunicatur, vt & participantes cum eo quocumque modo (ſcilicet vel colloquēdo, vel mandatum ei dirigendo, hoc eſt, per miniſtrum vel aliam tertiam perſonam, ei quidquam ſignificando) eandem maioris excommunicationis cenſuram incurrant. Quæ excommunicationis ratio & modus pendet ex voluntate & ſententia excommunicantis. Cenſuit autem S. Benedictus ſtatuendum tam dura lege; vitandos eſſe omnes excommunicatos maiore excommunicatione, ad certiorem diſciplinę cuſtodiam, & velociorem excommunicatorum reſipiſcentiam. *Explicatur textus.*

Quali-

Qualiter Abbas debeat eſſe ſollicitus circa excommunicatos.

CAP. XXVII.

Mat. 9. *Omni ſollicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres, quia non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus: Et ideo vti debet omni modo vt ſapiens medicus: immittere quaſi occultos conſolatores ſenipetas, id eſt, ſeniores ſapientes fratres, qui quaſi ſecretè conſolentur fratrem fluctuantem, & prouocent eum ad humilitatis ſatisfactionem, & conſolentur eum, ne abundantiori triſtitiâ abſorbeatur;* 2. Cor. 2. *ſed ſicut ait Apoſtolus: Confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet ſollicitudinem gerere Abbas, & omni ſagacitate & induſtria curare, ne aliquam de ouibus ſibi creditis perdat. Nouerit enim ſe infirmarum curam ſuſcepiſſe animarum, non*

ſuper

ſuper ſanas tyrannidem. Et metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: Quod craſſum videbatis aſſumebatis, & quod debile erat, proÿciebatis. Et paſtoris boni pium imitetur exemplum: qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abÿt vnam ouem, quæ errauerat, quærere. Cuius infirmitati in tantum compaſſus eſt, vt eã in ſacris humeris ſuis dignaretur imponere & ſic reportare ad gregẽ. Ezech. 34. Luc. 15.

GRauiter monet Abbatem ſui officij circa excommunicatos, & omnes infirmos & delinquentes fratres; vt ſcilicet ſummo ſtudio & omni ſollicitudine curet, ne vlla ex ouibus ſuæ cuſtodiæ traditis, pereat. Quia nullum damnum grauius quàm perditio animæ Chriſtianæ, quam Chriſtus pretioſo ſuo ſanguine redemit, mundauit, ſanctificauit, & ſponſam ſibi aſciuit. Ad quam vigilantiam & curam excitat eum diuerſis argumentis; nimirum ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, ſimilitudine medici, & exemplo ſummi paſtoris Chriſti. Quemadmodum enim medici opera vtilis eſt & neceſſaria propter infirmos & debiles, inutilis verò & ſuperuacua vbi nullus eſt languor, nulla infirmitas: ita Abbas ſe præfectum & conſtitutum putare debet, non cauſa bonorum religioſorum, ſed infirmorum; vt ſcilicet ignorantes doceat, puſillanimibus animos addat, inquietos compeſcat. Vnde Dominus reprehen-

Sollicitè curandus eſt excommunicatus.

Similitudo

reprehendit per Ezechielem Præpoſitos, qui tantum probis & perfectis præeſſe volentes, infirmorum curam abijciebant: *Væ paſtoribus Iſrael, inquit, qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum non alligaſtis, & quod abiectum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis & cum potentia.* Tales ſunt ij, qui propterea præfectos ſe putant vt honoribus fulgeant, diuitijs floreant, non vt errantes cum labore & ſudore corrigant. Nunquid (inquit Bernardus) medicus valentes requirit, & non potius ægrotantes? Quos docebis magiſter bone, ſi omnes indoctos repuleris? quibus, quæſo adhibebis diligentiam diſciplinæ, ſi indiſciplinatos vel effugaueris omnes, vel fugeris? In quibus obſecro, tuam probabis patientiam, ſi ſolos admiſeris manſuetos, inquietos excluſeris? Et certè quemadmodum medicus quo grauiorem morbum & vulnus periculoſius ſanat, eo magis artis ſuæ ſpecimen prodit, & maiorem laudem meretur: ita medicus ſpiritualis quo peiores ſunt, quos regendos ſuſcepit, & prudentia ſua in officio continet, eo ampliorem à Deo mercedem accipiet. *Nouerit proinde* (ait Sanctus Benedictus) *ſe infirmarum curam ſuſcepiſſe animarum, non ſuper ſanas tyrannidem.* Quaſi dicat. Sciat ſe ad hoc conſtitutum, vt errantes reuocet, & exemplo ac virtute ſua ad ſaniorem mentem adducat, non vt in innocentes ſæuiat. Vnde etiam ſic B. Petrus Apoſtolus. *Seniores*, inquit, *paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei &c. non vt dominantes in cleris, ſed*

Ezech. 34.

Fatuitas quorundam præpoſitorũ.

Serm. 52. [illegible]

Prudens ſit Præfectus.

ſed formæ facti gregis ex animo. Paſcite (inquit Ioannes Heſſels hic) gregem cum manſuetudine & humilitate, non vt dominium aut principatum in cleros inferiores exercentes, non acceptam poteſtatem oſtentantes. Ipſi ſitis tanquam vera pietatis & humilitatis exemplaria, ideſt, videant omnes ſubditi, talem eſſe vitam veſtram, ad cuius exemplum & ſimilitudinem, ſuam tutò componere poſſint. Hæc ille. Præſcribit igitur hic Beatus Petrus Epiſcopis & omnibus præfectis eccleſiaſticis quomodo gregem ſibi commiſſum paſcant, ſcilicet, non tantum imperio, ſed potius virtutis exemplo: quia verbum trãſit, exemplum autem ſemper ob oculos verſatur. De manſueto quoque gubernandi modo ſic quoq; D. Auguſt. Ipſe, qui vobis, inquit, præeſt, non exiſtimet ſe poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente fælicem. Et D. Hieron. Epiſcopi ſe ſacerdotes nouerint, non dominos, honorant clericos quaſi clericos, & vt ipſis à clericis honor quaſi Epiſcopis deferatur. Deinde ne pereat vlla de ſuis ouibus mandat Abbati S. Benedictus, vt inſtruat & ſubornet Senipetas, hoc eſt, ſeniores fratres ſapientes, qui excommunicatum conſolentur & ad pœnitentiam prouocent. Ad imitationem Apoſtoli, qui hortatur Corinthios, vt conſolentur fornicarium excommunicatum, ne abundantiori triſtitia abſorbeatur, hoc eſt, ne nimiâ triſtitiâ in deſperationem eum adducant, ſed vt confirment in eo charitatem, hoc eſt, eum ad charitatem inducant. Ex quo intelligitur quod à lege vitandi excommunicatos, nonnulli excuſantur & excipiũtur, qui cum illis licitè & ſine peccato communicent, ſunt autem hi quintuplici genere hoc verſiculo

1. Pet. 5.

Verbum & exemplum.

In regula.

Ad Heliodorum, de vita clericorum.

Qui Senipeta.

1. Cor. 5.

ſiculo comprehenſi:

Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſse.

Suppl. q. 23. ar. 1. *Vtile* (inquit D. Thomas) refertur ad verba ſalutis, vt is qui hortatur, ſuadet, precatur excommunicatum ad reſipiſcentiam & pœnitentiam, nullam incurrat cenſuram, imò nec peccet communicando cum illo. *Lex*, id eſt, lege coniugij adſtrictus non debet coniugē vitare. *Humile*, hoc eſt, filij, ſerui, & alij qui ipſi debent ſeruitium & officium, ſine periculo illud reddunt. *Res ignorata*, hoc eſt, ſi quis communicat cum illo, quem ignorat excommunicatum. *Neceſſe*, hoc eſt, participans cum excommunicato ob magnam neceſſitatem, vel propriam, vel ipſius excommunicati, v.g. quâ alter alterius eleemoſinâ indiget, quam vel aliunde commodè accipere nequit, &c.

De his, qui ſæpius correcti non emendauerint.

CAP. XXVIII.

Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, ſi etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correctio, id eſt, vt verberum vindicta in eum procedat. Quod ſi nec ita correxerit, aut fortè (quod abſit) in ſuperbiam elatus, etiam defendere voluerit opera ſua,

tunc

tunc Abbas faciat quod ſapiens medicus. Si exhibuit fomenta, ſi vnguenta adhortationum, ſi medicamina diuinarum ſcripturarum, ſi ad vltimum vltionem excommunicationis, vel plagas virgarum, etiam ſi viderit nihil ſuam præualere induſtriam, adhibeat etiam quod maius eſt, ſuam & omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus, qui omnia poteſt, operetur ſalutem circa infirmum fratrẽ. Quod ſi nec iſto modo ſanatus fuerit, tunc iam vtatur Abbas ferro abſciſsionis, vt ait Apoſtolus: Auferte malum ex vobis. Et iterum: Infidelis ſi diſcedit, diſcedat: ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet. 1. Cor. 5. 1. Cor. 7.

CAput iſtud eſſe videtur additio quædam, ſeu ſupplementum capitum 23. 25. & inſtruit Abbatem quid facere debeat deinceps, quando nec priuata, nec publica corrẽptio, atque adeo nec ipſa excommunicatio, nec virgarum & plagarum acerbitas quidquam effecerit ad contumacis & delinquentis emendationem. *Adhibeat* (inquit) *etiam quod maius eſt, ſuam & omnium fratrum pro eo orationem, vt, &c.* Meritò dicit (*quod maius eſt*): quia efficacior eſt ipſius Abbatis & totius cõmunitatis concors ad Deum, & vnanimis oratio, quam prædicta remedia. Supplicatio enim multitu-

multitudinis magis monet Deum, quam paucorum. Dicit namque Dominus: *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cælis eſt.* Quod ſi pręſtat Dominus duobus in nomine ſuo congregatis, quanto magis omnibus, aut ſaltem pleriſque congregatis? Sic enim fit, vt ſpiritus oret gemitibus inenarrabilibus. Nam non vnius, ſed totius multitudinis ſupplicatio eſt inenarrabilis. Pleniſſima (inquit D. Leo) peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Eccleſiæ vna eſt oratio, & vna confeſſio, ſi enim duorum vel trium ſanctorũ pio conſenſu, omnia quæ popoſcerint, Dominus præſtanda promittit: quid negabitur multorum millium plebi, vnam obſeruantiam pariter exequenti, & per vnum ſpiritum concorditer ſupplicanti? Hæc D. Leo. Quamuis autem pro fratre excommunicato oretur, non tamen putandum eſt, hoc aduerſari doctrinæ, quod excommunicatus priuatur orationibus eccleſiæ: quia illæ orationes, quibus ipſe priuatur, publicæ ſunt & communes, quæ fiunt ex ordinatione eccleſiæ, & nomine Eccleſiæ ad ſanitatem & ſalutem totius corporis Eccleſiæ, & ſingulorum membrorum eius. Hæc autem oratio priuatim fit non ex inſtitutione eccleſiæ, ſed ex ſingulari charitatis affectu Abbatis & conuentus erga excommunicatum, tanquam ſi vnus homo pro alio liberè & voluntariè oret. Licet enim cuilibet pro excommunicato orare, ſeu potius ad Deum ſuſpirare. Et ideo Auguſtinus ſupra cap. 25. citatus, hunc affectum non orationem, ſed luctum & gemitum vocauit. Et diuus Bernardus. Si contigerit, inquit,

Matth. 18.

Serm. 3. de ieiunio ſex menſiũ c. 3.

Oramus etiam pro excommunicatis.

De 12. grad. humil. ſub finem.

inquit, (quod Deus auertat) aliquem de fratribus noſtris non in corpore, ſed in anima mori: Quamdiu adhuc inter nos erit, pulſabo & ego meis qualiſcunque peccator, pulſabo & fratrum precibus Saluatorem. Si reuixerit, lucrati erimus fratrem. Sin verò non mereamur exaudiri, vbi iam vel tolerare viuos, vel tolerari à viuis non poterit, ſed incipiet efferri: Semper quidem fideliter gemo, ſed iam non ita fiducialiter oro, non apertè audeo dicere: *Veni Domine ſuſcita mortuum noſtrum*, corde tamen ſuſpenſo, tremulus, intus clamare non ceſſo. Si fortè. Si fortè. Si fortè deſiderium pauperum exaudiet Dominus, præparationem cordis eorum audiet auris eius. Et illud: *Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt & confitebuntur tibi?* Et de quatriduano. *Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?* Poteſt interim Saluator, ſi vult inſpetatè & improuiſè occurrere nobis, lacrymiſque portantium motus, non precibus, mortuo vitam reddere, aut certè iam ſepultum reuocare à mortuis. Mortuum autem dixerim illum, qui ſua peccata defendens in octauum iam corruit gradum. *A mortuo enim tanquam qui non eſt, perit confeſſio.*

Pſal. 9.
Pſal. 87.
Quis mortuus in peccatis.
Eccleſ. 17.

Quod ſi verò nec oratione multorum, Abbatis, & omnium fratrum ſanatus fuerit, *tunc vtatur Abbas ferro abſciſſionis*, & tanquam membrum inſanabile illum amputet à corpore congregationis. Hæc autem abſciſſio fit aut abſolutâ de Monaſterio eiectione, aut perpetuâ in vincula cõiectione & incarceratione. Eſt autem potior perpetua incarceratio, quàm è Monaſterio proſcriptio & emancipatio: propterea quod cum cha-

Melior eſt inſanabili fratri incarceratio, quã eiectio.

ritate ſit magis coniuncta. Malus enim ſi è Monaſterio proijciatur, & libertati ſuę tradatur, excuſſo omni timoris & diſciplinæ fræno, videtur in barathrum omnium malorum pręceps iturus: ſi verò includatur, poterit ſubinde pijs admonitionibus durus animus eius attentari, & tandem fortè ad pœnitentiam & emendationem emolliri.

Epiſt. 102. In quam ſententiam D. Bernardus ad quendam Abbatem ſcribens ſic ait: Super fratre turbato & turbante fratres, & contemnente Magiſtrum, breue tibi, ſed fidele damus conſilium. Diaboli ſtudium eſt circuire in domo Dei, & quærere quē deuoret: tuæ ècontra vigilantiæ, in quantum potes, nunquā locum dare diabolo. Quantò igitur ille acrius inſiſtit quomodo à grege infirmam ſeparet ouiculam; quatenus eo licentius rapiat, quo

Modus tractandi infirmū fratrem. non fuerit qui eripiat: tantò enixius tibi, quantū in te eſt reſiſtendum eſt, ne de manu tua poſſit eū eruere, ne quando dicat inimicus præualui aduerſus eum. Itaque aggredere fratrem omni officio charitatis, ſcilicet, beneficijs, ſalutaribus monitis, ſecretis increpationibus, publicis exhortationibus, duris etiam verborum & verberum correptionibus, quodque efficacius eſſe ſolet, tuis ad Deum pro eo fratrumq; pijs orationibus. Quod ſi iam hæc omnia feciſti, nec profeciſti, ad Apo-

1. *Cor.* 5. ſtoli conſilium confugiendum eſt dicentis: *Auferte malum ex vobis.* Auferatur ergo malus, ne malos generet: *Neque enim poteſt arbor mala fructus bonos facere.* Auferatur autem dico, ſed non quomodo ipſe vult: vt videlicet tanquam ex tua licentia, cum malè ſecura conſcientia extra cōgregationem contra profeſſionem deuitans ſubiectionem ſui iuris eſſe, ſuâ permittatur viuere lege.

Sed

Sed abſcindatur vt ouis morbida à grege, vt putridum membrum à corpore: qui iam exinde ſe pro certo nouerit à te haberi tanquam Ethnicũ & Publicanum. Et ne timeas eſſe contra charitatem, ſi vnius eiectione ſcandalum multorum recompenſaueris pace; quippe qui ſuâ fortè malitia fratrum cohabitantium turbare facilè poterat vnitatem. Conſolatur te illa Salomonis ſententia: *Quem Deus negligit, nemo poteſt corrigere*, &c. Alioquin non eſt relinquéda virga peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas. Melius eſt enim vt pereat vnus, quã vnitas. Hęc Bernar. Qui & ſcribens Eugenio Papæ falſarium quendam Monachum iudicat perpetuâ incluſione & perpetuo ſilentio dignum. Quibus conſentit illud Gregorij: Qui ſunt, inquit, in Monaſterijs tepidi, medendi ſunt quaſi ægri, non ſunt eijciendi vt mortui. Et quãuis ille modus abſciſſionis, quo vitioſus & incurabilis proijcitur de Monaſterio olim in vſu fuiſſe videatur ex regulæ cap. 58. tamen iam reuocatus creditur per capitulum finale de regularibus & tranſeuntibus ad Religionem. Vbi non dicitur malos eiiciendos, ſed etiam fugitiuos requirendos eſſe & in carcerẽ trudendos. Idem ſtatuit & ordinis noſtri Ciſtercienſis definitio, diſt. 11. c. 3. cui ſententiæ ſuffragatur & concilium Trid. ſeſſ. 25. de regul. & monial. c. 19.

Eccli. 7.

Epiſt. 298.

Lib. 4. in lib. Reg. c. 9.

Si debeant recipi fratres exeuntes.

CAP. XXIX.

Frater, qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur de Monaſterio, ſi reuerti voluerit, ſpondeat prius omnem emendationem vitij pro quo egreſſus eſt, & ſic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Quod ſi denuò exierit, vſque tertio ita recipiatur. Jam verò poſtea ſciat omnem ſibi reuerſionis aditum denegari.

Cauſa exeũtium multiplex.

DIuerſa ſunt genera egredientium de Monaſterio. Alij enim egrediuntur maioris virtutis & rigidioris diſciplinę cauſa. Qui quomodo ritè, & quo ordine exire poſſint pulchrè oſtendit & ſtatuit Innocentius 3. l. 3. Inſtitutionum decretalium, conſtitutione 89. Alij rigidioris diſciplinæ tædio & laxioris deſiderio quod illicitum eſt. Poteſt tamen quis tranſire ad laxiorem ordinem ſi fiat cum facultate Prælati ex iuſta cauſa quaſi cum eo diſpenſantis. Nam ſine cauſa iuſta nulli

nulli religioſo id permitti poteſt, ne à ſummo quidem Pontifice; nam interuenit quædam votorum relaxatio, quę ſine cauſa validè fieri nequit. Quapropter quando vetant canones fieri tranſitum ab ordine rigidiore ad laxiorem, veluti facit Concilium Trid. ſeſſ. 25. c. 19 de regularibus: intelligendum eſt, id prohiberi, quando fit ſine cauſa iuſtâ. Iuſtæ autem cauſæ ob quas Prælatus dare poteſt Religioſo ſuo licentiam eundi ad ordinem remiſſiorem, ſunt hæ. Prima, ſi diſciplina eſt collapſa in ſtrictiore. Secunda, ſi odia & ſimultates ibi vigeant. Tertia, ſi ipſe alijs ſit exoſus. Quarta, ſi ob corporis debilitatem non poſſit ferre rigidiorem. Alij denique ob ſuum vitium è Monaſterio, aut proijciuntur inuiti, & vocantur eiecti; aut impatientes diſciplinę propria voluntate Monaſterium deſerunt & fugiũt, idque vel animo deſerendi inſtitutum, & ſic ſunt Apoſtatæ, vel vt ſint extra poteſtatem Superioris, & ad tempus liberè vagentur cum animo redeundi, & ſic ſunt fugitiui.

Iuſta cauſa digreſſionis ad laxiorem ordinem.

Qui fugitiui.

Horum igitur primi redeuntes recipi poſſunt, niſi in ordine ſtrictiore profeſſionem fecerint. Secundi quoque recipi poſſunt, ceſſante præſertim cauſa diſceſſus. Eiecti, fugitiui, & Apoſtatæ, ſi redire & in Monaſteriũ ſe recipi ſupplicant, repelli non debent: Quia ſponte ſua & proprio motu redeuntes, non inanem emendationis ſpem dare videntur. Hinc S. Bernardus. Nos, inquit, in Monaſterijs omnes recipimus ſpe meliorandi. Recipi autem debent non ſine punitione & ſatisfactione. Ab ipſa fundatione loci & ordinis (inquit Bernar.) non eſt auditum, vt quis exiens, ſine ſatisfactione reciperetur: vt nimirũ ſcãdalũ, quod

L. 4. de conſiderat.

Epiſt. 270.

congregatio paſſa eſt, reparetur. Hoc eſt enim quod ait ſanctus Benedictus: *Si reuerti voluerit, ſpondeat prius omnem emendationem vitij pro quo egreſſus eſt*, hoc eſt, præſtet ſe paratũ ad ſubeundã pœnam vitio debitam, cuius cauſa vel quo impellente egreſſus eſt & de cætero promittat eiuſdem vitij emendationem.

Textus.

Punitio Apoſtatarum.

De Apoſtata autem & fugitiuo (prçter pænam ordinariam, quæ communiter committitur prouidentiæ & diſcretioni Abbatis) conſtituit regulæ auctoritas, vt in vltimo gradu recipiatur & ponatur. *Vt ex hoc*, inquit, *eius humilitas comprobetur*, id eſt, vt hac ratione documentum humilitatis eius capiatur: Quam ſi in humili loco oſtẽderit, verè & ex animo conuerſus exiſtimari poterit. Quemadmodum enim ſuperbia apoſtatandi audaciam ei prçbuerat: ita eius humilitas veræ pænitentiæ indicium præſumi poteſt. Quod autem dicitur de vltimo gradu, ſic liber definitionis ordinis noſtri declarat, vt ſi plus quam per decem dies perſtiterit in apoſtaſia, cùm ad ordinis obedientiam reuerſus fuerit, per continuum triennium ſit in vltimo gradu. Verumtamen poſt annum lapſum (non antea ſine Generalis capituli licentia) poteſt proprius Abbas talẽ bene correctum & manifeſta ſigna pœnitentiæ oſtendentem, de Seniorum conſilio diſpenſando, primo ſeu priſtino loco reſtituere; ſi tamen ante decennium completum de apoſtaſia redierit. Nam cæteri omnes (ſcilicet poſt decennium completum) redeuntes, omnium, quos profeſſos inuenerint, vltimi ſine diſpenſatione (hoc eſt perpetuò & ſine ſpe reſtitutionis) remanebunt. Libet hic addere pulchram declarationem huius regulæ, & conſti-

Diſt. 11. c. 3.

tutionem

tutionem editam à Patribus congregationis Caſſinenſis ordinis S. Benedicti: In loci reſtitutionẽ, inquit, tantundem temporis illis reſtituendum, aut reponendum eſſe declaramus, quantũ in congregatione ipſi fugitiui, ante fugam fuerint, non autem quantum ijdem etiam abſuerint; non enim ferendum eſt, vt qui (exempli cauſa) decimo profeſſionis ſuæ anno religionem deſeruit, & anno vigeſimo, id eſt, decimo poſt fugã receptus fuit, eos præcedat qui integros quindecim aut nouẽdecim annos perſeuerauerunt ſub ſuaui obedientiæ iugo: ſed maxima erga illos patrum liberalitas erit, ſi decem anni quos illi fugiendo prodigerũt, pœnitentibus reponantur. Quando autẽ (inquit definitio noſtra) aliquis recipitur, vel ponitur vltimus pro culpa ſua; non cantet vel legat (ſcilicet ſecundum præſcriptum regulæ c. 24.) niſi iuſſus fuerit ab Abbate. Ipſe autem Abbas dare licentiã cantandi & legendi poterit, cùm viderit expedire; & Sacerdotem in Eccleſia vltimũ ponere omnium Sacerdotum. Sacerdotes autem de ſæculo reuertentes, ſi in ſæculo celebrauerint (ſcilicet tempore apoſtaſiæ) non celebrent, niſi de licẽtia capituli generalis. Hactenus definitio. Quæ præterea etiã mãdat, vt Apoſtatæ redeuntes poſtquã plus quã decẽ dies in apoſtaſia perſtiterint, maneãt priuati habitu regulari per continuum trienniũ. At poſt annum completum, poterunt proprii eorum Abbates cum ipſis diſpenſare ſuper reſtitutione habitus regularis eo ordine & modo, quo ſupra dictum eſt de reſtitutione loci. Priuatio autem vel diminutio habitus regularis indicium eſt quod ipſi religionẽ & profeſſionem ſuam abiecerant & violauerant. Quod autem dicit regula: *Vbi ſupra.*

Iam poſtea ſciat ſibi omnem reuerſionis aditum denegari.
Non eſt præcepti quo prohibeatur Abbati ne quartò, aut fortè pluries fugitiuum aut Apoſtatam reſipiſcentem & emendationem pollicentẽ recipiat: ſed monitio & inſinuatio eſt facta fugitiuo, vt ſciat iuris & iuſtitiæ eſſe, ſi tertiò tantum recipiatur, nec putet ſibi fieri iniuriam, ſi quartò non recipiatur. Poteſt tamen Abbas hoc ſummum ius erga redeuntem mitigare, & eum clementer & miſericorditer ſæpius recipere. Atque adeò, quod redeuntes ſæpius, recipere debeat, videtur conuinci ex eo quod iubent Canones & definitio noſtra capite antecedente, vt fugitiui requirantur & capiantur. Si enim inuiti ad reditum ſunt cogendi, fortiore ratione, voluntarij, imò rogantes & ſupplices ſunt admittendi: Quòd expreſſè etiam mandat ordinis noſtri definitio, quæ ſic habet: Fugitiui quoque qui iuxta regulam vſque tertio recipiantur, ſi pluſquam ter apoſtatauerint, & pœnitentes redire voluerint, & ſatisfacere pro delicto, omninò recipiantur vel in domibus proprijs, vel in alijs locis eorum, ſi aliud Canonicum non obſiſtat: tamen ad victum & nõ ad habitum regularem, ſed ſicut Abbas viderit expedire. Quem quidem habitum, ſi recipere noluerint, carceri mancipentur. Eis autem in habitu ſibi conſtituto, vel tradito exiſtentibus, horâ vigiliarum venire tenentur ad Eccleſiam extra chorum, & conuentus ieiunia proſequantur. Conuerſi verò in familiarem habitum redacti, teneantur ad obſeruantias conuerſorum. Sic definitio. Ex quibus intelligitur verum eſſe, quod apoſtata tantum tertiò recipitur ſecundum regulam, ſic ſcilicet vt priſtino gradui, & religioni integrè

Vbi ſupra.

reſtitui

reſtitui poſſit. nam ſi quartò redeat & deinceps, iam non abſolutè recipitur, quia neque ad chorum, neque ad Religionis habitum admittitur; ſed tantum ſecundũ quid recipitur, ſcilicet ad habitationem, ad victum, ad pænalia religionis opera & exercitia.

De pueris minori ætati qualiter corripiantur.

CAP. XXX.

Omnis ætas, vel intellectus proprias debet habere menſuras. Ideoque quotiens pueri, vel adoleſcentiores ætate aut qui minus intelligere poſſunt quanta pæna ſit excommunicationis; Hi tales dum delinquunt, aut ieiunijs nimijs affligantur, aut acribus verberibus coerceantur, vt ſanentur.

ÆTas (inquit S. Baſilius) & eruditio multã facit differentiam. Ideo S. Benedictus valdè prudenter & diſcretè dicit quod omni ætati & intelligendi capacitati propria ſit diſciplinæ inſtitutionis & correptionis menſura adhibenda.

Notan-

Notandum eſt quod olim admodum pueri, & ætate parui, inſtructionis & diſciplinæ cauſa, in Monaſteria recipiebantur, vt colligitur ex regulę capitibus præſenti, 31. 39. 45. 59. & vbicumque aliquid conſtituitur de infantibus & pueris. Infātia enim teſte Iſidoro lib. 11. ethym. c. 2. finitur ſeptimo ætatis anno: pueritia autem 14. Etiam S. Benedictus c. 70. ſatis indicat pueritiam cum anno ætatis 14. & incepto anno 15. finiri, cum dicit. Infantibus vſque ad annum 15. (ſcilicet inceptū) diſciplinam adhibendam. Conſtat idem manifeſtè ex S. Baſilio: Prorſus, inquit, ad eos admittendos, qui ad nos accedunt nullum non ętatis tēpus idoneum eſſe iudicamus, vel ipſius adeo teneræ, atque ineuntis. Hæc tamen parua ætas arcebatur à congreſſu & conuentu profeſſorum religioſorum, & ſeparatim educabatur ob rationes à S. Baſilio ibi expreſſas. Exercebantur in moribus & diſciplinis monaſticis, & diligenter ad monaſticem informabantur, vt legitimâ accedente ætate, eam ſolemni profeſſione firmarent. Cauſa igitur huiuſmodi teneræ ætatis, quæ pro paruitate ſenſus, non capit quàm periculoſa, quàm grauis, quàm horribilis ſit excommunicatio, & quàm ſollicitè vitanda, iſtud capitulum & ſimiles leges, infantes & pueros attingentes poſuiſſe videtur S. Benedictus. Nunc verò, quoniam Concilium Trid. tempus admittendę profeſſionis præſcripſit & definiuit, expleto ſcilicet ætatis anno ſexto decimo, ideo communiter ante annum ætatis quintum decimum vix quiſquam ad monaſteriū & habitum Religioſum hodie admittitur. Videtur autem hęc ætas ſexdecim annorum vim excommunicationis ſatis poſſe intelligere: ac propterea

Infantia.

C. 15. Regul.

Seſſ. 25. de Reg. & monial. c. 15.

pterea ſi eo contumaciæ atque ſuperbiæ progreſſa fuerit quę excommunicationis vindictam mereatur, illa etiam ferienda. vel minus intelligentes grauitatem excommunicationis, debet eos, inquit de Turrecremata, quos ſuper c. 23. regulæ nominauit improbos, & decreuit corporali vindictæ ſubdendos, hic ſimiliter aut acribus verberibus, aut nimiis ieiūniis coercendos. Duo remedia ponit vt qui ieiuniis non curantur, verberibus ſanentur vel vice verſa, vel ſi neceſſe aut conueniens ad emendationem iudicauerit Abbas, vtrumque ſimul adhibeat.

De Cellerario Monaſterij, qualis ſit.

CAP. XXXI.

Cellerarius Monaſterij eligatur de congregatione ſapiens, maturis moribus, ſobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniurioſus, non tardus, non prodigus, ſed timens Deum.

Cellerarius eſt, cui commiſſa eſt cura & adminiſtratio rerum temporalium Monaſterii. Hunc vult ſanctus Benedictus non leuiter conſtitui, ſed cum ſeriâ deliberatione, & maturo iudicio ab Abbate eligi, cum conſilio tamen ſaltem Senio- *Qualiter Cellerarius inſtituendus*

Seniorum. Ad imitationem nimirum, & praxim Apoſtolorum, qui conuocantes multitudinem diſcipulorum, id eſt, Chriſtianorum dixerunt: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem plenos Spiritu Sancto, & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Nam talem omnino requirit ſanctus Benedictus Cellerarium, qui ſit ſapiens, maturis moribus, ſobrius & multis alijs virtutibus præditus. Tantam autem perfectionem in ipſo requirere videtur, propterea quod cum ſæcularibus, imo cū omnis generis & ordinis hominibus ipſi negotium intercedit; quia foras haud dubiè raro euocatur: vt nimirum domi foriſque boni ſit exempli, nulli offenſioni, ſed omnibus ædificationi; ne ſplendor & gloria vitæ monaſticæ, vitijs & malis eius moribus obſcuretur, ſed è contra virtutibus eius magis illuſtretur & commendetur.

Act. 6.

Qui omni congregationi ſit ſicut pater. Curam gerat de omnibus.

Quemadmodum paterfamilias omnium filiorum ſeu domeſticorum ſuorum curam æqualiter gerit, neminem negligit, omnibus bene cupit & bene facit: ita Cellerarius omnium, etiam minimorum fratrum neceſſitati omni debet diligenter proſpicere. Et ſicut pater filium non abijcit indignabundè, ſed fouet & curat benignè: Ita Cellerarius omnibus humanum & manſuetum ſe oſtendere & præbere debet. Ideo hortatur eum regula hic ſæpius ad humilitatem. Humilitas enim

Cellerarius eſt quaſi Monaſterij Pater.

enim omnem cauet auſteritatem, cuius nimirum mater ſuperbia eſt. Humilitas docet modeſtiam & manſuetudinem. Neque enim ſtudij ſpiritualis impeditio, quàm ex temporali occupatione accipit affligere aut contriſtare debet, neque enim animę ſuę iacturam eſſe putare debet impeditionẽ illam ſtudij ſpiritualis, quam ex temporalium occupatione nonnunquam percipit: quoniam detrimentum aut damnum fructus ſpiritualis non ex ea patitur, ſed augmentum potius capit. *Qui enim bene adminiſtrauerit, bonum gradum ſibi acquirit.* Gradum ſcilicet gratiæ, virtutis, ac meriti in præſenti tempore, & gloriæ in futuro. Quia quidquid bene agunt, bonum quod operantur alij, qui ipſius beneficio, ipſius opera & ſollicitudine Deo diuiniſque quietè, & ſine omnis ſollicitudinis temporalis interpellatione vacant, in ipſius cedit fructum & meritum dicente. S. Proſpero: Vno ſollicitudines omnium in ſua ſocietate viuentium ſuſtinente, omnes, qui ſub eo ſunt, fructuoſa vacatione potiuntur ſpiritualiter & quietè. Et ſub finem capitis: vt quidquid omnibus occupationibus abſoluti proficiant, fructus illius, qui vnus pro multis occupatus eſt, fiat. Atque ita, ille, qui ſollicitudines omnium ſub ſe ſeruientium portat, in congregatione ſua proficiẽte proficiat; vt ſicut illius occupatio omnium ſuorum facta eſt fructuoſa vacatio, ita omnium diſcipulorum perfectio glorioſa, magiſtri honor habeatur & gloria. Hæc ille. Et D. Bernardus eum conſolatur: Quotiens, inquit, pro vno ex minimis fratribus ſpirituale ſtudium interponit, totiens pro Chriſto ſpiritualiter ponit animam ſuam. Deinde ſine

Ser. 3. Aſſump.

de ſine iuſſione Abbatis ſui quidquam facere prohibetur.

Sine iuſſione Abbatis nihil faciat: quæ iubentur cuſtodiat: Fratres non contriſtet. Si quis autem frater ab eo fortè aliquid irrationabiliter poſtulat, non ſpernendo eum contriſtet, ſed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget.

Cum enim Religioſus per votum paupertatis ſeipſum exuit & priuauit omni rerum dominio, & libera earum diſpoſitione; omnis autem adminiſtratio Monaſterij & bonorum eius abſolutè ſit in poteſtate & prouidentia Abbatis: ideo nec Cellerarius poteſt res illas, quas adminiſtrandas accepit, diſtribuere pro ſuo arbitratu, ſed ſolum ex præcepto & mente Abbatis, ita vt non det cum perſonarum acceptione, vel inæqualiter, quæ Abbas vult æqualiter dari; vt non det alia vel alteri, nec plura vel pauciora, nec meliora vel deteriora, quam ſcit Abbatem velle: qua parte enim recedit à mente Abbatis, incurrit in vitium proprietatis, nam ita diſpenſat ac ſi eſſet Dominus, & ab alterius arbittrio non penderet.

Cellerarij induſtria.

Animam ſuam cuſtodiat: memor ſemper illius Apoſtolici præcepti: quia qui bene

1.Tim.3.

ne miniſtrauerit, gradum bonum, ſibi acquirit. Infirmorum, infantum, hoſpitum, pauperumque cum omni ſollicitudine curam gerat, ſciens ſine dubio, quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus eſt. Matt.15.

Animam ſuam probè cuſtodit, ſi non ita penitus ſe intricet, & immergat curis temporalibus, quin loco & tempore etiam vacet ſpiritualibus, & ſic tranſeat per bona temporalia, vt non amittat æterna. Si bona ſibi commiſſa diligenter curat, ſi fideliter ex mente Abbatis ſui ea tempore & loco erogat & diſpenſat ad vſum fratrum, hoſpitum, & pauperum.

Omnia vaſa Monaſterij cunctamque ſubſtantiam ac ſi altaris vaſa ſacrata conſpiciat: nihil ducat negligendum: neque auaritiæ ſtudeat: neque prodigus ſit, aut ſtirpator ſubſtantię Monaſterij: ſed omnia menſuratè faciat, & ſecundum iuſſionem Abbatis. Humilitatem ante omnia habeat, & cui ſubſtantia non eſt quę tribuatur, ſermo reſponſionis porrigatur bonus: vt ſcriptum eſt: Sermo bonus

ſuper

opus explendum Domino tradita. Si quis autem quod abſit, ſecus egerit, videat ne damnationem Ananiæ, & Saphyræ percipiat, vt reus ſacrilegij efficiatur, ſicut illi fuerunt, qui pretia prædictarum rerum fraudabant, &c. Bona igitur monaſterij quacunque arte ſeu ratione acquiſita, res ſacræ ſunt, patrimonium Chriſti ſunt, ſolis Eccleſiæ miniſtris, & pauperibus Chriſti relicta. Ac propterea auertere illa ab vſu ſacro ad profanum, dando, dilapidando, aut aliter abutendo, illicitum eſt, impium eſt, ſacrilegium eſt.

Fratribus conſtitutam annonam ſine aliquo typo vel mora offerat, vt non ſcandalizentur, memor diuini eloquij, quid mereatur, qui ſcandalizauerit vnum de pupillis. Si congregatio maior fuerit, ſolatia ei dentur, à quibus adiutus, & ipſe æquò animo impleat officium ſibi commiſſum. Matt. 8.

Sine Typo, hoc eſt, animo non turbato, ſed tranquillo, vultu non toruo, ſed ſereno & placidò. Typus enim Grecè, Latinè figura ſeu forma. In Typo (inquit Rabanus Maurus) res declaratur ex rebus, & exterius id quod intus eſt in animo monſtratur. Sine Typo igitur non dat, qui cum dat aut toruo vultu, aut duro ſermone, aut turbulentis moribus oſtendit foris, animi ſui Quid typus.

 ægritu-

ægritudinem intus latentem, quod fit ad ſcandalum puſillorum.

Horis competentibus dentur quæ danda ſunt, & petantur quæ petenda ſunt; vt nemo perturbetur, neque contriſtetur in domo Dei.

Quæ horæ incompetentes.

Horæ incompetentes ſunt nocturnæ, horæ ſilentij, horæ diuini officij vel lectionis ſacræ. His igitur horis neceſſaria non debet petere indigens, nec dare debet Cellerarius: ne alter alteri᷒ importunitate offendatur. Audiat autem Cellerarius & omnes quibus aliqua diſpenſatio credita eſt in monaſterio D. Baſilium ſic monenté. Qui intus, inquit, res ad fratrũ vſumq; neceſſarias diſtribuũt, diligenter illud circumſpiciant, vt faciles ſe ad omnes, & clementes præbeant, neque ſuſpicionem alicui aliquam commoueant maioris alicuius erga aliquos beneuolentiæ, inclinationíſue animi propenſioris; quemadmodum Apoſtolus præcipit dicens: *Nihil faciens in alteram partem declinando*; Aut contra ſimultatis, contentioniſque; vt ob eam cauſam, & ijs, quibus infenſiores ſint, neceſſarias res ſubtrahant, & illis in quos animi inclinatione propendeant, ampliùs quàm quantum ſit opus, largiantur. Quorum alterum fraterni eſt odij, alterum amoris vitioſi, quod eſt vitium maximè infame. Quibus ex rebus illud nobis vſu venit, vt mutua & concors conſpiratio, quæ ex charitate naſci conſueuit, ea diſtrahatur, & in eius locum ſuſpiciones prauę, emulationeſque atque obtrectatio-

In Reg. F. diſp. Interrog. 34.

1. Timoth. 5.

cationes clam arrepunt; & ad labores in operibus adminiſtrandis ſubeundos denteſcentis animi cunctatio. Quam ob rem cum ob ea, quæ dicta ſunt; tum ob alia etiam eiuſemodi multa, quę illa comitantur, ab hac praua animi propenſione ac fauore, ſtudioque contentionis, neceſſe ſit, ſe vt liberrimos, atque expurgatos reddant, qui res intus ad fratrum vſus neceſſarias diſtribuunt. Hęc ille.

De ferramentis Monaſterij.

CAPVT XXXII.

Subſtantia monaſterij in ferramentis, vel veſtibus, ſeu quibuſlibet rebus, prouideat Abbas fratres, de quorum vita, & moribus ſecurus ſit, & eis ſingula, vt vtile iudicauerit, conſignet cuſtodienda, atque recolligenda. Ex quibus Abbas breuem teneat, vt dum ſibi in ipſa aſſignata fratres viciſſim ſuccedunt, ſciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem ſordidè, aut negligenter res mo-

 naſte-

naſterij tractauerit, corripiatur: ſi non emendauerit, diſciplinæ regulari ſubiaceat.

POSTQVAM S. Benedictus inſtruxit Cellelariũ monaſterij, qui eſt ſupremus omnium,& quaſi generalis officialis: iam inferiores, & particulares, quales ſint demonſtrat. vt ſint hoſpitum miniſtri, item infirmorum, culinarij, & variarum artium magiſtri, quorum vſui, & cuſtodiæ traduntur mobilia,& ſupellectilia monaſterij ferrea, & ænea, lintea & lanea, lignea, libraria & ſingularum artium inſtrumenta. Quæ ne negligentiâ corrumpantur aut pereant, vult ſanctus Benedictus, vt talibus committantur, qui fideliter ea cuſtodiant. Et ſummus Pontifex: Tales, inquit, ad officia agenda monaſterij deputentur, qui fideles fuerint, & diſcreti. Et ad certiorem horum omnium cuſtodiam, vult Abbatem tenere pænes ſe breuem, id eſt, indicem, (qua voce in eadem ſignificatione etiam vſus eſt D.Gregorius, lib. 2. Regiſt. cap.80.) vt ea ſubinde recenſeat, & obſeruet, an omnia ſint ſalua; & vt vtentibus, atque miniſtris ad numerum tradantur, & repetantur. Quemadmodum præcipitur infra cap. 35. Si quis autem vel in vtendo, vel in ſeruando, ita negligenter ea tractauerit, & habuerit, vt neglectu eius, quid corrumpatur aut pereat, is meritò corripi, & puniri debet, modo & ordine, capit. 28. explicato. Neque enim negligentia talis leuis eſt, aut parui pendenda, præſertim cum res neglecta tanti ſit ponderis,

C Cum ad monaſt. de ſtatu monach.

Quid breuis.

ponderis, vt ſacratis altaris vaſis dignitate comparetur cap. 31.

Si debeant monachi proprium aliquid habere.

CAPVT XXXIII.

Præcipuè hoc vitium radicitùs amputetur Dei monaſterio, ne quis præſumat aliquid dare, aut accipere, ſine iuſſione Abbatis; neque aliquid habere proprium: nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, ſed nihil omnino: quippe quibus nec corpora ſua, neç voluntates licet habere in propria poteſtate. Omnia vero neceſſaria à patre monaſterij ſperare; nec quicquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiſerit. Omniaque omnibus ſint communia, vt ſcriptum eſt; Nec quiſquam ſuum eſſe aliquid dicat, vel præſumat. Act. 4.
Quod ſi quiſquam huic nequiſſimo vitio

 depre-

deprehenſus fuerit delectari, admoneatur ſemel, & iterum. Si non emendauerit, correptioni ſubiaceat.

CERTVM eſt proprietatem, & dominium cuiuſcumque rei interdictum, & illicitum eſſe omni religioſo: quia non conſiſtit cum voluntaria paupertate, quam Deo vouit: propterea ſummus pontifex: Prohibemus, inquit, diſtricte in virtute obedientiæ, ſub obteſtatione diuini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo poſſideat, &c. Et iterum ibidem: Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo monacho diſpenſare: quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam nec ſummus pontifex, poſſit licentiam indulgere. Huic conſtitutioni conſentit Concil. Trid. ſſ. 25. de regularibus c. 2. & S. Benedictus: *Præcipuè inquit hoc vitium, radicitus amputandũ eſt de monaſterio, ne quis, &c.* Quaſi dicat quoniam poſſeſſio proprietatis multum obſiſtit perfectioni, quam vita monaſtica ſibi propoſitam habet tamquam ſcopum, ideo religioſus eam vitare debet, non tantum extrinſecus, nihil proprium habendo: ſed radicitus vitium iſtud amputet, hoc eſt, amorem, & cupiditatem habendi, quę eſt radix proprietatis, abijciat. Ad imitationem eorum, qui dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia*, id eſt, reliquimus cupiditatem, & deſiderium habendi. Pauca dimittebant Apoſtoli reipſa, quia pauperes, pauca habebant, veraciter tamen dicunt: *Reliquimus omnia*: quia habendi cupiditas

Capitulo. Cum ad monaſt. de ſtatu monach.

Amor cupiditatis radix proprietatis.

cupiditas, quam relinquebant, ad infinita ſe extendere poteſt. Qui igitur voluntatem habendi deſerit, tantum deſerit, quantum deſiderare poteſt: vt pulchre docet S. Auguſt. ſerm. 3. in Pſal. 103. & Gregorius hom. 5. in Euangelia. Oſtendit deinde, quod proprietas in eo conſiſtit, quod religioſus ſine iuſſione ſeu licentia Abbatis ſui dat cuiuis pro libitu ſuo, & accipit, atque de rebus quibuſuis tamquam de ſuis liberè diſponit. Oſtendit 3, quoque quàm paruis exilibuſque in rebus proprietatis vitium deliteſcere poſſit, dum dicit, *Nec codicem, nec graphium*, Monacho debere eſſe proprium. Quid diſtat (inquit Bernardus) quæcumque ſubſtantia deſideretur, dum æqualiter ſit corruptus affectus, niſi quod tolerabilius illud videri poteſt, quæ pluris eſſe videntur, plurimùm deſiderare? Vide ſimilia in meditationibus D. Bernardi capit. 11. Vide quoque exempla, quibus redarguitur proprietas in rebus tenuiſſimis. libr. de initio Ciſtercienſis ordinis diſt. 5. capit. 2. Porro oſtendit, quod pronomina illa poſſeſſiua, *Meum* & *Tuum*, ſigna ſunt proprietatis, ac propterea longè abeſſe debere ab ore monachi. A monaſterijs (inquit Chryſoſt.) id quod omnia peruertit, & perturbat, *Meum* & *Tuum*, pænitus eliminandum eſt.

In quo ſecundò conſiſtit proprietas.

Serm. de tribus ordinibus Eccleſiæ.

Lib. 3. aduerſus vitup. vitæ monaſt.

Poſtremò oſtendit quomodo religioſus proprietarius caſtigari debet iuxta caput 28. Regulæ, donec emendauerit. Debent igitur Religioſi de voto paupertatis, damnata omni proprietate, omnia communiter poſſidere, & ex communi monaſterij theſauro viuere. Cuius theſauri primarius adminiſtrator, & diſpenſator eſt Abbas, à quo mediatè, vel immediatè religioſo ſperanda, petēda

& accipienda ſunt omnia, *Quippe cum nihil licet habere, quod Abbas non dederit aut permiſerit.* Sed vt de paupertate monaſtica agatur: Notandum eſt, inueniri in ſacra ſcriptura triplex genus paupertatis. Primum per ſeipſum vitioſum, & deteſtandum: eſt enim indigentia bonorum ſpiritualium, & neceſſariorum ad ſalutem. Iſtius paupertatis malè laborat is, qui deſtitutus eſt charitate, iuſtitia, ſapientia, timore Dei, alijſque virtutibus, & bonis ſpiritualibus ad ſalutem neceſſarijs. Eiuſmodi fuit paupertas filij prodigi, qui poſtquam omnem ſubſtantiam ſuam diſſipaſſet, cœpit egere, id eſt, cæpit agnoſcere ſuam egeſtatem. Et eius, qui dicebat: *Ego vir videns paupertatem.* Et Eccleſiæ Laodiciæ, cui Angelus: *Quia dicis* (inquit) *quia diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis & pauper, & cæcus, & nudus?* Tales ſunt maximè paupetes, quia ſuperbi: quia ſuperbia omnia bona ſpiritualia conſumit, & inutilia reddit. Secundum genus paupertatis eſt per ſe laudabile, & amplectendum. Eſt enim voluntaria derelictio propriarum facultatum, & bonorũ huius mundi ex amore Dei. Dicitur, ex amore Dei, quia voluntaria derelictio fieri poteſt etiam ſine amore Dei: vt patuit in Socrate, quem dicit S. Hier. diuitias contempſiſſe. Sic Diogenes. Conculco, inquit, faſtum Platonis: ſed alio, inquit Plato, faſtu. Omnia enim in iſtis ſpecimen virtutis habebant, rem iſtam non habebant: quia omnia ſuperbiæ ſeruiebant, & vnum vitium vitantes, in aliud incurrebant. De quibus ſic S. Bernardus. Non omnis voluntaria paupertas laudẽ habet apud Deum: nã & philoſophi omnia ſua reliquiſſe legũtur, vt expediti mũdialibus curis, ſtudio vanitatis poſſent vacare liberius: & nole-

Triplex genus paupertatis.

Luca 15.

Tren. 3.

Apocal. 3.

Serm. in feſto omnium ſanctorum.

& nolebant ſenſu abundare terreno, vt abundarent magis in ſenſu ſuo. Hos diſcernit quod dictum eſt, ſpiritu, id eſt ſpirituali voluntate. *Beati vero pauperes ſpiritu*, ſpirituali ſcilicet intentione, deſiderio ſpirituali, propter ſolum beneplacitum Dei, & animarum ſalutem: *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Ideo & Chriſtus à diſcipulis ſuis non tantum requirit, vt facultates ſuas deſerant, ſed etiam vt ipſum ſequantur. *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus & veni ſequere me*. Et, *Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me*, &c. Ideo & Petrus. *Ecce*, inquit, *nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te*. Vbi Hieronymus, Iungit, inquit, quod perfectum eſt; ſcilicet fecimus quod iuſſiſti. Qui igitur ſpirituali mente ac intentione omnia relinquunt, de ijs dicit Chriſtus. *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*. Tertium genus paupertatis eſt communis illa, & mundo huic notiſſima indigentia rerum neceſſariarum ad huius vitæ ſuſtentationem. Iſtud genus non eſt laudabile per ſe, quia commune eſt etiam peſſimis hominibus: nec vituperabile, quia commune eſt & bonis: ſed eſt miſera quædam conditio huius vitæ omnibus filijs huius ſæculi communis. Et quamuis hæc paupertas non ſit per ſe mala, eſt tamen magna tentatio humanæ infirmitatis. Quapropter orabat Sapiens dicens: *Mendicitatem ne dederis mihi, ne fortè neceſſitate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei*. Ex his tribus paupertatis generibus ſolum medium pertinet ad præſens noſtrum inſtitutum. Hæc eſt enim paupertas, quæ ſub votum cadit: quia vouenti & votum ſeruanti, magnum præſtat ad virtutem ſubſidium, quia reddit ani-

Matth. 19.

Matt. 5.

Prou. 30.

animum expeditiorem ab implicamentis ſæculi huius. nam liberat hominem à ſollicitudine, & amore rerum terrenarum, & à ſuperbia, quæ ex eiſdem oritur,& naſcitur, ſicut è panno tinea. Eſt igitur voluntaria paupertas temporis illa redemp-
Epheſ. 5. tio,de qua Apoſtolus: *Redimentes tempus quoniam dies mali ſunt.* Tempus enim quod per ſæculi curas nobis rapitur, redimimus, dum has curas abijcientes, quietem, & ſpiritus tranquillitatem comparamus, vt Deo expeditè ſeruiamus. Tempus redimitur, dum non vanitati, ſed ſaluti ſeruit. Animo autem libero à curis ſæcularibus, & ſpiritus tranquillitate reddita, melius & facilius vacatur contemplandis æternis, quibus ſolis beati efficimur. Hinc monet nos Apoſtolus. *Volo*, inquit,
1.Cor. 7. *Vos ſine ſollicitudine eſſe*, Vt ſcilicet ſolliciti ſimus, quomodo placeamus Deo; vt cogitemus, quæ Domini ſunt; vt ſimus ſancti corpore & ſpiritu. Nam ſæculi ſollicitudo impedit ſtudium placendi Deo. Vnde & pſalmiſta commonet: *Vacate & videte*, quia nimirum in quiete animi videtur, & guſtatur ſuauitas Domini. Secundò, quia contemptis rebus viſibilibus, facilius eſt inhærere in-
1.Tim. 6. uiſibilibus. *Nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua quæ mergunt hominẽ in interitũ, & perditionẽ. Radix enim omniũ malorũ eſt cupiditas, quam quidã appetentes errauerunt à fide, & inſeruerũt ſe doloribus multis.* Vides (inquit D. Maximus), qui
Hom. 2. de auaritia. pecuniam appetit, fidem perdit; qui aurum redigit, gratiam prodigit. Auaritia enim cæcitas eſt, errorem religionis inducit. Cæca, inquam, eſt auaritia, ſed diuerſis fraudum oculata ingenijs; nõ videt, quæ diuinitatis ſunt, ſed cogitat, quæ cupidi-

pididitatis ſunt. Cum ergo periculoſum ſit, ob curas ſæculi ſtudere diuitijs comparandis, valde conducat, neceſſe eſt, ad ſecuritatem diuitiarum contemptus. Nam contrariorum contrariæ ſunt conſequentiæ. Ex quo tertia ratio ſequitur, vt, ſcilicet, facilior ſit victoria, contemptis & relictis huius mundi bonis; nam quantò ſe quis magis exuit à ſarcinis huius ſæculi, tantò minus à diabolo teneri poteſt. Hinc olim luctatores mundi nudi luctari ſolebant, ne facilè teneri poſſent. *Similitudo.* Ad quorum imitationem luctaturi cum diabolo expedire nos debemus omni affectu, & amore temporalium, ne his implicatos nullo negotio nos deijciat & proſternat, quin potius nos ipſi hoſtem nuditate noſtra terreamus. Inſigne enim paupertatis (inquit Bernardus) aduerſarij valde formidant. *Hom. 4. ſuper miſſus.* Quarta ratio eſt, quia cum omnibus Chriſtianis præceptum ſit, renuntiare, omnibus, (ſcilicet affectu ſaltē) quæ poſſident dicente Domino: *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; *Luca 14.* Multò hoc perfectius præſtatur ab his, qui etiam actu his renuntiant. Eſt enim facilius amare ea, quibus cares, quam ea quæ poſſides. Ideo D. Proſper commendans voluntariam paupertatem, *Lib. 2. vita contemp. c. 13.* pulchrè illud Apoſtoli eò retulit: *Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus.* Ijs, inquit, qui militant Deo, fugiendæ ſunt ex toto corde diuitiæ, quas qui habere volunt, ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inueniunt, ſine cura non ſeruant, ſine anxiâ delectatione non poſſident, ſine dolore non perdūt. *Ad quid tenetur religioſus vi voti paupertatis.* Cum igitur omnis religioſus paupertatis votum faciat, ſciendum illi eſt, ad quid vi voti huius

teneatur. Primò, nimirum vt nihil velit habere, poſſidere, vel vti tanquam proprium, id eſt, affectu retinendi iure ſuo, ſeu independenter à voluntate ſuperioris. Secundò, vt ſit paratus exui poſſeſſione & vſu omni momento, quo ſuperior iuſſerit, quia non poteſt hæc retinere, niſi cum dependentia à voluntate ſuperioris, alioquin eſſet proprietarius, vt conſtat ex Cap. Cum ad monaſterium de ſtatu monachorum. Tertiò, non poteſt aliquid dare vel alienare, niſi cum facultate ſuperioris, & ſi contra fecerit, eſt irritum & reſtitutio monaſterio facienda. Quartò, ſi eſt diſpenſator aliquarum rerum, non poteſt eas diſtribuere ſuo arbitratu; ſed ſolum ex præcepto & mente ſuperioris, vt dictum eſt ſupra c.31. Quintò, non poteſt mutuo vel commodato quicquam ex ijs, quæ ad vſum ipſi permiſſa ſunt, dare alteri abſque ſuperioris facultate. Ratio eſt, quia eſt ſolum vſuarius, habens nudum vſum facti, idque precario, id eſt, quamdiu ſuperiori videbitur. Vſuarius autem non poteſt alteri vſum rei concedere. In rebus tamen paruis & crebrò occurrẽtibus cenſetur eſſe facultas tacita vel generalis, ſaltem ad breue tempus. Sextò, non poteſt ab externis vel domeſticis quicquam accipere abſque ſuperioris conſenſu: ſicut enim non poteſt quicquam retinere ſine illius conſenſu, ita nec acquirere. Septimò, non poteſt ex rebus, quæ domi ſunt, ſine illius conſenſu ſibi aliquid vſurpare, ſiue ſint eſculenta, ſiue poculenta, ſiue libri, ſiue alia vtenſilia: cum enim nihil iſtorum ipſius ſit, ſed cõmunitatis, cuius loco ſuperior habet adminiſtrationem omnium, non poteſt inuito ſuperiore quicquam ſibi vſurpare: alioquin furtum committit, vſurpans rem alienam inuito Domino, vel admi-

niſtra-

niſtratore, qui eſt loco Domini, & conſequenter peccat contra votum paupertatis. Omne enim furtum in religioſo eſt contra votum: deinde vſurpat rem tamquam proprietarius, quia abſque dependentia à ſuperiore. Octauo, non poteſt quidquam abſcondere, vt illud ſuperioris liberæ diſpoſitioni ſubducat. Nono, non poteſt expendere in res illicitas aut vanas, & ſi ſuperior id ei permitteret. Ratio eſt, quia iura & Canones non concedunt adminiſtrationem regularibus, niſi ad res neceſſarias, vtiles, aut honeſtas: prohibent autem ad vanas & illicitas; atqui non habent maiorem facultatem, quam iura eis concedant, nec ſuperior poteſt aliquid contra iura concedere. Imo religioſus factus Abbas vel epiſcopus, etſi poſſit expendere in vſus proprios neceſſarios & decentes, & ad pias cauſas; non tamen poteſt expendere in res vanas, aut ditare ſuos amicos; etſi fecerit & ipſe, & accipiens tenentur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia omnium iſtorum bonorum non eſt Dominus, ſed ſolum adminiſtrator & diſpenſator, habens tantummodo ius ad expendenda illa bona iuxta præſcriptum Canonum & religionis, & intentionem eorum, qui ea & Religioni & eccleſiæ reliquerũt. Decimo, tenetur præſtare diligentiam in conſeruandis rebus ſibi permiſſis, ne negligentiâ ipſius pereant, vel deteriores fiant, alioquin peccat contra iuſtitiam, & conſequenter contra obligationem voti. Vndecimo, tenetur cauere ne habeat ſuperflua, ſaltem notabili quantitate, quæ religioſam mediocritatem ſuperent, quia nec ſuperior id ei concedere poteſt, cum

Furtum, contra paupertatis votum.

Negligentia in rebus monaſterij conſeruandis voto paupertatis contraria.

ſit per canones prohibitum, ſic de pretioſis veſtibus. Si tamen paratus eſt omnia ad nutum ſuperioris relinquere,non eſt dicendus proprietarius. Conſiderandum tamen eſt in quibus rebus,vel quouſque cenſeatur in ſingulis monaſterijs conceſſa facultas generalis; hæc enim ſufficit, vt non peccetur contra votum, dando vel accipiendo, retinendo vel vtendo. Vix tamen conceditur hæc facultas paſſim omnibus, niſi in rebus minoris momenti, & crebrò occurrentibus. Deinde excuſatur interdum inferior per licentiam præſumptam, vt ſi res vrgeat, nec ſuperior præſto ſit; tunc enim poteſt agere perinde, ac ſi veniam expreſſam haberet: nam adeſt conſenſus præſumptus. Non enim mens eſt Superioris, vt eo caſu non agat, quod ratio dictat, aut vt conſenſum expreſſum requirat. Non tamen adeſt conſenſus præſumptus, quando res facile differri poteſt, vel ſuperior adiri. Notandi poſtremo ſunt ex Henrico Harpheo tres gradus voluntariæ paupertatis.

Lib. 1. Theologia myſtica c. 1.

Tres gradus monaſtica paupertatis.

Primus eſt paupertas profeſſionis: quæ eſt nihil proprij poſſidere, & eſt valde imperfecta, quia quando tantum externam rerum poſſeſſionem aufert, non internum affectum purgat; animum ab earumdem cupiditate auertendo. Nam multi id quod non habent, eo auidiùs affectant, vt pote ſuperfluitatem cibi ac potus, curioſitatem veſtium, & his ſimilia. Affectus enim paupertatis eſt principale voti, & virtutis. Non paupertas (inquit Bernardus) virtus reputatur, ſed paupertatis amor. propterea qui profeſſione tantùm pauperes ſunt, illi non ſunt

Epiſt. 100.

paupere

pauperes ſpiritu, hoc eſt, voluntate coram Deo; ſed tantum coram hominibus. Conſequenter quocumque vtuntur, etiam ad neceſſitatem naturæ, in veſtibus, in peplis, & huiuſmodi, ſi id poſſideant cum affectu cordis, ita quod ſi hoc ab eis per ſuperiores auferretur, offederētur, imò & murmurarent, hoc coram Deo cum proprietate poſſidēt, oportebitque eos de illo magnam rationem reddere.

Secundus gradus eſt, paupertas vſus rerum temporalium, & eſt eorum, qui nihil deſiderant niſi quod eſt eis de iuſta neceſſitate, dolentque de ſuperfluis, curioſis, & pretioſis. Iſti in hoc laudantur, quod ex ſuis affectibus eiecerunt omnia, quæ ipſis de iuſta neceſſitate non ſunt: ſed in illo defectuoſi ſunt, quod nimis magnum affectum habent ad res, quæ ſibi neceſſariæ ſunt. Videmus (inquit D. Bernardus) pauperes aliquos, qui ſi veram haberent paupertatem, non adeo puſillanimes inuenirentur, & triſtes, vtpote reges, & reges cæli: ſed hi ſunt, qui pauperes eſſe volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis deſit, & ſic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur. Quantæcumque igitur neceſſitatis res nobis ad vſum conceſſa eſſe videatur, pænitus tamen interdictum eſt, affectionem ad illam habere, vel in ea cum affectu requieſcere. Ea propter tertius, & ſupremus gradus aſſignatur, qui eſt paupertas affectionis, quâ fidelis Dei ſeruus in tantum trahitur ad affectum paupertatis, vt nulla res ſit in creaturis, vel in rebus temporalibus, ad quam cor & affectus inclinentur: quin etiam ipſa naturæ neceſſaria cum tædio, & nauſea ſuſcipit in

Serm. 4. in aduentu.

pit in

pit in ſubſidium, & vſum mortalis naturæ, vt eo melius libero ac nudo affectu ſubuolare valeat intra nuda brachia Crucifixi amati Ieſu Chriſti. Omnes ergo qui taliter temporalia poſſident, & tam liberi ſunt in affectu, ac ſi ea non poſſiderent, imo ſi honor Dei ex eo promoueretur, etiam neceſſarijs carere vellent, illi verè & perfectè pauperes ſunt ſpiritu. Perfectus (inquit D. Bernardus) carere & neceſſarijs paratus eſt. Affectionis igitur paupertas finis eſt, cuius acquirendi gratia, proprietatem religioſus abdicat, paupertatem vouet. Cupiditas (inquit Bernardus) fugiendarum cauſa diuitiarum præcipua eſt: quod aut vix aut nunquam ſine amore valeant poſſideri. Quapropter (inquit Hēricus Herpeius) qui omnia bona ſua perfectè reſignare valet quieto corde in beneplacitum Dei, ſiue ea ab eo auferat, ſiue conſeruet, nec illis vti vult, niſi ad ſuam neceſſitatem, & maiorem honorem Dei, atque beneplacitum eius, ſecundum omnem ſuum intellectum, ac conſideratis, ſtatu ſuo, conditione, natura, alijſque punctis in hoc conſiderandis, ſi ſciret Deo magis placere, vt omnia ſua venderet daretque pauperibus, ad hoc paratus eſſet; ille habet perfectè voluntariam paupertatem. De quali D. Proſper. Iuſtus, inquit, deſiderio cœleſtium captus, omnia temporalia ſiue habeat ſiue amittat, omnino non ſentit: & iniquus, quod cum delectatione habet, ſine dolore non perdit. Ex quibus colligitur, quod illi, qui omnem acquirendi & habendi cupiditatem, & amorem rerum temporalium iam abiecit, opus non eſt ad vitæ perfectionē rerū abdicatione, nec voto paupertatis. Neque

In præfatione vitæ S. Malachiæ.

In declamationibus in illud. Ecce nos, &c.

Vbi ſupra.

Quis verus pauper voluntariè.

Lib. 1 de vita contem. c. 13.

enim

enim diuiti abſunt opes (inquit D. Hieron.) ſi eis bene vtatur. Hoc ibidem multorum ſanctorum exemplis probat, etiam ipſius Abrahæ, qui in ſummis, inquit diuitijs, amicus Dei fuit. Vnde egregiè S. Auguſt. de S. Iob: Amiſit, inquit, ille omnes diuitias, & factus repentè pauperrimus, tam inconcuſſum animum tenuit, & infixum Deo, vt ſatis demonſtraret non illas ſibi fuiſſe magnas, ſed ſe illis, ſibi autem Deum. Quo animo ſi eſſe poſſent noſtri temporis homines, non magnopere in nouo teſtamento ab iſtorum poſſeſſione prohiberemur, vt perfecti eſſe poſſemus. Hæc de tribus gradibus monaſticæ paupertatis. Ad quos notandum eſt, Religioſum non ſtatim reum & violatorem eſſe voti ſui, ſi non attingat & teneat ſupremum paupertatis gradum. Saluari enim poteſt votum etiam in primo & ſecundo gradibus, ſi tamen Religioſus nihil deſiderat, nec accipere, nec habere cupiat, niſi cum ſcitu, & permiſſu ſui Superioris. Deinde plura & meliora habere poteſt cum licentia Superioris, quàm pręcisè & extremè ſibi neceſſe eſt, dummodo ita animo affectus ſit, vt ad voluntatem & iuſſionem eiuſdem Superioris velit ea dimittere vel mutare. At in eum finem hos tres gradus poſuimus, vt pius & bonus Religioſus perpetuò & conſtanter annitatur ad ſupremum, nec illi ſufficiat primus gradus, nec ſecundus, non quieſcat donec tertiũ teneat, hoc eſt, donec terrena, quæ voto & oris profeſſione renuntiauit, animo quoque & affectu plenè repudiet & contemnat. Ad quem voti ſui finem, & paupertatis culmen cùm peruenerit, tum demum verè rex erit, imò terrenis regibus præſtantior, & excellior, vt egregiè probat D. Chryſoſt.

Ad Sabinã de ſeruanda viduitate, Epiſt. Vereor ne officium.

Lib. de moribus Eccleſia. cap. 23.

Chryſoſt. tredecim rationibus tom. 5. de comparatione regis & Monachi. Deo enim ſeruire, regnare eſt. In cuius regni ſignum, raſis capillis, palam in capite Monachus coronam gerit. Et D. Bernardus Dominos dicit voluntariè pauperes, nihil habentes, inquit, ſed omnia poſſidentes, non mendicãtes, vt miſeri, ſed vt Domini poſſidentes, eò pro certo magis Domini, quo minus cupidi. Quàm ſanè voluntariæ paupertatis fælicitatem non ſolùm Chriſtiani agnouerunt, ſed etiam Ethnici multis præconijs extulerunt, & vitæ exẽplis comprobarunt. Vnde egregium eſt dictum Corneliæ Graccorum matris: Omnia, inquit, habet, qui nihil concupiſcit: eò quidem certius quàm qui cuncta poſſidet: quia dominium rerum collabi ſolet, bonæ mentis vſurpatio nullum triſtioris fortunæ recipit incurſum.

Valerius Maximus lib. 4. cap. 4.

Si æqualiter debeant omnes neceſſaria recipere.

CAP. XXXIV.

Act. 4.

Sicut ſcriptum eſt: Diuidebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Vbi non dicimus, vt perſonarum (quod abſit) acceptio ſit,

ſit; ſed infirmitatum conſideratio. Vbi qui minus indiget agat Deo gratias, & non contriſtetur. Qui verò plus indiget humilietur pro infirmitate, non extollatur pro miſericordia; & ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque cauſa in aliquo qualicunque verbo, vel ſignificatione appareat. Quod ſi deprehenſus fuerit quis, diſtrictiori diſciplinæ ſubdatur.

CErtè & infallibiliter prouidentia diuina aliunde ſiue humanitus, ſiue diuinitus proſpicit neceſſitati eorum, qui cauſa Dei proprias facultates & mundi opes reliquerunt. Hinc quãuis legamus multos ſanctorum varijs tormentis interemptos, nullos tamen aut raros fame vel inedia conſumptos. Nam quibus humana & ordinata vitæ ſubſidia deficiunt, illos extraordinaria Dei benignitas miſericorditer reficit. Cuius rei exemplis ſacræ ſcripturæ tum noui, tum veteris teſtamenti, atque in primis hiſtoriæ ſanctorum plenæ ſunt. Si enim homo fidelis eſt, vt famulum ſuum penuriâ interire non ſinat, ne dum Deus: Religioſis igitur, qui amore Chriſti omni rerum proprietate ſeſe ſpoliauerunt, quomodo de communi proſpiciatur D. Benedictus hic præſcribit; nimirum vt iuxta primitiuę Eccleſię modum ſingulis diuidatur, prout cuique opus eſt, & ſine

 perſo-

perſonarum acceptione, hoc eſt, vt attendatur ad cauſam, cur datur: non ad conditionem perſonę, cui datur. Fit enim diſtributio rerum neceſſariarum ex communi in congregatione religioſa cum perſonarum acceptione, quando in diſtribuendo attenditur, non cauſa tribuendi (quæ hîc eſt neceſsitas ſeu indigentia) ſed perſonæ conditio, v.g. cognatio, familiaritas,&c. quæ hîc conſiderari non debet. Eſt autem perſonarum acceptio ex ſuo genere peccatum mortiferum, quia fit cum iniuria proximi, ratione tamen exiguitatis materiæ, poteſt eſſe veniale. Res igitur neceſſariæ diſtribuendæ ſunt inter Religioſos, primùm (ſi omnibus ſimul ſatisfieri non poteſt) magis indigenti,& poſtea minus indigenti; Deinde plus dandum eſt magis indigenti; minus autē indigenti, minus: non autem omnibus æqualiter, quia non omnes æque indigent. Vnde S. Auguſt. ſic mandat: Et diſtribuatur, inquit, vnicuique veſtrûm à Præpoſito veſtro victus & tegumentum, non æqualiter omnibus; quia non æqualiter valetis omnes, ſed potiùs vnicuique, ſicut cuique opus fuerit. Debetur enim ſingulis ſua neceſſitas,nulli ſuperfluitas. Vnde Concilij Tridentini Patres: In regularium, inquiunt, ſuppellectili nihil ſuperflui ſit, nihil etiam quod ſit neceſſarium eis denegetur. Superfluitas deneganda eſt, quia auaritię oſtium aperit. Ideo Paula ſanctimonialium in Bethleem præpoſita (referente S. Hieronymo) excepto victu & veſtitu, nullam habere quicquam patiebatur,dicente Paulo: *Habentes victum & veſtitum, his contenti ſumus*: Ne conſuetudine plus habendi præberet locum auaritiæ

Perſonarum acceptio.

Modus diſtribuendi res neceſſarias.

C. 1. Regulæ.

Seſſ. 25 c. 2. de Regularibus.

In Epitap. Paulæ ad Euſtochiū.

ritię, quæ nullis expletur opibus, & quantò amplius habuerit, plus requirit: & neque copiâ, neque inopiâ minuitur. Secundò, ſuperfluitas reſtringenda eſt, quia non fructum, ſed ſollicitudinem parit teſtante D. Ambroſio: Illud poſſidemus, inquit, quo vtimur: quod autem vltra vſum eſt, non vtique habet poſſeſſionis fructum, ſed cuſtodiæ periculum. Docet deinde S. Benedictus quomodo vterque ex ſua conditione fructum & meriti occaſionem capiat: vt ſcilicet is, qui minus indiget de bona ſua conſtitutione, & ſufficientia Deo gratias agat, & gratitudinis meritum accumulet, nec contriſtetur, quod minus quàm alij ex communibus bonis Monaſterij percipere videatur, ſed de frugalitate & parſimonia ſua gaudeat. Vnde ſic monet de Religioſis D. Auguſt. Illos, inquit, æſtiment ditiores qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores: melius eſt enim minus egere, quàm plus habere. Qui autem plus indiget humilitatis gratiam augeat, infirmitatem & ſumptuoſitatem ſuam cognoſcendo, neceſſaria dimiſſè à Superiore petendo, fratribus minus ſumptuoſis gratiam & honorem deferendo. Et hac ratione pax & fraterna charitas in congregatione fouebitur. Si autem neceſſaria parciùs & tenaciùs adminiſtrentur aut negentur, murmurationi occaſio datur. Quæ quàm diligenter in religioſa congregatione ſit cauenda, oſtendit B. Benedictus, dum murmurantem diſtrictiori, ac rigidiori diſciplinæ ſubdendum iudicat, quàm eum, qui in re minus graui & minus noxia delinquit. Murmuratio enim communitatem ſcandalizat & tur-

Lib. 2. off. c. 26.

Cap. 17 Regula.

Murmuratio.

bat. Quapropter vt peſſimum vitium iſtud à Monaſterijs abſit, quemadmodum de primis Chriſtianis legitur: (qui perfectam voluntariæ
Act. 4. paupertatis formam nobis tradiderunt) quod nõ erat quiſquam egens inter illos: ita ſingulis, pro Monaſterij facultatibus, neceſſaria liberaliter adminiſtrentur.

De ſeptimanarijs coquinæ.

CAP. XXXV.

Fratres ſic ſibi inuicem ſeruiant, vt nullus excuſetur à coquinæ officio, niſi aut ægritudine, aut in cauſa grauis vtilitatis quis occupatus fuerit: quia exinde maior merces acquiritur. Imbecillibus autem procurentur ſolatia, vt non cum triſtitia hoc faciant, ſed habeant omnes ſolatia, ſecundum modum congregationis, aut poſitionem loci. Si maior congregatio fuerit, Cellerarius excuſetur à Coquina, vel ſi qui (vt diximus) maioribus vtilitatibus occupantur. Ceteri verò ſibi ſub charitate

inui-

inuicem ſeruiant. Egreſſurus de ſeptimana, ſabbato munditias faciat. Lintea, cum quibus ſibi fratres manus aut pedes tergunt, lauet. Pedes verò tam ipſe qui egreditur, quàm ille qui intraturus eſt, omnibus lauent. Vaſa miniſterij ſui munda, & ſana Cellerario reconſignet. Qui Cellerarius item intranti conſignet, vt ſciat quid dat, aut quid recipit.

Qui Septimanarij coquinæ.

SEptimanarij Coquinæ ſunt Miniſtri menſæ conuentualis. Quod ex eo manifeſtum fit, quod pleraque, quæ in hoc capitulo de Septimanarijs Coquinę ſtatuuntur, dictis Miniſtris conueniant. Ipſi enim in ſabbatino mandato religioſorum pedes lauant, ipſi intrantes & exeuntes, hoc eſt vices huius Miniſterij ſuſcipientes & eiſdem defungentes, præſcriptas in regula benedictiones in Eccleſia petunt & accipiunt.

Rationes ob quas omnes menſæ miniſtrare debet.

Rationes autem cur nullus fratrum à miniſterio menſæ conuentualis, excuſari debeat, niſi quos regulæ auctoritas excipit, ſunt multæ. Primùm, quia miniſterium iſtud magni meriti eſt, & exinde (inquit S. Benedictus) maior merces acquiritur: tum propter humilitatem, quæ vili in ſpeciem officio exercetur: tum propter charitatem quæ accumbentibus exhibetur fratribus, qui toto reliquo tempore, partim in Dei laudibus, partim in alijs obedientię operibus occupati fuerunt.

 runt.

ſanctorum Angelorum, qui ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium ſaluandorum miſsi, quorum exempla ad dicti miniſterij deuotionem plurimum nos accendere & incitare debent.

Septimanarij autem ante vnam horam refectionis accipiant ſuper ſtatutam annonam ſingulos biberes, & panem; vt hora refectionis ſine murmuratione, & graui labore ſeruiant fratribus ſuis. In diebus autem ſolemnibus, vſque ad miſſas ſuſtineant. Intrantes & exeuntes hebdomadarij in oratorio, mox matutinis finitis Dominica, omnium genibus prouoluantur poſtulantes pro ſe orari. Egredientes autem de ſeptimana, dicant hunc verſum: Benedictus es Domine Deus, quia adiuuiſti me, & conſolatus es me. Quo dicto tertiò, accipiat benedictionem egrediens, ſubſequatur ingrediens, & dicat: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus: & acceptâ benedictione, ingrediatur.

Septima-

Septimanarij autem ante horam refectionis accipiant ſuper ſtatutam annonam ſingulos biberes, & panem, hoc eſt, comedant antequam accumbant fratres, accipiantq; biberes & panem. Hoc infra c. 38. dicitur mixtum, fortè quod quædam commixtio fiebat, dũ panis vino aut alij potui miſcetur. Hic autem *biberes* dicitur à bibendo. Mixti quantitas (vt habet definitio Ordinis noſtri) ſit medietas libræ panis, vel maior quantitas groſſioris panis, & aquæ. Patres autem Congregationis Caſſinenſis: mixtum, inquiunt, intelligimus tantum vini, quantum capere poteſt vnus ſcyphus cum quo in refectorio bibitur, & circa vncias duas panis.

Vnde dicitur biberes.
Diſt 14. c 5.
Mixti quantitas.

De infirmis Fratribus.

CAP. XXXVI.

Infirmorum cura ante omnia, & ſuper omnia adhibenda eſt: vt ſicut reuera Chriſto, ita eis ſeruiatur, quia ipſe dixit: Infirmus fui, & viſitaſtis me. Et quod feciſtis vni de his minimis meis, mihi feciſtis. Sed & ipſi infirmi conſiderent in honorem Dei ſibi ſeruiri, & non ſuperfluitate

Matt. 25.

fluitate ſua contriſtent fratres ſuos ſeruientes ſibi. Qui tamen patienter portandi ſunt, quia de talibus copioſior merces acquiritur. Ergo cura maxima ſit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis ſit cella ſuper ſe deputata, & ſeruitor timens Deum, & diligens, ac ſollicitus. Balnearum vſus infirmis quotiens expedit, offeratur: ſanis autem, & maximè iuuenibus tardiùs cõcedatur. Sed & carnium eſus infirmis omninò, debilibuſque pro reparatione, concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus more ſolito omnes abſtineant. Cura autem maxima ſit Abbati, ne à Cellerarijs, aut ſeruitoribus negligantur infirmi, quia ad ipſum reſpicit, quidquid à diſcipulis delinquitur.

QVoniam homo varijs morbis & caſibus ſubiectus eſt, ideo ne in hac quidem parte voluit S. Pater auctoritatem regulæ, neceſſitati noſtræ deeſſe. Et quia infirmi nihil ſeſe iuuare poſſunt, nec viribus, inquam, quas morbus fregit, nec opibus, quas ſanctum propoſitum abſtulit: ſed nituntur ſpe & officio planè alieno, ideo curam

curam eorum ante omnia & ſuper omnia habendam mandat. Notetur hic quod dicit S. Hieron. epiſt. Audi filia, ad Euſt. de cuſtodia virginitatis, loquens de Cœnobitis. Si quis cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, vt tanto ſenum miniſterio confoueatur, vt nec delitias vrbium, nec matris quærat affectum: Monet deinde & infirmos & eorum miniſtros: Illos, ne morum importunitate, & querimoniarum improbitate miniſtris ſuis nimis ſint moleſti: Hos, vt infirmorum moleſtias, æquo animo tolerent, quia de talibus, qui importuni ſunt manſuetè miniſtrando copioſior merces ſpiritualis accipitur.

Ergo cura maxima ſit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur.

Abbatis cura erga infirmos.

Non ſolum in corporum cura; vt impenſæ ad curandum eos neceſſariæ non parcat: ſed nec in animarum ſalute; vt eos admoneat, quæ ſalutis ſunt, vtpote ad patientiam in infirmitate, ad dolorem de peccatis, ad peccatorum confeſsionem & ſacram communionem frequentandam, ad ſpem in Deum concipiendam, &c. tum maximè vt animam agentes ſalutaribus monitis confirmet & conſoletur, & viam ex hac vita migrantium ſacroſanctis Eccleſię Sacramentis diligenter muniat.

De ſenibus vel infantibus.

CAP. XXXVII.

Licet ipſa natura humana trahatur ad miſericordiam in his ætatibus, ſenum videlicet, & infantum; tamen & regulæ auctoritas eis proſpiciat. Conſideretur ſemper in eis imbecillitas, & nullatenus eis diſtrictio regulæ teneatur in alimentis; ſed ſit in eis pia conſideratio, & præueniant horas canonicas.

Opportunè poſt infirmorum curam, etiam ſenum & infantum rationem dicit habendam. Qui nimirum in eo aſsimilantur infirmis, quod præ virium imbecillitate communem viuendi & agendi legem ſequi non valeant. Propterea ſtatuit, ne in cibo, potuque ſumendo aſtringantur modo fratrum ordinario: Sed vt præueniant horas canonicas menſæ, hoc eſt, horas accumbendi & comedendi lege & ordinatione regulæ communitati præſcriptas, & conſtitutas, maximè capit. 41. regulæ. Senes intelligi hîc videntur ij qui adeo exacta & *Quid eſt prævenire horas canonicas.* *Qui Senes.*

decre-

decrepita ſunt ætate, vt præ ſenio communia religionis onera ferre non valeant: & propterea à communi menſa, à communi lege ieiunandi, tẽplum frequentandi, manibus laborandi, &c. merito eximuntur qui emeriti rectè dici poſſunt. Infantes autem qui ſint, vide explicatum ſupra cap.30.

De hebdomadario lectore.

CAP. XXXVIII.

Menſis fratrum edentium lectio deeſſe non debet; nec fortuito caſu qui arripuerit codicem, legere audeat ibi; ſed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens poſt miſſas & communionem, petat ab omnibus pro ſe orari, vt auertat ab ipſo D us ſpiritum elationis. Et dicatur hic verſus in oratorio tertiò ab omnibus, ipſo tamen incipiente: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Et ſic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum. Summumque fiat ſilentium ad menſam vt nullius

nullius muſſitatio, vel vox, niſi ſolius legentis, ibi audiatur. Quæ verò neceſſaria ſunt comedentibus & bibentibus, ſic ſibi inuicem miniſtrent fratres, vt nullus indigeat petere aliquid Si quid tamen opus fuerit, ſonitu cuiuſcunque ſigni potiùs petatur, quàm voce.

MAndat vt menſæ fratrum accumbentium lectio ſacra perpetuò adſit: vt dum ſubſtãtiali cibo paſcitur corpus, ſpirituali reficiatur & animus: *Non enim in ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo quod procedit de ore Dei.* *Matt. 3.* Quaſi dicat, non tantum ſolliciti eſſe debemus de externo, & noſtro homine qui viuit materiali pane, ſed etiam de interno & immortali, qui verbo Dei vegetatur: Vnde D. Ambr. Nõ vult (ſcilicet Dominus) *Epiſt. 82.* inquit, facere è lapidibus panem, cum poſſet, vt magis lectionis ſtudio, quàm voluptatis intẽdere nos ſalutari præcepto doceret. Confirmatur *Lectio ſacra in mẽſa adhibenda.* hoc D. Benedicti mandatum auctoritate Concilij Toletani, quod de lectione ſacra in menſa Sacerdotum, ſic ſtatuit: *Can. 7.* Pro reuerentia, inquit, Dei, & Sacerdotum, id vniuerſa conſtituit Synodus, vt (quia ſolent crebrò menſis otioſæ fabulę interponi) in omni Sacerdotali conuiuio lectio diuinarum ſcripturarum miſceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulę non neceſſariæ prohibentur; imo & detractiones & alij *Poſſidonius in vita S. Auguſtini c. 22.* ſermones laſciui & illiberales, qui in menſa oriri ſolent, impediuntur. Vnde de D. Auguſtino legitur,

tur, quod in menſa magis lectionem vel diſputationem, quàm epulationem potationémque diligebat. Ideo etiam in regula religioſis ſuis hanc
Cap. 23. legem ſtatuit: Cùm, inquit, acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur, ſine tumultu & contentionibus audite, ne ſolæ vobis fauces ſumant cibũ,
In Epitap. Nepotiani ad Heliodorum. ſed & aures eſuriant Dei verbum. Et D. Hieron. de Nepotiano: Sermo eius, inquit, per omne conuiuium de ſcripturis aliquid proponere, libentèr audire, reſpondere verecundè, recta ſuſcipere, praua non acriter refutare, diſputantem contra ſe magis docere quàm vincere, &c. Et ne animus accumbẽtium ab attentione ſacræ lectionis quacunque occaſione auocetur, mandat, vt ſummum ſilentium in menſa ab omnibus ſeruetur. Et ne rei alicuius indigentia loqui aliquem cogat, præcipit, vt fratres ad menſam inuicem diligentiſſimè ſeruiant. Si nihilominus contingat aliquid alicui deeſſe, id potiùs incerto ſonitu, ſeu alio viſibili ſigno petet, quã verbo aut voce. Et ne fortè abſurdum cuiquam videatur, & à ratione alienum, quod homo lingua ad loquendum prædìtus, linguæ ſuæ parcat, & muto potius ſigno ad animi & voluntatis ſuæ ſignificationem vtatur: ſciendum eſt non temerè, ſed magna ratione in conſuetudinem monaſterij & vſum religionis hoc veniſſe; ne fortè lingua lubrica, & membrum nimis mobile, & inquietum occaſione ſermonis neceſſarij in loquacitatem, & in verba impatientiæ, vanitatis vel alterius vitij ſoluatur. Quę fortè quoque ratio eſt, cur quidam Religioſi non tantũ in menſa, ſed aliis quoq; locis & tẽporibus ſilentij non verbis, ſed aliis ſignis

vtuntur

vtuntur. Meminit Ioannes Caſſianus hunc ſi-lentij morem olim quoque fuiſſe monachis, & ſi quid neceſſarij in menſa illis deeſſet, id eos ſonitu potius quam voce ſignificaſſe & petijſſe. Et Abbas Cyriacus de Abbate Theodoſio ſolitario magiſtro ſuo narrat, quod ſi loqui cuiquam voluiſſet, ſigno potius quàm verbo vſum eum fuiſſe. Quid, quod & D. Paulus in ſynagoga ſermonem exhortationis facturus, non voce, ſed manu, ſilentium indixiſſe legitur? *L. 4. de inſt. monaſt. cap. 17. Prati ſpiritualis c. 67. Act. 13.*

Nec præſumat ibi aliquis de ipſa lectione, aut aliundè quicquam referre, ne detur occaſio.

Occaſio ſcilicet tentandi, & impellendi eum vel ad contentionem, vel ad inanem gloriam, & ſcientię oſtentationem: quia *ſcientia inflat, charitas verò ædificat.* Et, *littera occidit, ſpiritus viuificat.* *1. Cor. 8. 2. Cor. 3.*

Niſi fortè prior pro ædificatione voluerit aliquid breuiter dicere.

Ad eum ſcilicet modum, quo ſtatuit & mandat ſummus Pontifex (Cap. Ne in agro Dominico) Præſidi de explicanda regula: Regula, inquit, quoque cum capitulo legitur ab illo, qui præeſt ipſi capitulo, vel alio, cui ipſe iniunxerit, propter iuniores vulgariter exponatur. Sic ſi in lectione menſæ occurrat forte aliquid intellectu difficile, habet Prior, hoc eſt, Præſidens, id declarandi poteſtatem; vel ſi lectio occaſionem præbet piæ & ſalutaris inſtructionis, & adhortatio-

 nis

nis ad fratres, ipſam prior accipere poteſt, & fratres benigne adhortari. Deinde ex eo, quod dicit hîc ſanctus Benedictus: *Qui ingrediens poſt miſſas & communionem*, Et iterum: *Propter communionem ſanctam*, colligitur, quod quolibet die dominico fratres communicabant. Quod vt fiat omnino conſultum eſt, & etiam hodie fit, ſaltem in quadrageſima & aduentu Domini.

Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum priùs quàm incipiat legere, propter communionem ſanctam: & ne fortè graue ſit ei ieiunium ſuſtinere. Poſtea autem cum coquinæ hebdomadarijs, & ſeruitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinē legant, ſed qui ædificent audientes.

Mixtum, quid ſit vide cap. *35*. Poſtremò vetat ne per ordinem legant, aut cantent fratres, ſed qui ædificent audientes. Quapropter vt omnes ad hoc legendi munus, & ſimiles functiones regulares ritè inſtruantur, & idonei ſint, valde prouidè ſtatuit ſummus Pontifex (Capitulo, Ne in agro Dominico) his verbis: Vt ipſis monachis proficiendi in ſcientia, via opportuna non deſit, in ſingulis ipſorum monaſterijs, quibus ad hoc ſuppetunt facultates, idoneus teneatur magiſter, qui eos in primitiuis ſcientijs inſtruat diligenter.

De

De menſura ciborum.

CAP. XXXIX.

Sufficere credimus ad refectionem quotidianã tam ſextæ, quam nonæ, omnibus menſibus cocta duo pulmentaria, pro diuerſorum infirmitatibus, vt fortè qui ex vno non potuerit edere, ex altero reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus ſufficiant. Et ſi fuerint inde poma, aut naſcentia leguminum, addatur & tertium.

POſtquam ſanctus Benedictus fratribus accumbentibus cibum ſpiritualem, ſacram ſcilicet lectionem aſſignauit: nunc congruo ordine leges de corporali cibo ponit: ac proinde obſonijs ſeu pulmẽtarijs, quæ pani tãquam cõdimẽta addũtur, quo facilius ſumatur & traijciatur. Hæc igitur religioſis apparãda & apponẽda ſunt,

non varia, non exquiſita, non lauta, non ſuauia; ſed modica & pauca, vulgaria & vilia. De paucitate enim miſſuum & pulmētariorum ſtatuit hic S. Benedictus, quod omni tempore anni, duo vel ad ſummum tria pulmentaria religioſis ſufficere debent. Quam ſuam conſtitutionem magis indulgentiæ, quam neceſſitatis & iuris eſſe, indicare videtur, dū dicit: *Propter diuerſorum infirmitates, vt qui fortè ex vno non poterit edere, ex alio reficiatur.* Quam quoque ob rem piè ſic ſtatuit ſummus Pontifex de ſtatu monachorum, Capitulo, Cum ad monaſteriū: Quod ſi, inquit, quis eorum &c. De vili quoque & frugali cibo monachorum, imo omnium hominum, ſunt ſanctorum patrum ſententiæ. Atque in primis Baſilij dicentis: Suauia in fame ciborum ſectanda non ſunt, ſed ſufficit vſum explere viuendi, refutata luxuria. Et D. Ambroſius: Exemplū frugalitatis, inquit, magiſterium parſimoniæ eſt, herbæ ſimplicis victu, oleriſque vilis, aut pomi contentos eſſe omnes oportere, quem natura obtulit, quem liberalitas Dei prima donauit. Ille ſalubris, ille vtilis cibus, qui morbos repellat, qui reſecet cruditates. Et S. Hieron. Olerum, inquit, pomorum ac leguminum & facilior apparatus eſt, & arte ingenijſque cocorum non indiget: & ſine cura ſuſtentat hominum corpus, moderatèque ſumptus (quia nec auidè deuoratur quod irritamenta gulę non habet) breuiori digeſtione concoquitur. Nemo enim vno vel duobus cibis vſque ad inflationem ventris oneratur: quæ diuerſitate carnium, vel ſaporis delectatione percipitur. Cum varijs nidoribus fumant patinæ ad eſum ſui, expleta eſurie, quaſi captiuos trahunt. Et ibidem, Quod mirum eſt;

Luxuria ciborum vitanda.

Lib. 3. hexa. cap. 7.

Lib. 2. aduerſus Iouinianum.

eſt, Epicurus voluptatis aſſertor, omnes libros ſuos repleuit oleribus & pomis: & vilibus cibis dicit eſſe viuendum &c. Vide præterea quæ dicta ſunt ſupra cap. 4. ad 20. inſtrumentum bonorum operum.

Panis libra vna propenſa ſufficiat in die, ſiue vna ſit refectio, ſiue prandij & cænæ. Quod ſi cænaturi ſunt, de eadem libra tertia pars à Cellerario reſeruetur, reddenda cænaturis. Quod ſi labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio, & poteſtate Abbatis erit, ſi expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula, vt numquã monacho ſubripiat indigeries: Quia nihil ſic cõtrarium eſt omni Chriſtiano, quomodo crapula, ſicut ait Dominus noſter: Videte ne grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate. *Lucæ 21.*

Hanc panis menſuram accepit S. Benedictus ab vſu antiquorum monachorum, vt colligitur in primis ex collatione Moyſis, qui dicit canonicam menſuram monachis iure debitam eſſe duo paximachia, quos paruulos panes (inquit idem Moyſes) vix libræ vnius ponderis habere certiſſimum eſt. Quam panis menſuram vſque adeò nõ excedebant, vt (quemadmodum refert Theodoretus) Publius quidam monachorum pater accedens

Caſſianus coll. 2. c 26.
Quæ ſunt paximachia?
In hiſt. SS. Patrum c. 5.

cedens ad trutinam, panis menſuram diligenter perpenderet, & ſi quando inueniſſet plus quam erat definitum, ægrè ferebat, & eos, qui hoc faciebant, helluones appellabat. Verum S. Pater Benedictus diſcretionis vbique tenaciſſimus, & conſiderator infirmitatum pientiſſimus, tenuem ac rigidam hanc panis menſuram, augendi poteſtatem penes Abbatem reliquit, præſertim, inquit, *ſi labor factus fuerit maior*. Hinc & S. Baſilius: Hi, inquit, qui præſunt, obſeruabunt regulam

Act. 4. illam, quæ dicit: *Diuidebatur ſingulis prout cuique opus erat*. Debent ergo vnumquemque præuenire, vt ſecundum laborem etiam ſolatia refectionis inueniat. Quantum enim ſpectat ad vitia, pænitus abſtinendum eſt: quantum autem ad cibos, prout vſus depoſcit, vel ætas vel labor, vel robur corporis, vel incommoditas eius, ita etiam modus & qualitas temperabitur cibi.

Menſura panis. Menſuram verò panis in regula vna libra definitam ſic declarant Patres Congregationis Caſſinenſis: Cùm pondus libræ, inquiunt, (vt habuimus in noſtro monaſterio Caſſinenſi) ſit vnciarum triginta triũ & ſemis, vt vix tantum panis vnus frater die vna manducare poſſit: volumus conſuetudinem noſtram ſeruari, vt ſcilicet apponatur panis, quantũ ſatis eſt. *Remota præ omnibus crapula.* In hunc enim finem cibi paruitas & vilitas mandatur, vt ſtomachi cruditas, & cibi indigeries vitetur. Hæc enim & corporis ſanitati officit, & carnem libidinoſis

Ad ruſticũ monachum. ardoribus accendit. Cruditas namque (inquit D. Hieron.) mater libidinum eſt.

Pueris verò minori æſtate non eadem

ſer-

ſeruetur quantitas: ſed minor quam maioribus, ſeruata in omnibus parcitate.

Hi pueri qui ſint vide declaratum c. 30. Minoribus igitur duodecim annis, minus libra panis (inquit monachorum quidam magiſter) ſufficiat. Certum eſt enim robuſta & virilia corpora ad virium ſuarum quotidianam refectionem & conſeruationem ampliore nutrimento egere, quam puerilia.

Carnium quadrupedum omninò ab omnibus abſtineatur comeſtio: præter omninò debiles & egrotos.

Bonum eſt (inquit Apoſtolus) *non manducare carnem, & non bibere vinum.* Quâ ſuâ doctrina reuocat nos Apoſtolus (quemadmodum oſtendit D. Hieron.) ad primam legem, qua primi parentes à principio ſuæ creationis, tam intra, quam extra paradiſum conſtituti, carnes non manducauerũt: ſed tandem poſt diluuium dedit eis Deus licentiã comedendarum carnium: vt dum ſibi intelligerent licere omnia, non deſiderarent magnopere, quod non licebat, ne mandatum verterent in cauſam præuaricationis. Bonum igitur, hoc eſt, vtile eſt, non manducare carnem, non propter abſtinentiam à carne & vino, quæ ſunt res bonę & in vſum hominum à Deo creatæ : ſed propter fugam eorum malorum, quæ facilè ad inflammationem ſui , bonis illis rebus abutuntur. Nam dicit D. Hieron. Eſus carniũm , & potus vini, ventriſque ſaturitas, ſeminarium libidinis eſt.

Rom. 14.

Lib. 1. aduerſus Iouinianum.

Lib. 2. ibidem.

Ibidem.

In defini. diſt.13. c. 2.

eſt. Ideo S. Benedictus religioſis eſum carnium interdixit, qui voto perpetuæ caſtitatis adſtricti, carnis munditiâ Deo placere ſtudent. Quam legem abſtinendi à carnibus etiam ordinis noſtri patres ita confirmauerunt, tamquam irrefragabiliter teneri mandauerunt, vt eam lata ſententia excommunicationis ſanxiuerint. Cuius tamen legis poſtea hęc mitigatio & relaxatio nobis facta eſt, vt tribus in ſeptimana diebus, ſcilicet dominica, ferijs tertia & quinta carnes comedamus. Quod autem abſolutè ab omni carnium genere abſtinendum non dicit, ſed à quadrupedum tantum, vide Aureliũ, quem citat hic Smaragdus: Carnes, inquit, in cibo nũquam ſumantur: pulli vel altilia cuncta in congregatione miniſtrentur. An fortè Aurelium, vt hoc diceret hęc ratio mouerit: quod quinto creationis die aquæ produxerant volatilia vna cum piſcibus? Piſces verò, quia eorum vita in frigido ſanguine conſiſtit, comedentium corpora minus nutriunt, & calefaciunt: & propterea ſecurius & caſtius comedantur? Verum hæc ratio ſatis firma non videtur, nec eadem eſt de pullis & volatilibus comedendis, quæ de piſcibus: propterea quod volatilia calidi ſanguinis ſint, piſces autem frigidi. Ea propter videntur patres cõgregationis Caſſinenſis verius colligere ex prohibitione quadrupedum, multò magis prohibitionem volatilium, tamquam magis delectabilium. Volatilium enim ſuauitas gulam irritat, gulâ autem irritatâ niſi ſaturo ventre non quieſcit. Intelligendus igitur eſt. S Benedictus voce quadrupedum omnis generis calidi ſanguinis carnes ſignificaſſe, & prohibuiſſe. Quam prohibitionem (inquiunt ijdem Patres) ſeruare volu-

Geneſ. 1.

Quid intelligatur voce quadrupedum.

volumus etiam in itinere conſtitutos.

De menſura potus.

CAP. XL.

Vnuſquiſque proprium habet donum ex Deò, alius ſic, alius verò ſic. Et ideo cum aliquâ ſcrupulóſitate à nobis menſura victus aliorum conſtituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitates, credimus heminam vini per ſingulos ſufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abſtinentiæ, propriam ſe habituros mercedem ſciant. Quod ſi aut loci neceſsitas, aut labor, aut ardor æſtatis amplius popoſcerit, in arbitrio Prioris conſiſtat: conſiderans in omnibus ne ſubrepat ſatietas, vel ebrietas. Licet legamus vinum omnino monachorum non eſſe. 1. Cor. 7.

MEritò dicit S. Benedictus eſſe rem dubiam & anxiam, alieni victûs menſuram conſtituere: cum homo etiam propriæ neceſſitatis modum neſciat, & ſæpe dubitet, an voluptas ſit, an neceſſitas, quæ cibum appetit. Quod pulchrè indicat

Lib. 10. cõfeſſ. cap. 31. indicat S. Auguſt. Cùm, inquit, ſalus ſit cauſa bibendi & edendi, adiungit ſe tanquam pediſſequa periculoſa iucunditas, & plerumque pręire conatur, vt eius cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere vel dico vel volo: nec idem modus vtriuſque eſt, nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt. Et ſæpe incertum ſit, vtrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum exhilareſcit infelix anima, & in eo pręparat excuſationis patrocinium, gaudens non apparere quid ſatis ſit moderationi valetudinis, vt obtentu ſalutis obumbret negotium voluptatis. Hæc Auguſt. Si igitur ſingulorum hominum, imo proprium cibum ac potũ conſtituere incertum ſit, incertius & difficilius eſt, vna communi ac generali lege atque regulâ multorum annonam definire, propterea quòd alius magni, alius parui cibi ſit, & ideo quod vni ſufficit, hoc alteri parum eſt. Quod propterea fit, ſicut ait S. Benedictus, *Quòd vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius ſic, alius verò ſic.* Hoc eſt, vnus habet à Deo donum maioris abſtinentię, quàm alius. Nam ſine dono & gratia abſtinẽtiæ; nemo abſtinere, & gulam ſuam refrenare poteſt. *Sapientiæ 8. & 9.* Ideo Sapiens. *Et vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum: adij Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis, Deus patrum meorum & Domine miſericordiæ &c. da mihi &c. quoniam homo infirmus ſum.* Hinc eſt quod *Qui infirmi hic.* infirmos & imbecilles hic vocat S. Benedictus, eos qui modicam abſtinentię gratiam habent.

Illi

Illi enim ad abſtinendum infirmi & imbecilles ſunt non corpore, ſed animi propoſito & voluntate. Nō enim abſtinentiam (inquit Smaragdus) exteriùs corpus valet implere, niſi ei interiùs animus abſtinere conſenſerit. Sunt enim multi, qui abſtinere poterant propter ſibi cōceſſam ſalutem, ſed nō valent propter animi imbecillitatem. Quò igitur quiſque abſtinentiæ gratiam magis vel minus habet, eò quoque magis vel minus abſtinens eſt. Et qui hoc abſtinentię dono largiùs præditi, vino parciùs vtuntur, aut omninò ſeſe à vino abſtinent, his ampliorem à Deo mercedem paratam profitetur & pollicetur. Propterea, inquit, quod legamus vinum non eſſe monachorum, quia apoſtatare facit etiam ſapientes. Et Apoſtolus in vino luxuriam eſſe dicit. Quantopere autem vinolentia aduerſetur caſtitati, & quàm diligenter caſtitatem profeſſis, vitandum ſit, declarat D. Hieron. Oceano ſic dicens: Vinolentia ſcurrarum eſt & comeſſatorum, venterque mero æſtuans, citò deſpumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia eſt. Et iterum Euſtochio virgini: Hoc primùm, inquit, moneo, hoc obteſtor, vt ſponſa Chriſti vinum fugiat pro veneno. Vinum & adoleſcentia duplex incendium voluptatis eſt. Quid oleum flammæ adijcimus? quid ardenti corpuſculo fomenta ignium miniſtramus? &c. Et iterum: Dicat, inquit, quiſquam quod volet, ego loquor conſcientiam meam: ſcio mihi abſtinentiam (ſcilicet vini) & nocuiſſe intermiſſam, & profuiſſe repetitam.

Eccleſ. 19.

Epheſ. 5.

Cauenda vinolentia.

Epiſt. Nunquam fili Oceane.

Epiſt. Audi filia de cuſtodia virginitatis.

In Cap. 1. tit.

Sed

Sed quia noſtris temporibus id monachis perſuaderi non poteſt, ſaltem vel hoc conſentiamus, vt nõ vſque ad ſatietatem bibamus; ſed parcius: quia vinum apoſtatare facit etiam ſapientes. Vbi autem neceßitas loci expoſcit, vt nec ſupraſcripta menſura inueniri poßit, ſed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum, qui ibi habitant, & non murmurent. Hoc ante omnia admonentes, vt abſque murmuratione ſint fratres.

Quaſi dicat, quia pauci hodie monachi sũt tãtæ virtutis, & abſtinẽtiæ vt vino omnino carere velint: Ideo ne vini abſoluta prohibitio in laqueum & occaſionem peccati ipſis fiat, conſiderata infirmitate multitudinis, *Heminam* vini per diẽ ſingulis indulgemus & cõſtituimus. *Hemina* autem, (inquit Smaragdus,) eſt mẽſura quę appendit vini libram vnam, quæ geminata ſextarium facit. Patres verò Congregationis Caſſinẽſis ita *heminam* declarant & conſtituunt: Quia (vt ex monaſterio noſtro Caſſinẽſi percepimus) hemina vini eſt multò plus quàm communi neceſſitati vnius monachi ſufficiat: ideo, inquiunt, de vino damus vnicuique quantum ſufficit: ita tamen, vt iuxta regulam, ebrietas vel ſatietas non ſubrepat. Quapropter monemus fratres ne bibant vinum purũ, niſi

Quid Hemina.

Ebrietas & ſatietas [illegible]lent.

niſi infirmitas hoc requireret. Et vt ab actibus ſęcularibus nos faciamus alienos, bibimus in ſcyphis fictilibus in refectorio, tenentes illos vtraq; manu, quando bibimus. In alijs verò locis poſſumus vti vitreis. Hæc illi. A quibus hoc nos etiam retinemus, quod vtraque manu ſcypho admota bibimus. In Clara-ualle etiam hodie bibitur vinum in refectorio lignea ſcutella. Et ſi ob loci neceſſitatem & ſiccitatem, ob laboris magnitudinem, aut æſtatis feruorem hemina vini non ſufficiat, in Prioris arbitrio & poteſtate conſtituit, tantum addere, quantum eſt ſatis: Hac tamen conditione, vt ſatietas & ebrietas omni ſtudio & certiſſimè caueatur, & hoc in eum finem, ne parcitas murmurandi occaſionem fratribus fortaſſè præbeat.

Quare Monachi in refectorio bibant vtraque manu.

Quibus horis oporteat reficere fratres.

CAP. XLI.

A ſancto Paſcha vſque ad Pentecoſten ad ſextam reficiant fratres: & ad ſeram cænent.

QVaſi dicat. Quinquaginta dierum iſtorum interuallo non ieiunabunt fratres. Quemadmodum

Dominica die non ieiunamus, quare?

modum igitur diebus dominicis numquam, ne in quadrageſima quidem ob memoriam, lætitiam, & honorem Dominicę reſurrectionis, ieiunandum eſt: ita nec his diebus quinquaginta. Inſtar ergo Dominicæ (inquit Maximus epiſcopus) tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes iſti dies velut Dominici deputantur. Reſurrectio enim Dominica eſt. Sic enim diſpoſuit Dominus, vt ſicut eius paſſione in quadrageſimæ ieiunijs contriſtaremur: ita eius reſurrectione in quinquageſimæ ferijs lætaremur. Non igitur ieiunamus in quinquageſima, quia in iſtis diebus nobiſcum dominus commoratur. Non, inquam, ieiunamus præſente Domino, quia ipſe ait: *Nunquid poſſunt filij ſponſi ieiunare quamdiu cum illis ſponſus?* Cur enim abſtineat corpus à cibo, cũ anima præſentia Domini ſaginatur?

Serm. 3. Pẽtecoſt.

A Pentecoſte autem tota æſtate, ſi labores agrorum non habent monachi, aut nimietas æſtatis non perturbat, quarta & ſexta feria ieiunent vſque ad nonam; reliquis diebus ad ſextam prandeant. Quæ prandij ſexta ſi opera in agris habuerint, aut æſtatis feruor nimius fuerit, continuanda erit: & in Abbatis ſit prouidentia. Et ſic omnia temperet, atque diſponat, qualiter animæ ſaluentur, & quod faciunt fratres, abſque vlla murmura-

muratione faciant.

A Pentecoſte vſque ad Idus Septembris ſtatuit feria 4. & ſexta ieiunandum, vſque ad horam nonam, quæ eſt apud nos hora duodecima: reliquis autem diebus ad ſextam refectionem ſumendam & ad ſeram cænandum. *Quę prandij ſexta ſi opera in agris habuerint &c. continuanda erit*, hoc eſt, quotidiè agēda. Quaſi dicat, etiam feria quarta & ſexta prandebitur, & ad ſeram cænabitur. Continuare enim (inquit Smaragdus) dicit, quotidie agere, congeminare, vel ſine intermiſſione facere. Propter fatigationem enim operis, inquit, & feruorem caloris iugiter ſoluenda ſunt ieiunia tempore æſtatis. De ieiunio autem quartę & ſextæ feriæ ſic D. Epiphanius: Quarta, inquit, pro ſabbatho ieiunium ſtatutum eſt vſque ad horam nonam. Nam illuceſcente quarta aſſumptus eſt Dominus, & pro ſabbatho crucifixus eſt. Et tradiderunt Apoſtoli vt in his diebus ieiunia fierent ita: vt impleatur dictum hoc: *Cum ablatus fuerit ab ipſis ſponſus, tunc ieiunabunt in illis diebus*. Et non vt gratiam aut beneficium exhibeamus ei, qui pro nobis paſſus eſt, ieiunium nobis conſtitutum eſt: ſed vt confiteamur ad noſtram ſalutem Domini paſſionem, quam pro nobis ipſe ſuſcepit; & vt pro peccatis noſtris ieiunia apud Deum nobis ſupputentur. Et per totum quidem annum ieiunium ſeruatur in ſancta catholica Eccleſia, quarta, inquam & pro ſabbatho, vſque ad horam nonam, exceptâ ſolâ Pentecoſte, per totos quinquaginta dies; in quibus, neque genua flectuntur, neque ieiunium imperatum eſt. Hæc Epiph.

Continuare, quid?

In compendiendiaria doctrina de fide catholica eccleſia.

Ab

Ab Idibus autem Septembribus, vſque ad caput quadrageſimæ, ad nonam ſemper reficiant.

Ab Idibus quoque Septembris vſque ad caput quadrageſimæ quotidie vſque ad nonam ieiunium indicit ſanctus Benedictus. Vult tamen abbatē ita diſcretè & prudenter omnia moderari, hoc eſt, labores atque ieiunia ita pro virium & infirmitatum modo imperare & relaxare, vt animæ ſaluentur, & omnis murmuratio vitetur. Notandum eſt de ieiunio quartæ & ſextæ feriæ poſt Pētecoſten, & de ieiunio ab Idibus Septembris vſque ad caput quadrageſimæ, quod quando præcipua feſta ſanctorum v. g. diuæ virginis, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Dedicationis eccleſiæ &c. his diebus ieiuniorum eueniunt, tunc ieiunandum non videri, exemplo D. Ambroſij, quem ſcribit Paulinus ſingulis diebus ieiunaſſe, nec prandiſſe exceptis dominicis, ſabbathis, & pręcipuis Martyrum feſtis. Et Patres Congregationis Caſſinenſis, propter reuerentiā ſolemnitatum diſpenſant ſuper ieiunio ab Idibus Septembris vſque ad caput quadrageſimæ in pręcipuis feſtis ſanctorum, niſi in aduentu eueniant. Hoc idem ſtatuitur in Collatione ſanctorum Abbatum ſub glorioſiſſimo Principe Ludouico in domo aquis palatij quæ Lateranum dicitur: extat in antiquiſſimo codice Affliginenſis monaſterij Anno 817. habentur poſt opera Caſſiani.

In vita S. Ambroſij.

In qua-

In quadrageſima vero vſque ad paſcha ad veſperam reficiant. Ipſa tamen veſpera ſic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes: ſed luce adhuc diei omnia conſumentur. Sed & omni tẽpore ſiue cœnæ, ſiue refectionis hora ſic tẽperetur, vt cum luce diei fiant omnia.

Hoc eſt abſolutis veſpertinis laudibus, quæ tamen ante meridiem celebrandæ non ſunt. Quod veſpere monachi reficiant (inquit Smaragdus) ipſius Domini vtuntur exẽplo, qui non prandiſſe, ſed cænaſſe legitur, cum dicit ſcriptura: *veſpere autem facto recubuit Ieſus cũ duodecim Apoſtolis.* Nã ideo ad nonã horã vniuerſis diebus conſtituta ſunt ſolui ieiunia, vt ſit aliquid prolixius quod Quadrageſimæ diebus addatur, id eſt, vſque ad veſperam. Hæc ille.

Quare veſpere monachi reficiantur.

Marc. 14.

Vt poſt Completorium nemo loquatur.

CAPVT XLII.

Omni tempore ſilentio debent ſtudere monachi: maximè tamen nocturnis horis. Et ideo omni tempore ſiue ieiunij, ſiue prandij, ſi tempus fuerit prandij.

DE præſtantia, de vtilitate ac fructu, imo de neceſſitate, ac multiplici commendatione ſilentij monaſtici, vide aliunde ſupra cap. 6. Nocturnis autem horis maximè ſeruandum eſt, ne commoditatem & oportunitatem meditandi & Deo vacandi, quam concubia & quieta nox largitur, loquacitas perdat.

Mox vt ſurrexerint à cœna, ſedeant omnes in vno loco, & legat vnus Collationes, vel Vitas patrum, aut certè aliud quod ædificet audientes.

Mandat igitur vt mox à cœna collatio fiat: vbi *mox* nō ſtrictè, pro ſtatim immediatè, & ſine mora, hîc accipitur, ſed largo modo, quia plerumque lectio collationis nonnihil, imo aliquando ad horam vel amplius poſt cœnam differtur: ne lectio ob recentem cœnam ſit tædioſa. Dicitur autem Collatio (inquit Smaragdus) confeſſio, collocutio, vel confabulatio, vbi de ſcripturis diuinis alijs conferentibus interrogationes, alijs referentibus congruas reſponſiones, occulta quæ diu latuerant, fiunt perſpicua. Veluti cū iuniores vel rudiores de occultis ſuis vitijs & paſſionibus, de diaboli tentationibus, à Senioribus, vel alijs, in his rebus bene exercitatis conſilia petunt. Hæc enim (inquit Caſſianus) ad inſtructionem iuniorū ſolēt à Senioribus, qui innumeros diuerſorū caſus ac ruinas experti ſunt, in collatione proferri. Ideo mandât S. Benedictus Collationes patrum pro collatione ſerotina legi, vel ſimilia Orthodoxorū patrū ſcripta, quę & cauſas & remedia peccatorū exponunt (Caſſianus. ibidem) vt audientes ſine cōfuſionis ſuæ verecūdia curentur.

Collatio quæ (margin note beside "(inquit Smaragdus)")

L. 7 inſtit. mona. c. 13. (margin note beside "à Senioribus")

Non

Non autem heptateucum, aut Regũ, &c. Quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc ſcripturam audire: alijs verò horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerit: dicta veſpera, paruo interuallo, mox accedant ad lectionem collationũ, vt diximus: & lectis quatuor aut quinque folijs.

Heptateucum eſt quòd ſeptenario numero cõſtat, & intelligitur Pentateucum, ſeu quinque libri Moyſis, cum libris Ioſue & Iudicum, qui ſimul accepti heptateucum conſtituunt. Horum & ſimilium lectio vtilis non eſt, hora veſpertina infirmis intellectibus, hoc eſt indoctis & rudibus. Cum enim bellicos narrent tumultus, & hominum ac familiarum generationes atque progenies, quæ quamuis myſterijs & ſpirituali intellectu plena ſint (*quia omnia in figura contingebant illis*) & docti ſpirituales ac myſticos ſenſus, & ædificationis documenta inde hauriant, rudibus tamen & indoctis, qui hæc myſteria non facile aſſequuntur, ſed in litteræ ſuperficie & hiſtoriæ narratione ferè adhæreſcunt, ſomnia potius & importuna noctium fantaſmata generabunt. Quapropter conſultè ſtatuit S. Benedictus, vt ſimplex & moralis doctrina hora veſpertina legatur, quæ ſanctæ cogitationis ac meditationis materiam & fomitem inſomni nocti adminiſtret. De ſpatio autem collationis dicitur.

Quid Heptateucum.

Vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus, per hanc moram lectionis: ſi quis fortè in aſſignato ſibi commiſſo fuerit occupatus, occurrat.

Qua collationis hora. Hora non videtur hic accipi pro certo temporis ſpatio, quaſi lectio collationis eſſe debeat integræ vnius horæ, ſed pro tempore incerto, quaſi dicat, quantum fert præſens tempus & ſpatium, multum ſcilicet vel parum pro horæ, ſeu temporis pręſentis modo & permiſſione legatur.

Omnes ergo in vnum congregati compleant.

Iubet autem omnes in vnũ Completoriũ cãtarę, vbi non Abbatem, nec præpoſitũ, nec decanos excipit ait Smaragdus, ſed omnes omnino in hac collationis mora occurrere, omnes in vnum completorium cantare.

Et exeuntes à Completorio, nulla ſit licentia denuò cuiquã loqui aliquid. Quod ſi inuentus fuerit quiſquam præuaricari hãc taciturnitatis regulam, grauiori vindictæ ſubiaceat: excepto ſi neceſſitas hoſpitum ſuperuenerit: aut fortè Abbas alicui aliquid iuſſerit. Quod tamen & ipſum cũ ſumma grauitate & moderatione honeſtiſſimè fiat.

No-

Notandum quod hoc dictum intelligitur de cõpletorio publicè in conuentu peracto:ne quis fortè completorium priuatè legendum tardè & fraudulenter differens, putet ſe licitè & impunè loqui,etiam ſine legitima cauſa, donec ipſe Completorium ſuum legerit, & abſoluerit. Ideo poſt Completorium (inquit Smaragdus) tacere debemus, vt meritò in nocturnis primo dicamus: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*, hoc eſt, vt petamus Dominum, vt in nocturnis labia noſtra aperiat, quæ ſua cuſtodia in Completorijs clauſerat.

Cur poſt completorium tacendum.

De his, qui ad opus Dei, vel ad menſam tardè occurrunt.

CAPVT XLIII.

Ad horam diuini officij, mox vt auditum fuerit ſignum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, ſumma cum feſtinatione curratur; cum grauitate tamen, vt non ſcurrilitas inueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei preponatur. Quod ſi quis ad nocturnas vigilias poſt gloriam pſalmi nonageſimi quarti quē propter hoc omnino

 pro-

protrahendo & moroſè volumus dici, occurrerit, non ſtet in ordine ſuo in choro, ſed vltimus omnium ſtet: aut in loco, quẽ talibus negligentibus ſeorſum conſtituerit Abbas: vt videatur ab ipſo, vel ab omnibus vſque dum completo opere Dei, publica ſatisfactione pœniteat. Ideo autẽ eos in vltimo, aut ſeorſum iudicauimus debere ſtare, vt viſi ab omnibus, vel pro ipſa verecundia ſua emendẽtur. Nam ſi foris oratoriũ remaneant, erit forte talis, qui ſe aut recollicet, & dormiat, aut certè ſedeat foris, vel fabulis vacet, ne detur occaſio maligno. Sed ingrediatur intus, vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem horis qui ad opus Dei, poſt verſum & gloriam primi pſalmi, qui poſt verſum dicitur, occurrerit, lege, qua ſuperius diximus, in vltimo ſtet loco: nec præſumat ſociari choro pſallentium vſque ad ſatisfactionem, niſi fortè Abbas licentiam dederit permiſsione ſua: ita

tamen

tamen, vt ſatisfaciat reus ex hoc. Ad horam vero refectionis qui ante verſum non occurrerit, vt ſimul omnes dicant verſum, & orent, & ſub vno ſimul omnes accedant ad menſam: qui per negligentiam ſuam, aut vitium non occurrerit, vſque ad ſecundam vicem propter id corripiatur. Si denuò non emendauerit, non permittatur ad menſæ communis participationem, ſed ſequeſtratus à conſortio omnium, reficiat ſolus, ablatâ ei portione ſuâ vini vſque ad ſatisfactionem & emendationem. Similiter autem patiatur qui ad illum verſum non fuerit præſens, qui poſt cibum dicitur.

Nomine operis Dei (inquit D. Bernardus) laudũ ſolemnia, quæ Deo in oratorio quotidiè perſoluuntur, pater ideo Benedictus voluit appellari, vt ex hoc clariùs aperiret, quàm nos operi illi vellet eſſe intentos: Audito ſigno diuini officij, id quod in manibus eſt, deponi & relinqui debet, & alacriter illuc accedendum: quia nihil opere Dei *Serm. 47. Cant.*

 dignius

dignius, nihil vtilius, nihil fructuoſius, & bonis meritis fœcundius. Ideo hortabatur quidam monachorum magiſter (inquit Smaragdus) quã documque vel diurnis vel nocturnis horis ad opus diuinum ſignum inſonuerit, mox cum ſumma feſtinatione ſurgendum eſt, ac ſi præco regis inſonet. De punitione eorum, qui tardiùs ad opus diuinum accedunt, planè regulæ huic conformia tradit Caſſianus lib. 3. de inſtit. monaſt. c. 13. Quod autem S. Benedictus in fine addit: *Ita tamen vt ſatisfaciat reus ex hoc*, intelligitur (inquit Smaragdus) ſic eum per licentiam Abbatis in choro recipi, vt poſt peractum curſum ſatisfaciat adhuc reus pro negligentia à ſe commiſſa, donec ab Abbate recipiat veniam, & eum remiſſio plena ſubſequatur atque pacifica. Videtur igitur hic indicare S. Benedictus, quod præter ſatisfactionem publicè in choro ex præſcripto regulæ factam, Abbas inſuper arbitrariam pro modo & ratione culpæ poſſit & debeat exigere.

Vt ſimul omnes dicant verſum & orẽt.

Declaramus (inquiunt patres congregationis Caſſinenſis) ſufficere, quod frater ſit intra oſtium refectorij, cum ſuperior ſeu Cantor incipit verſum.

Et ne quis præſumat ante ſtatutam horam aut poſtea quicquam cibi, aut potus percipere.

Hoc piè ſtatuit S. Pater, ne libertas & licentia cõedendi & bibendi quouis tempore immoderationis, & ſatietatis occaſio fiat. Quam autẽ hoc ſtatutum Deo placeat, manifeſtum fieri voluit in quodam

dam religioſo, qui contra præſcriptum regulæ & conſuetudinem domus ſuæ, poſt menſam ſumere auſus non fuit micas in manu ſua collectas, quas Deus pro religioſæ obſeruationis eius merito, in pretioſas gemmas conuertit, vt refertur lib. de initio Ciſter. ordinis diſt. 1. cap. 7. *Exemplum abſtinētiæ & obſeruationis religioſæ.*

Sed & ſi cui offertur aliquid à Priore, & accipere renuerit: hora qua deſiderauerit, hoc quod priùs recuſauit, aut aliud omnino, non accipiat, vſque ad emendationem congruam.

Si quis (inquit Baſilius) iratus noluerit ſuſcipere aliquid eorum, quæ ad vſus communiter præbentur, dignus eſt vt etiamſi quærat, non accipiat, vſquequo probet is, qui præeſt: & cum viderit vitium animi curatum, tunc etiam quod corporis vſibus neceſſarium eſt, præbebit. Cætera patent.

De his qui excommunicantur quomodo ſatisfaciant.

CAPVT XLIIII.

Qui prò grauioribus culpis ab oratorio & à menſa excommunicatur, hora, qua opus Dei in oratorio percelebratur, ante fores oratorij proſtratus iaceat, nihil dicens:

dicens: niſi tantum poſito in terra capite, ſtratus pronus omnium de oratorio exeuntium pedibus. Et hoc tamdiu faciat, vſque dum Abbas iudicauerit ſatisfactum eſſe. Qui dum iuſſus ab Abbate venerit, prouoluat ſe ante pedes ipſius Abbatis, deinde omnium veſtigijs, vt orent pro eo. Et tunc ſi iuſſerit Abbas, recipiatur in choro, vel ordine quo Abbas decreuerit: ita planè vt pſalmum, aut lectionem, vel aliud quid non præſumat in oratorio imponere, niſi iterum Abbas iubeat. Et omnibus horis, dum completur opus Dei, proijciat ſe in terra in loco quo ſtat, & ſic ſatisfaciat, vſque dum ei iubeat Abbas, vt quieſcat iam ab hac ſatisfactione. Qui verò pro leuibus culpis excommunicantur tantum à menſa; in oratorio ſatisfaciāt vſque ad iuſſionem Abbatis. Et hoc ſemper faciant, vſque dum benedicat, & dicat, ſufficit.

Videtur hoc capitulum eſſe quædam recapitulatio & repetitio eorum, quæ dicta ſunt

ſupra

ſupra cap. 24 & 25. Vbi dictum eſt, quæ ſit leuis, quæ grauis culpa. Hic autem aliquantum latius explicatur, quomodo is qui pro graui culpa excommunicatus eſt, ſatisfaciat. Et quomodo peractâ pęnitentiâ abſoluatur & reconcilietur. Quod quo ordine & quibus ceremonijs fiat, vide pleniùs & clariùs præſcriptum & declaratum in definitionibus ordinis noſtri, diſtinct. 7. cap. 6. De cuiuſmodi reconciliatione ſic Iſidorus à Smaragdo citatus: Satisfactio delinquentium, inquit, hæc eſt: peracto pœnitentiæ tempore vocatus veniat, humi proſtratus iaceat, iuſſus ab Abbate de terra reſurgat, ſurgens, ab omnibus pro negligentia veniam poſcat, adepturus indulgentiam poſt huius emendatoriæ ſatisfactionis cenſuram. Quæ pænitentiæ & ſatisfactionis ratio & ordo conſentaneus eſt antiquitati & ſacris canonibus, vt patet ex decręto Concilij Agathenſis quod ſic habet: In capite Quadrageſimę omnes publicè pænitentes qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pænitentiam, ante fores Eccleſiæ ſe præſentent epiſcopo ciuitatis ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis, reos ſe eſſe ipſo habitu & vultu proclamantes. Ibi adeſſe debent decani, id eſt, Archipresbyteri, Presbyteri pareciarum, & presbyter pænitentium, qui eorum conuerſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundum modum culpæ pænitentiam per præfixos gradus iniungant. Poſt hæc Epiſcopus in Eccleſiam eos introducat, & cum omni clero ſeptem pænitentiæ pſalmos in terram proſtratus, cum lachrymis pro eorum abſolutione decantet. Tunc ſurgens ab oratione, iuxta quod

Satisfactionis ordo & modus.

Cap. 9.

Pænitentia publica.

quod canones iubent, manus eis imponat, aquam ſuper eos benedictam ſpargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu, & crebris ſuſpirijs eis denuntiet, quod ſicut Adam proiectus eſt de paradyſo, ita & ipſi ab Eccleſia pro peccatis ſuis abijciuntur. Poſt hæc iubeat miniſtris, vt eos extra ianuas Eccleſiæ expellant. Clerus vero proſequatur eos cum reſponſorio. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, &c. vt videntes ſanctam Eccleſiam pro facinoribus ſuis tremefactam atque commotam, non parui pendant pœnitentiam. In ſacra autem Domini cæna rurſum ab eorum decanis & presbyteris Eccleſiæ liminibus repræſententur. Hæc ibi.

De his, qui falluntur in oratorio.

CAPVT XLV.

Si quis dum pronuntiat pſalmum, aut reſponſorium, aut antiphonam, vel lectionem fallitur: niſi per ſatisfactionem ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ ſubiaceat, quippe qui noluerit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Infantes verò pro tali culpa vapulent.

Quan-

QVando error eſt modicus (inquiunt patres Caſſinenſes) ſufficiat tangere terram manu. Nos autem vtriuſque manus articulis proni incumbimus. Error vero notabilis, vt puta, quando ſuo exceſſu alios errare fecerit, aut neceſſe fuerit emendari legendo aut cantando, aut magnus fiat ſtrepitus, vel contemptus, aut nimiâ negligentiâ, & errorum frequentiâ grauiorem pœnam meretur & exigit; ſcilicet, vt in capitulo obiurgetur coram omnibus, vel aliter pro merito corripiatur. Qui vero commiſſo errore publicè ſatisfacere, pro conſuetudine congregationis, contempſerit, is grauiori vindictę ſubiaceat: quia noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Infantes, qui ſunt, dictum eſt ſupra cap. 30. Qui, quia religioſi non erant, vapulabant ob errores in choro commiſſos, non publicè in capitulo religioſorum, ſed priuatim à magiſtris ſuis, in eorum ſcholis. *Error notabilis in choro.*

De ijs, qui in aliquibus rebus leuibus delinquunt.

CAPVT XLVI.

Si quis dum in labore quouis, in coquina, in cellario, in miniſterio, in piſtrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fre-

fregerit quippiam, aut perdiderit, vel quid exceſſerit vbiubi.

Præſcribit S. Benedictus modum, quo ſatisfaciat ille, qui aliquid bonorum monaſterij, v. g. aliquid vtenſilium, ſuppellectilium, negligentiâ, aut incuriâ ſua perdiderit, fregerit, aut quocumque errore ſuo deliquerit, aut exceſſerit, quod ſit ad damnum communitatis. Nam cùm omnia bona monaſterij tam mobilia quam immobilia nulli propria ſint, ſed omnia communia, etiam veſtes, libri, &c. proprio cuiuſquam vſui conceſſa (vt ſupra dictum eſt cap. 33.) cuius neglectu vel abuſu aliquid horum perierit, vel deterius factum fuerit, is peccat contra iuſtitiam, & conſequenter contra obligationem voti: facit enim iniuriam fratribus bona communitatis perdendo, ſeu vitiando: qui vero delictum ſuum vltro non confitetur, grauius puniendus eſt. Quia,

Non veniens continuò ante Abbatem, vel congregationem ipſe vltrò ſatisfecerit, & prodiderit delictum ſuum.

Declaramus (inquiūt Patres Caſſinenſes) hoc eſſe ſeruandum quando Abbas ibi adeſt: alias ſatisfaciat ante congregationem in ſequenti capitulo. Exempla huius regulæ in conuentuali refectorio videmus, quando imprudentia alicuius aliquid eſculenti vel poculenti humi effunditur. Eſt autem prompta hæc & voluntaria confeſſio magnæ virtutis, quia iuſtum Dei iudicium continet & coercet. Vigilat (inquit Bernardus) contra iudicium Dei,

Serm 11. paruul.

Dei, iudicium propriæ confeſſionis. Et hoc fit duplex, manifeſtum de manifeſtis, occultum de occultis, vnde ait Apoſtolus. *Si noſmetipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Et Dominus vice quadam oſtendit ſe ſacræ Virgini Gertrudi in monaſterio Helpede præſidentem capitulo religioſarum. Et dum conuentus ſecundum ſtatuta ordinis negligentias profiteretur coram Domina Abbatiſſa, & ipſa eas abſolueret, Dominus blandâ ſerenitate adiunxit: Et ego abſoluo vos auctoritate meæ diuinitatis ab omnibus negligentijs modo confeſſis, ita quod quandocunque ex humana fragilitate eaſdem iteraueritis, ſemper me ſuper eis miſericordiorem inuenietis, & ad remittendum promptiorem.

1. Cor. 11. *Lib. 4. inſinuationum diuinæ pietatis c. 2.* *Voluntariæ confeſſionis Capitularis exemplum.*

Dum per alium cognitum fuerit, maiori ſubiaceat emendationi.

Quia ſilendo & tegendo delictum ſuum auxit, Vnde D. Ambroſius: Non eſt dubium, inquit, leuius eſſe crimen vbi peccatum ſuum vltro homo confitetur & pænitet. At vbi celans mala ſua, inuitus detegitur, & nolens publicatur, illud grauius ſcelus eſt. Hinc & occultatum peccatum grauius puniendum, vnde Smaragdus: ſi Abbati vel præpoſito puram dederit confeſſionem, & compertum fuerit non ſuæ voluntatis fuiſſe, quod caſu accidit, ſufficiat ei emendare cum veniæ ſatisfactione, quod deliquit. Si vero non ſua confeſſione, ſed alterius proditione cognitum fuerit, prout culpę magnitudo popoſcerit, pęnitētię ſubiacebit. Deinde ſupra nominatæ negligentię (ait idem) ſecundum modulum propriū ſunt penſandę, & iuxta ætatem delinquētium, id eſt, teneram vel ſenilem

Lib. ad Virginem lapſam cap. 8.

vel

vel virilem corrigendæ. Quærit S. Baſilius: Quid ſi per negligentiam pereat aliquid ex ferramentis vel vtenſilibus, aut per contemptum diſſipetur? Is quidem, inquit, qui contemnit, velut ſacrilegus iudicandus eſt; & qui perdit per negligentiam, & ipſe ſimile crimen incurrit pro eo, quod omnia quæ ad vſus ſeruorum Dei deputata ſunt, Deo ſine dubio conſecrata ſunt.

Si animæ verò peccati cauſa latens fuerit, tantum Abbati, aut ſpiritualibus ſenioribus patefaciat.

Hoc eſt, ſi peccatum ſeu factum, quo aliquid perit, frangitur, aut damnum quoquo modo communitati fit, proficiſcitur ex occulto, latente, & vitioſo animi motu, ex peruerſa voluntate tanquam ex ſua cauſa, malam iſtam & latentem animi affectionem, non publicè nec ante congregationem prodet: ſed priuatim, ſcilicet, vel in ſacramentali confeſſione, vel alio ſecreto modo Abbati vel alij Seniori aperiet: & hoc vel cauſa ſacramentalis abſolutionis impetrandæ, vel ſalutaris inſtructionis, vel vtriuſque ſimul. Factum autem externum palam confitebitur: Et ita, iuxta Sanctum Bernardum paulò ante citatum, faciet duplex confeſſionis ſuæ iudicium, occultum ſcilicet de occulto animi vitio: manifeſtum de manifeſto & conſpicuo actu vel neglectu vitioſo. Vel latens cauſa peccati intelligi poteſt quoduis grande & occultum peccatum. De quo Smaragdus: Hortamur autem quod ſi ex maioribus culpis (quod ad animæ maiorem perti-

Quæ cauſa latens peccati.

pertineat damnationem) aliquam commiſerit frater, ſecretiùs per puram confeſſionem ſuo manifeſtet Abbati, ne dum tèmpore hoc animæ culpam detegere verecundatur, cum reatu culpæ faciem diaboli interiùs rètundat.

Qui ſciant curare ſua vulnera & aliena non detegere, aut publicare.

Notat dotes quibus prędíti ſunt Abbates, & alij Senes, quibus ſecreti animorum morbi detegantur. Prima eſt peritia & ſcientia medendi, qua ſciat curare vulnera ſua & aliena. Vnde Origenes: Circumſpice, inquit, primùm diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum, proba priùs medicum, cui debeas languoris exponere cauſam, qui compatiendi & dolendi nouerit diſciplinam. Secunda eſt, vt teneat quæ audierit in confeſſione ſemper in ſecreto. Vnde Innocentius in cap. Omnis vtriuſque ſexus: Qui peccatum in pœnitentiali iudicio detectum præſumpſerit reuelare, non ſolum à ſacerdotali officio deponendum decreuimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum. *In Pſal. 37.*

De ſignificanda hora operis Dei.

CAP. XLVII.

Nuncianda hora operis Dei die noctuque ſit cura Abbati, aut ipſe nunciare, aut tali ſollicito fratri iniungat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur.

MVltum refert ad rectum Diuini cultus & cæterorum officiorum curſum, ſi omnia certis & ſtatutis horis fiant. Vbi enim ordo perturbatur, ibi confuſio & odioſa rerum permixtio. Quanta autem vigilantia Sacriſta (cui Abbas hāc curam commiſit) in id incumbere debeat, vt ſtatutâ noctis horâ ad Dei laudes fratres conuocentur, oſtendit Caſſianus lib. 2. inſt. monaſt. cap. 17.

Pſalmos autem vel antiphonas poſt Abbatem ordine ſuo, quibus iuſſum fuerit, imponant.

Cantoris

Cantoris eſt regere tabulam, in qua quid quiſque in choro legat & cantet deſignatur. Ideo noſſe & ſignare debet eos, qui idonei ſunt ad legendum & cantandum id, quod iniungitur.

Cantare autem aut legere non præſumat, niſi qui poteſt ipſum officium implere: vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate, & grauitate ac tremore faciat, & cui iuſſerit Abbas.

Ideo ordinant Patres Caſſinēſes, quod Patres monaſteriorum cum conſilio ſuorum Seniorum Fratres, quos ad diſcēdum idoneos iudicauerint, in Grammatica, in cantu plano, & caſibus conſcientiæ, ſollicitè inſtrui faciant à fratribus doctis, ſi commodè fieri poteſt: Sin autem, ab alijs mercede conductis, ſi poſſibilitas loci permiſerit. Cùm verò, inquiunt, impium, & à monaſtica diſciplina alienum ſit, inertiâ otioque lāgueſcere, & ab antiquis Patribus, qui Eccleſiam militantē omni doctrinę genere & facultate illuſtrarunt, filios degenerare: vt eiuſmodi ignominiam & notam fugiamus, otiúmque & nugas, efficax diaboli virus euitemus; diuinarumque ſcripturarum ſpeculationi efficaciùs intendere poſsimus, ſimul vt coaleſcenti in dies, auctore Deo, congregationi noſtræ, hęc, etiam inter cætera, ſcientiæ gemma non deſit: hac præſenti conſtitutione ita decernimus. In omnibus monaſteriis frequentiſsima, vel ſaltem diebus Dominicis omnibus,

aut ſemel in hebdomada habeatur lectio ſacræ ſcripturæ, vel Catechiſmi Romani: diebus autem non feſtis, quotidiana lectio ſit Grammaticę vel humaniorum litterarum, pro auditorum captu & indigentia, &c. Et vt Fratres noſtri ardentiùs præfatis ſtudijs incumbant, quo maior eius commoditas data fuerit: hortamur Prælatos & Superiores Monaſteriorum per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, vt omnem eis commoditatem tribuant, etiam à communibus exercitijs, & aliquibus horis canonicis (non tamen diebus feſtis, nec prætermiſſa oratione mentali, integra etiam pro viribus regulari obſeruantia) ſi opus fuerit eximendo: Hæc illi. Huc quoque pertinet ordinatio Pontificis quam citauimus ſupra cap. 38.

De opere manuum quotidiano.

CAP. XLVIII.

Otioſitas inimica eſt animæ.

QVAM enim ſit noxia & pernitioſa paſsim docet ſacra ſcriptura, veluti: *Multam malitiam docuit otioſitas*; & ſanctorum ſcripta abundè. Quapropter vt hæc peſtis in Monaſteriis vitetur, ſubdit ſanctus Benedictus.

Eccleſ. 33.

Et

Et ideo certis tẽporibus occupari debẽt fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione diuina. Ideoque hac diſpoſitione credimus vtraque tempora ordinari, id eſt, vt à Paſcha vſque ad Kalendas Octobris mane exeuntes à prima vſque ad horam penè quartam laborent, quod neceſſarium fuerit. Ab hora autem quarta vſque ad horam quaſi ſextam lectioni vacent: poſt ſextam autem ſurgentes à menſa, pauſent in lectis ſuis cum omni ſilentio: aut fortè qui voluerit legere, ſibi ſic legat, vt alium non inquietet. Et agatur nona temperiùs mediante octaua hora: & iterum quod faciendum eſt, operentur vſque ad veſperum. Si autem neceſſitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per ſe occupentur, non contriſtentur. Textus.

In primis igitur diſtribuit S. Benedictus totius diei horas ab officio diuino liberas per totum annum, & eas aſsignat partim lectioni ſacrę, partim labori, partim quieti; vt his viciſsitudinibus & otium vitetur, & faſtidium, quod aſsiduitate ge-

 neratur

neratur, tollatur: quin & Patres Caſsinenſes: Poſt primam, inquiunt, menſam (ſcilicet ab idibus Septembris) habeant fratres horam vnam ad ſui recreationem: Poſtea vacent lectioni, vel exercitio, ſicut fuerit ordinatum. Et iidem: Attendentes, inquiunt, quod nec regula ita firmiter iſta diuidit tempora, quod velit omninò illa ſeruari, ſicut ſonat verbum (*credimus.*) Declaramus, inquiunt, horum omnium diſpoſitionem in arbitrio Abbatis eſſe reponendam, tam quo ad diuina officia, quàm quo ad lectiones, aliaque exercitia: quæ omnia rationabiliter, habita locorum, & temporum conſideratione diſponet.

In Abbatis arbitrio diuinorum officiorum diſpoſitio.

Quia tunc verè Monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarum viuunt: ſicut & Patres noſtri & Apoſtoli. Omnia tamen menſuratè fiant propter puſillanimes. A Kalendis autem Octobris vſque ad caput Quadrageſimę, vſque ad horam ſecundam plenam lectioni vacent: Hora ſecunda agatur tertia: & vſque ad horam nonam omnes in opus ſuum laborent quod eis iniungitur.

1. Cor. 4.

Cùm dicitur quod *verè Monachi ſunt, ſi labore manuum ſuarum viuunt*. Verè nõ opponitur Falſo: quaſi adumbrati tantum & falſi Monachi ſint omnes, qui aliunde quàm de opere manuum ſuarum viuunt: ſed verè, hoc eſt, excellenter monachi ſunt, qui ſic certis horis ſpiritualibus officiis vacant, vt tamen manibus quoque operentur,

Verè ſunt Monachi qui labore manũ viuunt.

quo victum ſibi parent, ne ex eleemoſynis viuere debeant. Vnde S. Macharius: Monachus, inquit, ſapiens, ſuis manibus operatur, & victũ ſibi quotidianum acquirit, & lucratus eſt orationes & ieiunia ſua. Si autem ab alio acceperit victum, quid prodeſt, quod orat & vigilat? Sicut Mercenarius malus, nudus euadit; quia ſcriptum eſt: *Melius eſt dare quam accipere*. Videtur ſignificare, quod Monachus qui ex eleemoſynis viuit, orationes, & ieiunia ſua quaſi oppignorat, ita quod pars meritorum eius benefactoribus debeatur & cedat: ſolidam autem & integram mercedem bonorum ſuorum ſeruari ſibi, ſi labore manuum ſuarum viuens, ab alijs nihil accipit, nec aliis quidquam debet. Quamuis tamen ipſa charitas ſit tam fœcunda, & Dei miſericordia tam larga: vt & benefactor bonorum operum accipientis ſit particeps, iuxta verbum Domini dicentis: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*, &c. nec tamen accipiens damnum bonorum ſuorum ſpiritualium accipiat. Verum hæc dicere videtur Macharius, vt hac ratione ad operandum Monachos excitet, & otium vitent. Hinc legitur de Abbate Paulo, quod in ipſa hora mortis ſuæ adſtantibus dixit. Ex quo veni in hunc locum ſolitudinis, non recolo me comediſſe panem extra laborem manuũ mearũ, neque comedere volui, nec pęnituit me ſermonis quẽ locutus ſũ vſq; ad hanc horã: & ſic vado ad Dominũ, quaſi qui necdum initium fecerim ſeruiendi Domino. Ratio proinde (inquit Baſilius) quærendi victûs Monachis, ea maximè conueniens iudicanda eſt, quæ ab Apoſtolo præſcribitur, nimirum vt manibus laborãtes, honeſtè ſuũ quiſq; panẽ mãducet.

In Epiſt. ad Monachos.

Honorificũ Pauli Abbatis morientis teſtimoniũ.

In ſerm. de inſtit. Monaſt.

De vita ſolitaria. Suum (inquit D. Bernardus) hoc eſt, ſuo labore partum & acquiſitum.

Facto autem primo ſigno horæ nonæ, disiungant ſe ab opere ſuo ſinguli: & ſint parati, dum ſecundum ſignum pulſauerit. Poſt refectionem autem vacent lectionibus ſuis aut pſalmis. In quadrageſimæ verò diebus à mane vſque ad tertiam plenā lectioni vacent: & vſque ad decimā plenam operentur quod eis iniungitur. In quibus diebus quadrageſimæ accipiant omnes ſingulos codices de bibliotheca.

Hæc autem conſtitutio & monitio ſancti Patris, quomodo Religioſi ſe parent ad opus Dei audito ſigno, diligenter notanda & ſeruanda eſt, non ſolum ad horam nonam, ſed ad omnes & ſingulas horas diuinæ laudis. Poſtulat enim hoc diuini officii dignitas, & hominis infirmitas, vt illuc acceſſurus bene ſeſe comparet, omnes animi & corporis ſui ſenſus à diſperſione & varietate creaturarum auocet, & in vnum Deum colligat & referat. Ideo enim non Nonæ tātum horæ, ſed omnium horarum ſignum bis ex more datur: vt primo ſigno facto, occupationem & opus, quod in manibus erat, Religioſus ſtatim ſeponat, & omnes cogitationes introrſus & ad ſpiritualia reuocet, vt corpore & animo libero & expedito

Ante orationem prepara animā tuā.

pedito ad attentè & deuotè pſallendum Deo, ad ſecundum ſignum parati ſint. Quemadmodum enim cytharedus cantaturus cytharæ ſuæ chordas experitur & tentat, abſonas corrigit, & aptat: ita religioſus, imò quilibet Chriſtianus vel laudes Dei cantaturus, animi ſui ſtatum & vires, attentâ meditatione, explorabit, & præparabit. Quales enim orantes volumus inueniri (inquit Abbas Iſaac apud Caſsianum) tales nos eſſe oportet ante tempus orandi. Et idem: Quidquid, inquit, ante orationis horam anima noſtra conceperit, neceſſe eſt vt orantibus nobis per ingeſtionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus. Ex præcedenti enim ſtatu mens in ſupplicatione formatur, eorumdémque actuum procumbentibus nobis ad precem, verborum quoque vel ſenſuum, ante oculos imago preludens, aut iraſci nos ſecundũ præcedentem qualitatem faciet, aut triſtari, aut concupiſcentias cauſaſue præteritas retractare, aut riſu fatuo, quod etiam pudet dicere, cuiuſdam ſcurrilis dicti vel facti titillatione pulſari, aut ad priores faciet volitari diſcurſus. Et idcirco quidquid orantibus nobis nolumus, vt irrepat, ante orationem de abditis noſtri pectoris extrudere feſtinemus, &c.

Similitudo.

Coll. 10. c. 4.
Coll. 9. c. 3.

Quos per ordinem ex integro legant, qui codices in caput Quadrageſimę dandi ſunt.

Notan-

Notandum quoque quod S. Pater ſingulos Religioſos ad ſingulorum librorum lectionem in Quadrageſima non fruſtra aſtringit. Quia fortuita & vaga lectio (inquit Bernardus) & quaſi caſu reperta non ædificat, ſed reddit animum inſtabilem, & leuiter admiſſa, leuiter recedit à memoria: ſed certis ingenijs immorandum eſt, & aſſuefaciendus eſt animus. Hæc Bernard. Et Seneca. Lectio, inquit, certa prodeſt, varia delectat.

De vita ſolitaria.

Ante omnia ſanè deputetur vnus aut duo Seniores, qui circumeant Monaſterium horis, quibus vacant fratres lectioni, & videant ne fortè inueniatur frater accidioſus, qui vacet otio, aut fabulis, & non eſt intentus lectioni: & non ſolum ſibi inutilis eſt, ſed etiam alios extollit. Hic talis ſi (quod abſit) repertus fuerit, corripiatur ſemel & ſecundò: ſi non emendauerit, correptioni regulari ſubiaceat, & taliter, vt cæteri metum habeant.

Hinc patet quanti momenti ſit ſacra lectio, in qua tanto ſtudio Religioſos continendos cenſet S. Benedictus, vt vigiles & diligentes exploratores legentibus illis apponat.

Neque

Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes: exceptis his qui varijs officijs deputati ſunt. Si quis verò ita negligens & deſidioſus fuerit, vt non velit, aut non poſſit meditari, aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, vt non vacet. Fratribus infirmis, vel delicatis, talis opera, aut ars iniungatur, vt nec otioſi ſint, nec violentia laboris opprimantur, vt effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate conſideranda eſt.

Horæ dicuntur incompetentes, ſeu inconuenientes fabulis vanis, competentes autem lectionibus ſacris. Declaramus (inquiunt Patres Congregationis Caſſinenſis) horas incompetentes eſſe totum tempus quod ſupereſt vltra canonicas horas, & refectionem, & exercitij tempus, & aliud tempus in quo qualitas negotij exegerit plures fratres in vnum conuenire. *Quæ horæ incõpetẽtes.*

De

De Quadrageſimæ obſeruatione.

CAP. XLIX.

Licet omni tempore vita Monachi Quadrageſimæ obſeruationem debeat habere: tamen quia paucorum eſt iſta virtus, ideo ſuademus iſtis diebus Quadrageſimæ omni puritate vitam ſuam cuſtodire, id eſt, omnes pariter negligentias aliorum tẽporum his diebus Sanctis diluere. Quod tunc dignè fit, ſi ab omnibus vitijs nos tẽperemus, orationi cum fletibus, lectioni & compunctioni cordis atque abſtinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad ſolitum penſum ſeruitutis noſtrę: orationes peculiares, ciborũ, & potus abſtinentiam: & vnuſquiſque ſuprà menſuram ſibi indictam aliquid propriâ voluntate cum gaudio ſancti Spiritus offerat Deo, id eſt, ſubtrahat corpori ſuo de cibo, de potu, de ſomno, de loquacitate, de ſcurri-

ſcurrilitate, & cum ſpiritualis deſiderij gaudio ſanctum Paſcha exſpectet. Hoc ipſum tamen, quod vnuſquiſque offert Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat oratione, & voluntate. Quia quod ſine permiſſione Patris ſpiritualis fit, præſumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia facienda ſunt.

Videtur enim vita monaſtica nihil eſſe aliud quàm profeſſio perpetuò lugendi, & deplorandi peccata propria & aliena; quàm ſtudium mortificandi ſenſus, & frangendi deſideria mala; quàm propoſitum caſtigandi & affligendi carnem ieiunijs, vigilijs, cum Apoſtolo dicente: *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo.* In cuiuſmodi ſanè ſtudijs, & ſpiritualibus exercitijs Quadrageſimæ ratio atque officium maximè conſiſtit. Quia igitur Monachorum maior numerus, rigidam hanc viuendi diſciplinam multum remiſit, & laxius vitæ genus ſectatur: ideo ſaltem ſanctis his Quadrageſimæ diebus præteriti tēporis negligentias, piis officiis ſupra communem & quotidianam cultus menſuram, hîc à beato Patre præſcriptis, ſeu ſimilibus propria voluntate ab vnoquoque aſſumptis compenſemus. Iſtud tamen exercitij, quod quiſque ſibi eligit, vult non ita abſolutè ab eligentis voluntate pendere, quin & cum voluntate Abbatis ipſum fiat. Opus namque ſubiecti (inquit

Quid vita monaſtica.

1. Cor. 9.

In L. Reg. c. 4. quit D. Gregorius) diuinitus inſpiratum, tunc Deo gratum eſſe cognoſcitur, ſi Maioris imperio, aut permiſſione peragitur. Et D. Baſilius: Abſtinentia & omnis corporis incommodorum perpeſſio, vtiliter hæc quidem comparata ad aliquid ſunt, at ſi quis obſequens propriæ voluntati ſpretis conſilijs Antiſtitis ſui, id facere voluerit, quidquid ſibi collibitum ſit, hic plus erit, quod faciet mali, quàm quod boni. Dicat igitur (inquit Smaragdus Abbas) omnibus fratribus: Qui vult pro anima ſua laborare & aliquid abſtinere, liberam ei voluntatem concedimus: Qui verò noluerit, regulæ de hoc titulo conſtituta accipiet, & Quadrageſimæ contentus erit menſura. Iam qui de fratribus voluerit aliquid abſtinere, humiliet ſe ad genua Abbatis agentis gratias de boni actus voluntate conceſſa: & poſt impenſam humilitatem, ſimul & ore ſuo Abbati indicet quiſque quod voluerit abſtinere. Huius rei luculentum exemplum ſcribit Paulus Diaconus Neapolitanus in vita Mariæ Egyptiacę, de Monaſterio quodam prope Iordanem: Dominico, inquit, die, prima ieiunij hebdomada omnes iuxta conſuetudinem Monachi vocabantur, &c. cum autem compleſſent orationem, flectentes genua Senes ſe inuicem oſculabantur. Deinde ſe amplectentes, & pacem dantes Abbati, rogabāt ſibi ab eo orationem futuri certaminis eorum auxiliatricem fieri. Hoc enim eſt quod dicit hîc ſanctus Benedictus: *Et cum eius fiat oratione & voluntate.*

Serm. de inſti. Monac.

De

De Fratribus, qui longè ab Oratorio laborant, aut in via ſunt.

CAP. L.

Fratres qui omnino longè ſunt in labore, & non poſſunt occurrere hora competenti ad oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita eſt, agant ibidem opus Dei vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ: ſed vt poſſunt agant ſibi, & ſeruitutis penſum non negligant reddere.

EX hoc capitulo perſpicitur quàm arctè lex horarum canonicarum omnes Religioſos aſtringat. In quo nimirum S. Pater ſtatuit & præcipit, vt non tantum præſentes, ſed etiam à choro abſentes eas perſoluant; idque ſtatutis horis, & cum cæremoniis ſolitis. *Flectentes*, inquit, *genua*, illis, ſcilicet, temporibus, quibus collectæ ſeu orationes ſuper formas (quas nos dicimus) leguntur; ſemper autem ad officium B. Mariæ

Cuius

Paulus Diaconus in vita Mariæ Ægyptiacæ.

Cuius rei exemplum habemus in Zozima Abbate: qui viginti dierum ſpatium pergens in ſolitudine; ſolitus erat ſtatuto diei tēpore, id eſt, Tertia, Sexta. Nona abſtinere ſe à ſui itineris curſu orationis cauſâ. Quia tamen in æquitando cœlo pluuioſo, vel alio quouis incommodo & impedimēto genua ad orationem commodè ſemper flecti non poſſunt in via: Ideo dicit S. Pater ſolitâ ſuâ diſcretione & facilitate, tales ob cauſas à genuflectionibus excuſare videtur in via conſtitutos, dicens: *Vt poſſunt agant ſibi*, dummodo, ſcilicet, penſum horarum non negligant.

De fratribus, qui non ſatis longè proficiſcuntur.

CAP. LI.

Fratres, qui pro quouis reſponſo proficiſcuntur, & ea die ſperant reuerti ad Monaſterium.

Et ea die ſperant reuerti ad Monaſterium, ſcilicet tempeſtiuè ad ſtatutam horam refectionis. Attēdenda eſt enim diligenter (inquit Turrecremata) diſtantia loci, & qualitas temporis, conditio perſonæ, quæ mittitur, & pondus negotii pro quo mittitur. Quibus penſatis Abbas prout expedire

indica-

iudicauerit licentiā comedendi fratribus ſic miſſis tribuat, ſi vſque dum reuertantur commodè abſtinere nequiuerint.

Non præſumant foris manducare, etiamſi omninò à quouis rogentur: niſi fortè eis ab Abbate ſuo præcipiatur.

De non manducando foris, ſic Auguſt. Nemo, inquit, extra monaſterium ſine præcepto manducet, neque bibat: non enim ad diſciplinam monaſterij pertinet. Quaſi dicat, non ſeruatur illic menſura, nec qualitas cibi & potûs à communi regula præſcripta. Rarò enim ſeruatur illa ſobrietas & modus comedendi & bibendi foris, qui domi: propterea Patres Caſſinenſes: Declarando, inquiūt, ordinamus, quod nullus noſtræ Congregationis, quantumcunque rogatus, præſumat manducare aut pernoctare in domibus, poſſeſſionibus, vel locis quibuſlibet ſęcularium, in ciuitatibus aut locis, in quibus habentur monaſteria, vel loca noſtra, etiamſi ſit in itinere conſtitutus. *In Reg. c. 4.*

Quod ſi aliter fecerint, excommunicentur:

Qui, ſcilicet, admoniti ſe non emendauerint. Quia excommunicatio maior inferri nón debet, niſi admonitione præmiſſa, vt dictum eſt

ſupra cap. 23. ex D. Gregorio; vel poteſt accipi de excommunicatione minore, pro tenuitate delicti, vel perſonæ delinquentis qualitate.

De Oratorio monaſterij.

CAP. LII.

Oratorium hoc ſit quod dicitur: nec ibi quicquam aliud agatur, aut condatur.

Regula tertia cap. 8. VNde bene S. Auguſt. In Oratorio, inquit, nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, vnde & nomen accepit: vt ſi fortè aliqui etiam præter horas conſtitutas, ſi eis vacat, orare voluerint, non eis ſint impedimento, qui ibi aliquid agendum putarint.

Expleto opere Dei, omnes cum ſummo ſilentio exeant.

Facimus tamen (inquiunt Patres Caſſinenſes) completo opere Dei breuem morulam in choro, vt fratres poſſint ſatisfacere Deo, ſi quid dimiſerint de diuino officio. Sic quoque nobis vſus eſt, vt poſt horas ad ſatisfaciendum Deo pro cõmiſſis negligentijs legamus proni in terram humi procumbentes pium aliquod ſuffragium, veluti

luti, Salue regina &c. vel, *Ante thronum; &c.* vel hanc orationem: *Sanctæ & indiuiduæ Trinitati, Ieſu Chriſti crucifixi humanitati, Beatæ Virginis fœcunditati, ſit ſempiterna gloria, ab omni creatura per infinita ſæculorum ſæcula. Amen.* Quam compoſuiſſe legitur Clemens Papa Quintus, & contuliſſe omnibus eam deuotè & flexis genibus dicentibus 40. dies indulgentiarum; inſuper de omnipotentis Dei benignitate remiſſionem omnium negligentiarum in horis canonicis legendis vel cantandis cõmiſſarum, ex fragilitate, non voluntariè aut malitioſè.

Et agatur reuerentia Deo: vt frater qui fortè ſibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed ſi alter vult ſibi fortè ſecretius orare; ſimpliciter intret, & oret, non in clamoſa voce, ſed in lachrymis, & in intentione cordis. Ergo qui ſimile opus non agit, non permittatur expleto opere Dei remorari in Oratorio, ſicut dictum eſt: ne alius impedimentum patiatur.

Exeuntes agant Deo reuerentiam demiſsè ſeſe inclinantes, vnde religioſus iſte mos in ordine noſtro antiquitus obtinuit, vt tranſeuntes ſingula altaria profundè ſeſe omnes inclinent. Quo facto, honor & reuerentia defertur venerabili Sacramento, quod in altari offerri cõſueuit. Deinde,

Lib. 4. de ſacratis c. 2. & lib. 5. c. 2. quid enim eſt altare (inquit Ambroſius) niſi forma corporis Chriſti? Opt. lib. 6. Quid eſt altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Chriſti?

De Hoſpitibus ſuſcipiendis.

CAP. LIII.

Omnes ſuperuenientes hoſpites tamquam Chriſtus ſuſcipiantur; quia ipſe dicturus eſt: Hoſpes fui & ſuſcepiſtis me. *Matth. 25.*

ETſi modernis temporibus (inquiunt Patres Caſſinenſes) frequentia hoſpitum difficultatem generet implendi omnia, quæ textus regulæ continet: Habita tamen diſcretione, & temporũ ac perſonarum conſideratione facile ſaltem vtiliora implebuntur. Et iterum. Si ob multitudinem aliquando ita integrè huiuſmodi ceremoniæ fieri non poterunt, fiant animo & mente. Olim enim cùm pauciores hoſpites ad monaſteria diuertebant, & hoc ferè vel ſalutaris monitionis & inſtructionis gratia, vel hoſpitij neceſſitate. Tunc commodius, liberius & cum maiori fructu hæc pietatis officia circa hoſpites exercebantur, *Meliores antiqui hoſpites, nouis.*

quàm

uàm hodie, cum frequentiores occurrunt; & oc ferè nouitatis & curioſitatis, vel animi & reeationis cauſa.

Hoſpitalitatem autem mirandum in modum ommendant exempla ſanctorum tam veteris uam noui teſtamenti, doctrina vtriuſque pagiæ, ſententiæ & monumenta Orthodoxorum atrum. Ideo Sanctus Benedictus hanc tam certm auctoritatem ſecutus, eandem impenſius obis commendare non dubitauit, vt omnes oſpites tanquam Chriſtus ſuſciperentur. Et hoc eritò: quia multi leguntur meritò hoſpitalitas Chriſtum verè ſuſcepiſſe in habitu & forma, unc mendici, nunc peregrini. Vnum exemplum aſtar ſit omnium: quod D. Gregorius tamquam e alio refert, cum tamen ipſi acciderit, vt claùs colligitur ex libro ſecundo vitæ eius concriptæ à Ioanne Diacono cap. 22. Opinata, inuit, res eſt valde, ſeniorum noſtrorum nobis reatione tradita. Quidam paterfamilias, cum ota domo ſua magno hoſpitalitatis ſtudio ſeriebat. Cumque quotidiè ad menſam ſuam peegrinos ſuſciperet, quodam die peregrinus quilam inter alios aduenit, ad menſam ductus eſt. Dumque paterfamilias ex humilitatis conſuetuline aquam vellet in eius manibus fundere, conerſus vrceum accepit, ſed repente eum in cuius nanibus aquam fundere voluerat, non inuenit. Cumq; hoc factũ ſecũ ipſe miraretur: eadẽ nocte ei Dominus per viſionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, heſterno autem die me n meipſo ſuſcepiſti. Item lib. 2. vitæ D. Gregorij cap. 23. Narrat Ioannes Diaconus quomodo

Hoſpitalitatis commendatio.

Exemplum hoſpitalitatis.

Hom. 23. in Euang.

D. Gregorius merito hoſpitalitatis, angelum Dei ad menſam accepit. Ideo D. Hieron. Nobis in monaſterio, inquit, hoſpitalitas cordi eſt, omneſque ad nos venientes lætâ humanitatis fronte ſuſcipimus. Veremur enim ne Maria cum Ioſeph locum non inueniat in diuerſorio, ne nobis Ieſus dicat exclusus: *Hoſpes eram, & non ſuſcepiſtis me.* Solos hæreticos non ſuſcipimus. Sedulitatem autẽ, humilitatem, & reuerentiam, ſuſcipiendi hoſpites diſcamus ab Abraham, qui de oſtio tabernaculi ſui cucurrit in accurſum trium virorũ, quos vidit & obnixè eos rogauit, vt dignarentur obſequium hoſpitij ſui accipere.

In Apologia aduerſus Ruff. epiſt. lectis litteris.

Matth. 25.

Geneſ. 18.

Et omnibus congruus honor exhibeatur.

In ſuſceptione hoſpitum omnibus congruus honor exhibendus eſt, ſinguli accipi debent pro ſtatus & conditionis ſuę ratione . Maiore cum honore & obſequio accipiendus eſt Epiſcopus, quàm ſimplex ſacerdos; Abbas quàm ſimplex monachus; Princeps quàm homo plebeius; nobilis quàm ruſticus; Dux quam gregarius miles. Spectatur autem & conſiſtit hęc honoris & officij inæqualitas in multis & diuerſis vt indicat Smaragdus. Quamuis, inquit, vna charitas omnes amplectatur interiùs; aliter tamen exteriùs congruit miniſtrare pauperibus, aliter potentibus, neque enim æqualis omnibus danda eſt ſeſſio, neque ęqualis omnibus ciborum conuenit præparatio: ſed vnicuique neceſſe eſt cum charitatis diſcretione congruus locus, congruus cibus, congruus lectus, congruus omnibus exhibeatur

Suo quiſque honore afficiendus.

beatur & honor. Vt congruè à nobis recepti ſine murmure ad propria reuertantur amici. Notanda hic eſt doctrina S. Baſilij, quæ habet quod à religioſis, qui ad omne humilitatis genus cauſa Dei ſeſe abiecerunt, longè abeſſe debet in officio hoſpitalitatis omnis inanis gloriæ ſignificatio, omnis humani fauoris captatio & oſtẽtatio. Verum quemadmodum videmus eos, inquit, qui in ciuili vitæ genere verſantur, humilitatem paupertatis fugere, veluti rem ignominioſam, ob eãque cauſam quotieſcumque aliquis ipſe hoſpes ſuſcipiendus ſit, epularum & copiam & magnificentiam ſtudioſius conſectari: ita equidem metuo, ne ad nos quoque furtim ſic iſtiuſmodi peſtis inſinuet, neúe ij planè eſſe cõuincamur, quos pudeat paupertatis, tantopere à Chriſto commẽdatę. Deinde multis rationibus oſtendit, quod non ſumptuosâ, ſed frugali menſa, & cum propoſito paupertatis congruente hoſpites accipere debeant monachi. Cui conſonat & hæc Patrum Caſſinenſium conſtitutio: In ſuſcipiendis hoſpitibus prohibeant Prælati vanos apparatus, maxima cum pretioſi temporis iactura, nimiáque & fortè nulla cum vtilitate fieri, in ornandis ſcilicet thalamis, aut menſis, aut huiuſmodi: niſi fortè hoſpitis ſuſcipiendi dignitas hoc exigeret.

Reſp. 20. in Reg. f.

Frugali mẽſa religioſi cõtenti ſint.

Maximè tamen domeſticis fidei.

Domeſticos fidei, (inquit Smaragdus) duobus modis intelligere debemus: ſiue omnes generaliter Chriſtianos, vnam nobiſcum fidem, vnum habentes baptiſma: ſiue ſpiritualiter monachos, qui nobiſcum Deo peculiarem fidei cul-

Qui domeſtici fidei cẽſendi.

tum, & religionis exhibent famulatum.

Et peregrinis.

Qui peregrini. Peregrini intelligi debent qui laſſi, & famelici, tecto & loco quietis, imò & fortè viatico carẽt. His enim tanquam magis egenis lege & ordine charitatis & hoſpitalitatis in primis ſubueniendũ

Iſaia 48. eſt; monet enim propheta. *Egenos, vagoſque induc*

Iob. 29. *in domum tuam.* Et: *Foris non manſit peregrinus, oſtiũ meum viatori patuit.*

Vt ergo nuntiatus fuerit hoſpes, occurratur ei à Priore, vel à fratribus cum omni officio charitatis.

Venienti igitur hoſpiti *occurratur ei à Priore*, id eſt, à maiore, veluti Abbate, Præpoſito &c. Vel *à Fratribus*, quia ſæpe contingit venire hoſpites

Reuerentia diuerſa, diuerſis hoſpitibus exhibenda. diuerſæ ſortis & ordinis. Prioribus (inquit Smaragdus) neceſſe eſt occurrat Prior, fratribus, frater. Si enim venit Rex, Epiſcopus aut aliquis de ſũmo apice potẽs, exeat illi obuiã Abbas: ſi autẽ venerit alter, obuiam illi exeat alter. Similiter aut inclinandum caput, aut proſternẽdum dicit corpus venientibus & diſcedẽtibus hoſpitibus, propter diuerſas hoſpitum conditiones: vna enim perſona eſt mediocris, cui tantum caput inclinatur (inquit Smaragdus) vel ſumma veluti Prælatus, vel aliquis Dei ſeruus, aut religioſæ vitę perſona, quæ recipiatur (inquiunt Patres Caſſinenſes) proſtrato

proſtrato corpore ſiue genibus flexis: Chriſtus autem in eis adoratur, mentali, ſcilicet, deuotione & oratione.

Et primitus orent pariter, & ſic ſibi ſocientur in pace: quod pacis oſculum non priùs offeratur, niſi oratione præmiſſa, propter illuſiones diabolicas. In ipſa autem ſalutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus, ſiue diſcedentibus inclinato capite, vel proſtrato omni corpore in terra, Chriſtus in eis adoretur, qui ſuſcipitur. Suſcepti autem hoſpites ducantur ad orationem: & poſtea ſedeat cum eis Prior, aut cui iuſſerit ipſe.

Suſcepti vero hoſpites ad orationem primitus ducũtur. Forma huiuſmodi (inquit Ioannes Ægyptiacus) inter monachos obſeruatur, vt ſi quis ad eos veniat, ſiue vir, ſiue mulier; ſiue ſenex, ſiue iuuenis; ſiue notus ſiue ignotus, ante omnia vt oratio fiat, & nomen Domini inuocetur: quia ſi fuerit aliqua transformatio dæmonis, continuo oratione facta, diffugiet. Solent enim dęmones ſeſe oſtendere ſanctis Patribus in ſpecie humana. Cuiuſmodi dæmonis fraudes præmiſſa oratio detegit: quia diabolus orationem non ſuffert. Conſuetudo tamen (inquiunt Patres Caſſi-

Mos optimus excipiendi hoſpites.

Caſſinenſes) omnium pene religioſorum eſt, quando hoſpitibus occurritur in oſculo recipi, poſtmodum duci ad orationem: quia, inquiunt, inhumanum videretur (maximè ſi fuerint noti) primo occurſu nõ exhibere eis oſculum, ſed poſt orationem tantum. Huc accedit quòd illuſiones & trãsfigurationes illæ dęmonum (propter quas orationem præmitti vult Sanctus Benedictus) fortè iam rariùs quàm olim fiant: vel ſaltem videntur rariùs monſtrari Cænobitis, & in multorum ſocietate habitantibus, quã eremitis in vaſtis & horridis ſolitudinibus, & ab hominibus longiùs remotis. Solet enim diabolus cum maiore fiducia, deceptionum ſuarum laqueos ponere ſolitarijs, quàm ijs, qui in ſocietate conſilio & orationibus multorum muniuntur. Oſculum (inquiunt Patres Caſſinenſes) dicimus amplexum, quem præſertim religioſis & deuotis perſonis exhibemus.

Quid per oſculum hic ſignificatur.

Legatur coram hoſpite lex diuina vt ædificetur.

Gregorius l. 2. dial. c. 1.

Hunc ordinem ſuſcipiẽdi hoſpites, priùs exẽplo quàm verbo Sanctus Pater nos docuit. Cùm enim Præsbyter per viſum à Domino cõmonitus, in ſolemnitate Paſchali ad eum in ſpecu latentem veniſſet, oratione primum facta, benedicentes Deum omnipotentem, conſederunt, & dulcia vitæ colloquia inter ſe habuerunt. Deinde cibum pariter ſumpſerunt. Vnde Patres Caſſinenſes: Maxime laudamus, inquiunt, vt dum refectio paratur, aliquid hoſpiti legatur, vel ſpiritualia

tualia

tualia dicantur, vt ædificetur, habito reſpectu ad perſonæ qualitatem & neceſſitatem. Saltem non omittatur, quin ad menſam hoſpiti aliquid legatur iuxta conditionem perſonæ, vt ædificetur. Solent enim piæ & religioſæ perſonæ ſpiritualis ædificationis gratia inuicem inuiſere. Quod patet inſigni exemplo S. Scholaſticæ ſororis S. Benedicti: quę ſemel per annum ad fratrem ſuum venire conſueuerat. Qui quadam vice totũ diem in Dei laudibus ſacriſque colloquijs ducentes, incumbentibus iam noctis tenebris ſimul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad menſam ſederent, & inter ſacra colloquia tardior ſe hora protraheret, eadem ſanctimonialis femina eum rogauit, dicens: Quæſo te vt iſta nocte me non deſeras, vt vſque mane de cæleſtis vitæ gaudijs loquamur. Quod eius deſiderium quàm Deo gratum eſſet inſigni miraculo excitatę tempeſtatis & pluuiæ, qua vir Dei detinebatur vel inuitus, oſtẽdit. Hanc pietatem in nobis refrixiſſe cõqueritur S. Bernardus: O quantum diſtamus, inquit, ab his qui in diebus Antonij exſtitere monachi! ſiquidem illi cum ſe inuicem per tempus ex charitate reuiſerent, tanta ab inuicem auiditate panem animarum percipiebant, vt corporis cibum penitus obliti diem plerumquę totum ieiunis ventribus, ſed non mentibus tranſigerẽt. Nobis autem conuenientibus in vnum, iam non eſt dominicam cænam manducare. Panem nempe cæleſtem nemo, qui requirat. Nihil de ſcripturis, nihil de ſalute agitur animarum, ſed nugę & riſus, & verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures paſcuntur rumoribus, quibus totus intentus, modum neſcias in

Greg. lib. 2. dialog. c. 33.

In Apologia ad Guilielmum Abbatem.

in edendo. Hæc ibi Bernardus & plura eodẽ pertinentia. Reſtituatur igitur religioſus hic mos, vbi neglectus eſt, & hoc nos religioſi in primis curemus, vt hoſpites & vitæ exemplis, ſalutaribus verborum monitis & ſacris lectionibus inſtructos à nobis dimittamus, vt ſimus omnibus (quod in nobis eſt) odor vitæ in vitam.

Et poſt hæc omnis ei exhibeatur humanitas.

Poſt auditam legem diuinam, exhibeatur ei omnis humanitas (inquit Smaragdus) omnis miſerationis affectus, & obſequium perfectum, & plenum amoris, quod hoſpitibus exhiberi oportet in cibi & potûs, & omnium illis competentium adminiſtratione.

Ieiunium à Priore frangatur propter hoſpitem: niſi fortè præcipuus ſit dies ieiunij, qui non poßit violari.

Tantam autem humanitatem hoſpiti exhiberi vult, vt eius gratia etiam ieiunium non ab Eccleſia indictum, quod hic vocat diem præcipuum ieiunij, ſed à regula ſtatutum, à Priore, ideſt, ab eo qui hoſpitem recipit, & tractat, poſſit non obſeruari, non item ab alijs. Si enim quoſlibet aduenientes (inquit S. Proſper) ieiunio intermiſſo reficio, non ſoluo ieiunium, ſed impleo charitatis officium. Cæterum ſi propter abſtinentiã ſpirituales fratres, quos noui mea remiſſione delectari,

Lib. 2. vitæ contemp. ca. 24.

ctari, contriſto: abſtinentia mea non eſt virtus dicenda, ſed vitium. Quoniam quidem ipſa abſtinentię ac ieiuniorum continuatio niſi fuerit, quando res exigit, prætermiſſa, & me inflat, & fratrem meum, cui charitas iubet ſeruire, contriſtat: vel certè nihil mihi ineſſe charitatis fraternæ demonſtrat, cum ſine abſtinentiâ quemlibet hominem Catholicum charitas ſola perficiat: & omnes abſtinentia aut perdat ſine adiunctione charitatis, aut pereat. Satis abſurdum eſt (inquit Abbas Moyſes apud Caſſianum) vt fratri, imo Chriſto menſam offerens, non cum eo pariter cibum ſumas, aut ab eius refectione te facias alienum. Igitur vt charitas (inquit Smaragdus) mõſtretur haberi in hoſpite, & maximè propter ipſius honorem, ſolui mandat ieiunium ab ipſo monaſterij Seniore. Sed & hoc non pro omnibus hoſpitibus eſt agendum, ſed tantum pro peregrinis fratribus, aut illis ſummis perſonis, quæ tardè viſitant monaſterium. Quod autem charitatis ſit, ieiunium ſoluere cauſa hoſpitis, probè intellexit ſenex quidam qui quotidie non manducabat, hanc autem charitatem lucrum ęſtimabat, & mercedem diuturni ſui ieiunij. Cum enim quadam vice ieiunus, videret duos fratres ad ſe venientes, eoſque cum gaudio ſuſcipiens, ait: Ieiunium ſuam mercedem habet: quia qui manducat, inquit, propter charitatem, duo mandata implet. Quoniam voluntatem propriam derelinquit, & mãdatum (ſc. charitatis) implet, reficiens fratres. Hinc & quidam ſeniorum interrogatus, quare quotidiana ieiunia propter hoſpites ſolueret, Reſpõdit: Ieiuniũ ſẽper eſt mecum. Vos autem continuò dimiſſurus mecum iugiter tenere

Coll. 2. c. 26

Laudabile, propter hoſpitem ieiunium frangere.

Pro quibus hoſpitibus ieiunium frangendũ.

Apud Caſſianum lib. 5. inſtit. monaſt. c. 24.

tenere non potero. Et ieiunium quidem licet vtile ſit, ac iugiter neceſſarium, tamen voluntarij muneris eſt oblatio. Opus autem charitatis impleri, exigit præcepti neceſſitas. Itaque ſuſcipiēs in vobis Chriſtum, reficere eum debeo: Deducēs autem vos, humanitatem eius obtētu prębitam, diſtrictiore ieiunio in memetipſo potero compē-
Luca 5. ſare. non enim poſſunt filij ſponſi ieiunare, donec cum illis eſt ſponſus: cum autem diſceſſerit, tunc licitè ieiunabunt.

Fratres autem conſuetudinem ieiuniorum proſequantur.

Ne pro vno hoſpite (ait Smaragdus) à toto monaſterio ieiunij ſolemnitas auferatur.

Aquam in manibus Abbas hoſpitibus det.

Magnæ humilitatis eſt, quod mandat vt Abbas aquam in manibus hoſpitum det, quoniam
Cap. 26. nimirum id feciſſe ſanctum Martinum refert Se-
Lib. 2. vita. uerus Sulpitius in eius vita; D. Gregorium Ioā-
Cap. 22. nes Diaconus. Cuius rei exempla paſſim occurrunt plurima legentibus hiſtorias ſanctorum.

Pedes verò hoſpitibus omnibus tā Abbas, quàm cuncta congregatio lauet, qui-
Pſal. 47. *bus lotis, hunc verſum dicant. Suſcepimus*

Deus

Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.

Charitatis & humilitatis iſtud officium antiquis patribus & monachis vſitatiſſimum fuiſſe, in eorum hiſtorijs celeberrimè legitur. Quem pium morem ab Abraham patriarcha accepiſſe videntur. Quem refert ſacra ſcriptura, dixiſſe tribus iſtis viris, quos benignè & officiosè hoſpitio ſuſceperat: *Afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes veſtri:* imo ab ipſo Chriſto, qui diſcipulorum ſuorum pedes lauit, & linteo exterſit, & dixit illis: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Dominus (inquit Auguſt.) lauandos pedes propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendauit. De hac pedum lotione & alijs hoſpitalitatis officijs ſic fructuoſus Epiſcopus à Smaragdo citatus: Hoſpitibus, inquit, & peregrinis fratribus cum ſumma reuerentia, charitatis & miniſtrationis obſequia ſunt præbenda, & ad veſperũ lauandi pedes, & ſi ex itinere ſunt confecti, oleo perungendi ſunt; lectiſternia, lucerna, & ſtramina mollia exhibenda; Ac proficiſcentibus, iuxta penſum cænobij, viaticum imponendum. Huc adiungere lubet conſtitutiones & declarationes Patrum Congregationis Caſſinenſis. Hæc ſolẽnis lotio pedum, inquiunt, præcipue exhibetur ijs, qui conuerſionis deſiderio ad noſtra monaſteria veniunt. Aliquando ijs etiam, qui deuotionis gratia, longo itinere monaſteria noſtra viſitant, aut alijs honeſtis cauſis, ſicut Patribus monaſterij viſum fuerit. Laudamus etiam hanc lotionem fieri

Geneſ. 18.

Ioan. 13.

Quibus perſonis pedum lotio impendenda.

fieri maximè perſonis, vnde magis ædificatio ſe-
qui poſſit, & augmentum deuotionis erga reli-
gionem: nam ſæpe huiuſmodi actibus humilibus
fit vt mens aliena à Chriſto, concepto ſancto de-
ſiderio, Chriſtum cordis hoſpitio ſuſcipiat, me-
liuſque tunc in eis Chriſtus ſuſcipiatur, quam in
Quomodo lotio pedum faciẽda eſt. menſa hoſpes. Ipſa autem lotio ita fit. Conueniẽ-
tibus fratribus in capitulo, aut in alio loco, ſicut
decet, Prælatus (& in eius abſentia Prior) geni-
bus flexis ante hoſpitem pedes eius lauet; quos
dum incipit lauare, mox duo fratres in medio lo-
ci genuflexi incipiant aliquid cantare, quod deuo-
tionem excitet: & dicto primo verſu cæteri fra-
tres diuiſis choris genuflexi verſus hoſpitem, eũ-
dem verſum cantando reſpondent, quem etiam
poſt ſingulos verſus, quos illi duo fratres cantan-
do proſequuntur, repetunt. Cum verò Superior
ambos pedes lauerit, tergat primò pedem ſini-
ſtrum, deinde dextrum, quo terſo, cooperiat lin-
teo, excepta parte quadam, quam ipſe primo oſ-
culatur, & ſic ſucceſſiuè fratres omnes hoſpi-
tis pedem oſculantur, incipiendo à Superiore, &
ſubſequendo per ordinem vtriuſque chori: Et
Quomodò dicuntur omnes lauare pedes hoſpitum. hoc quoque modo dicuntur Fratres omnes laua-
re pedes hoſpitis, cum ibi eius cauſa aſſiſtant. nam
nimis abſurdum eſſet, quod omnes fratres qui
fortè erunt 60, actualiter lauarent pedes vnius
hoſpitis. Completa deoſculatione calciatiſque
pedibus hoſpitis, ſtatim ſurgit: & ſimul cum
hoſpite genuflectens, omiſſo à fratribus cantu
incipiat verſum: *Suſcepimus Deus &c.* Reſponſ. *In
medio templi tui. Pater noſter* ſecretò. Verſ. *Et ne
nos, &c.* Reſp. *Sed libera nos &c.* Verſ. *Saluum fac
ſeruum tuũ. &c.* Reſp. *Deus meus &c.* Verſ. *Mitte ei
auxilium*

auxilium Domine de ſancto. Reſp. *Et de Syon tuere eum.* Verſ. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.* Reſp. *A facie inimici.* Verſ. *Nihil proficiat inimicus in eo.* Reſp. *Et filius iniquitatis*,&c. Verſ. *Domine nō ſecūdū peccata*,&c. Reſp. *Neq; ſecundū iniquitatis*,&c. Reſp. *Dominus vobiſcum*, Reſp. *Et cum ſpiritu tuo.* Oratio. *Actiones noſtras*,&c. Oratio. *Famulorū*,&c. Oratio. *Interceſſio nos quaſumus Domine beatiſsimi Patris noſtri Benedicti* (nos Bernardi)&c. Poſtea mādet fieri breuem orationem pro hoſpite: & facto ſigno, dataque benedictione, omnes (exceptis habentibus curam hoſpitum) ſi quos retinere voluerit Prælatus, pro conſolatione aut obſequio hoſpitis) vadant cum ſilentio ad cellas ſuas. Cæteris autem hoſpitibus, maximè qui de longè venerint, vel qui alias in Monaſterio non fuerit hoſpitati, ſicut opus fuerit, habentes curam hoſpitum pedes lauent. Hactenus illi.

Pauperum & peregrinorum, maximè ſuſceptio omni curâ ſollicitè exhibeatur: quia in ipſis Chriſtus magis ſuſcipitur. Matt. 18.

Hæc autem hoſpitalitatis & humanitatis officia mandat magis pauperibus & peregrinis adhibenda quàm diuitibus, quia pauperes magis, quàm diuites Chriſtum repręſentant: Chriſtus enim pauperem ſe oſtendit in hoc mundo, & peregrinum, non diuitem nec domeſticum. Ideo de pauperibus & egenis dicturus eſt: *Quidquid*

Suſceptio pauperis magis quā diuitis Chriſtum repræſentat.

Matt. 25. *quid feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Secundò, quia in ſuſceptione pauperum clariùs & certiùs teſtimonium eſt charitatis, quàm in diuitum. Verum pia & ſacra hæc lex hodie paſſim miſerè, proch dolor! conuellitur, dum pauperes, ignoti, peregrini, & viatico vacui, negliguntur, repelluntur, vel ægrè admittuntur: noti verò, familiares, & nullâ re indigentes amicè, feſtiuè, & lautè accipiuntur.

Nam diuitum terror ipſe ſibi exigit honorem. Coquina Abbatis & hoſpitum per ſe ſit, vt incertis horis ſuperuenientes hoſpites, qui nunquam deſunt Monaſterio, non inquietent fratres: in quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipſum officium bene impleant. Quibus vt indigent, ſolatia adminiſtrentur eis, vt abſque murmuratione ſeruiant. Et iterum, quando occupationem minorẽ habent, exeant vbi eis imperatur in opera. Et non ſolum in ipſis, ſed & in omnibus officijs Monaſterij: iſta ſit conſideratio, vt quando indigent, ſolatia adminiſtrentur eis: Et iterum, quando vacant, obediant imperanti.

Quaſi

Quaſi dicat, obſequium igitur quod diuitibus & potentibus deferimus, timore offenſionis & diſplicentiæ, vel ſpe temporalis remunerationis: hoc pauperibus & egenis præſtemus affectu charitatis.

Item & cellam hoſpitum habeat aſſignatam frater, cuius animam timor Dei poſſideat, vbi ſint lecti ſtrati ſufficienter, & domus Dei à ſapientibus ſapienter adminiſtretur.

Hoc eſt, cellæ, & miniſterio hoſpitum præficiatur non leuis & diſſolutus aliquis, qui hoſpites malæ vitę ſuæ exemplis ſcandalizet, & offendat: ſed probus, honeſtus, ſobrius, ac timens Deũ, qui modeſtiâ ac probitate ſuâ eis ad virtutem facem præferat. *Quis præficiendus hoſpitibus.*

Hoſpitibus autem cui non præcipitur, nullatenus ſocietur, neque colloquatur: ſed ſi obuiauerit aut viderit: ſalutatis humiliter, vt dictum eſt, & petitâ benedictione, pertranſeat: Dicens ſibi non licere colloqui cum hoſpite.

Poſtremò mandat, vt nemo niſi ex officio vel alia ſeria cauſa, & hoc iuſſu aut permiſſu Superioris, hoſpites conueniat: quia non expedit. Ideo enim S. Bernardus ſeriò monebat Hugonẽ Nouitium: quantũ, inquit, poteris fili, confabulationes *Epiſt. 35?.*

 hoſpi-

hoſpitum deuita, quæ dum aurem implent, euacuant mentem.

Vt non debeat Monachus litteras vel eulogias accipere.

CAP. LIV.

Nullatenus liceat Monacho nec à parentibus ſuis, nec à quoquam hominum, nec ſibi inuicem litteras aut eulogias, vel quælibet munuſcula accipere, aut dare ſine præcepto Abbatis ſui. Quod ſi etiam à parentibus ſuis ei quicquam directum fuerit, non præſumat ſuſcipere illud, niſi prius indicatum fuerit Abbati. Quod ſi iuſſerit ſuſcipi, in Abbatis ſit poteſtate cui illud dare iubeat: & non contriſtetur frater, cui fortè directum fuerat, vt non detur occaſio diabolo. Qui autem aliter præſumpſerit, diſciplinæ regulari ſubiaceat.

Huius

HVius capitis conſtitutio fundamentum habet in voto paupertatis, quod largitione & acceptione munerũ ſine licentia Superioris violatur. Quoniam verò, id quod mittitur, aut datur alicui Religioſo à quocunque, ſtatim ipſa donatione fit omnibus commune, nulli autem propriũ (quia in monaſterio nemo eſt capax proprietatis: Ideo Abbas, qui eſt bonorum communitatis diſpenſator, poteſt illud pro arbitrio & diſcretione ſua dare cui voluerit. Si verò (inquit Sſmaragdus) cui tranſmiſſum eſt prçceperit dari, tanquam reliqua fidelium munera, cum gratiarum actione percipiet. Si autem alteri iuſſerit dari, non contriſtetur, *vt non detur occaſio diabolo*, ſcilicet tentandi eum ad impatientiam, ad murmurationem, ad iram ad inuidiam vel ad aliam animi vel corporis malum commotionem. De litteris autem vel eulogiis inuicem non mittendis ſimilis eſt doctrina D. Auguſtini, in regula ſua prima cap. 4. Litterarum ſeu eulogiarum, id eſt, ſalutationum & benedictionum mutuarum vſus interdicitur religioſis, propterea quod Seminarium eſt & fomentum amicitię & peculiaris familiaritatis, quæ quanto ſtudio cauenda ſit Religioſo indicat D. Baſilius; In omni contubernio, inquit, neutiquam patitur charitatis lex, aliquas coiri ſeorſim aut amicitias aut ſodalitates. Siquidem nullo modo fieri poteſt, quin affectiones iſtæ, quæ in hanc magis quàm in illam propendent partem, plurimùm incommodent communi omnium concordiæ. Quapropter æqualiter ſe diligere inter ſe omnes debent, idemque aduerſus

Quid Eulogia.

Serm. de inſtitutione Monachorũ.

Omnis affectio ſingularis Religioſo vitanda.

vniuerſum fratrum cætum charitatis tenendus eſt modus. Quod ſi quis inuentus fuerit, qui maiori quadam animi propenſione Monachum, Fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis, quauis de cauſa videatur diligere, hunc caſtigare oportet vt iniurium publicæ charitati: ſiquidem in eo, quod quis aliquem vnum plus diligit, facilè indicat reliquos ſe in amore inferiores habere. Hæc D. Baſilius.

De indumentis Fratrum.

CAP. LV.

Veſtimenta Fratribus ſecundum locorum qualitatem vbi habitant, vel aërũ temperiem dentur: quia in frigidis regionibus ampliùs indigetur, in calidis verò minùs. Hęc ergo conſideratio penes Abbatem eſt. Nos tamen mediocribus locis ſufficere credimus Monachis per ſingulos cucullam, & tunicam, cucullam in hyeme villoſam: in æſtate puram, aut vetuſtã, & ſcapulare propter opera: Indumenta pedum, pedules, & caligas.

Deſcri-

DEſcribit S. Pater veſtium genera, qualia & quanta Religioſo ſufficere debeant. Quarum omnium vſus quamuis notus videatur: tamen notandum eſt, quod dicit: *Scapulare propter opera*, intelligi propter opera non tantum ſeruilia, ſed etiam propter quaſdam functiones, & miniſteria ſacra. Vnde Clemens Quintus ſic ſtatuit: Cùm ad ſeruiendum in diuinis officijs, albis vel ſacris veſtibus induentur Monachi, aut cum occupabuntur in operibus, vti eis liceat ſcapulari.

Ad quid valet ſcapulare.

Capitulo Ne in agro Dominico.

De quarum rerum omnium colore aut groſſitudine non cauſentur Monachi.

Notandum eſt quod in ſtatu monaſtico varius inoleuit mos, & veſtium color. Alius enim ordo Monachorum vtitur veſte alba, alius nigra, alius griſia, alius mixta, alius denique alia: ſingulorum tamen ordinum certus ac proprius eſt color & forma. Ita quod vnius & eiuſdem Ordinis Monachi non diuerſi ſed eiuſdem coloris ac formæ veſtibus vtantur, neque hoc temerè, ſed certâ ratione. Cum enim vnius ſint propoſiti, vnius profeſſionis, eiuſdem familię, vnius Domini miniſtri, conuenit, vt ſimiles ſibi inuicem quoque ſint veſtes: vt moueantur ipſo habitu, & ſciant (inquit D. Baſilius) etiam ſibi actus ſimiles eſſe debere. Quapropter quod S. Benedictus de colore non cauſandum dicit, videtur rectè intelligi, non de ſpecie coloris, quaſi cauſari non debeant de colore, etiamſi detur veſtis

Ordinum ſunt varij colores.

nigra ijs, qui alba vtuntur ex ordinis ſui more ſed de coloris vilitate. Eſt enim vna albedo alia præſtantior & melior, ſic vna nigredo alia, & alij colores alijs in vna ſpecie ſunt miliores. Si igitur detur veſtis alba, quæ non eſt excellenter & maximè alba & nitida, non propterea murmurant Monachi, quemadmodum nec de panni graſſitudine vel ruditate.

Sed quales inueniri poſſunt in prouincia, qua habitant, aut quod vilius comparari poteſt. Abbas autem de menſura prouideat, vt non ſint curta ipſa veſtimenta vtentibus ea, ſed menſurata. Accipientes noua, vetera ſemper reddant in præſenti, deponenda in veſtiario propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas tunicas, & duas cucullas habere propter noctes, & propter lauare ipſas res. Iam quod ſupra fuerit, ſuperfluum eſt, amputari debet. Et pedules, & quodcunque eſt vetuſtum, reddant cum accipiunt nouum. Femoralia hi qui in via diriguntur de veſtiario accipiant: qui reuertentes lota ibi reſtituant.

Diligenter attendatur (inquiunt Patres Caſſi-
penſes

nenſes) hæc particula regulæ, nam cùm dicit (quod viliùs comparari poteſt) omnem mollitiẽ & prętioſitatem, habitúmque delicatum excludit. Quod proculdubio non tantum de veſtibus, ſed pro omnibus rebus, quibus tum ad neceſſitatem, cum ad commodum corporis apparenter vtimur, eſt accipiendum. Summa igitur doctrinæ S. Benedicti hæc eſt. Vt Religioſus curioſum ornatum in veſtitu caueat, & luxurioſam ſuperfluitatem. Vnde Caſſianus: veſtis, inquit, Monachi ſit, quæ corpus contegat tantum, & repellat nuditatis verecundiam, & frigoris retundat iniuriam: non quæ Seminaria vanitatis aut elationis enutriat, ita Apoſtolo prædicante: *Habentes autem alimenta & operimenta, his contenti ſumus.* Operimẽta, inquiens, non veſtimenta, id eſt, quę corpus operiant tantum, non quæ amictus gloria blandiantur. Et iterum: Omnis ſumma noſtri veſtitus, inquit, in honeſta vilitate conſiſtat: non enim Monachus ornatum in veſte ſectari debet. Ne (inquit ferriolus apud Sſmaragdum) iactantiæ ſuæ teſtimonium ſecum ferat: & dum corpus velit veſtimentis ornare, de animæ ornamentis non curet. Vnde grauiter Monachos increpat ſanctus Bernardus: Quid, inquit, de ipſo habitu dicam, in quo iam non calor, ſed color requiritur, magiſque cultui veſtium, quàm virtutum inſiſtitur? pudet dicere, vincuntur in ſuo ſtudio mulierculę, quando à Monachis prętium affectatur in veſtibus, non neceſſitas, nec ſaltem forma religionis retenta in habitu, ornari non armari appetunt milites Chriſti, qui dum ſe præparare ad prælium, & contra aërias poteſtates prætendere paupertatis inſigne debuerant, quod vtique

Qualis Monachorum habitus.

Lib. 1. inſt. monaſt. c. 3.

1. Tim. 6.

Caſſianus ibidem c. 11.

Rom. 4. ſuper miſſ.

que aduerſarij valdè formidant, in mollitie veſtimentorum, pacis potius præferentes indicium, vltrò ſe hoſtibus ſine ſanguine tradunt inermes. Munitus (inquit Iſidorus à Smaragdo citatus) debet eſſe Monachus, non delicatus. Sicut autem non oportet, inquit, in Monacho eſſe notabilis habitus, ita nec ſatis abiectus: nam pretioſa veſtis animum ad laſciuiam pertrahit, nimis vilis aut dolorem cordis parit, aut morbum vanæ gloriæ contrahit. Hinc & S. Bernardo in veſtibus paupertas ſemper placuit, ſordes nunquam. nimirum animi forè iudices aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud ſe gloriantis, aut gloriam foris affectantis humanam. Iubet quoque ſanctus Benedictus Monachos contentos eſſe rebus patrijs & interdicit eis res & merces peregrinas, longè & cum moleſtia quæſitas, & accerſitas, quæ ad neceſſarium vitæ vſum non requiruntur, ſed ad explendam miſeram libidinem ambitionemque anxiè ſolita ſunt inueniri, & circumcurſare eos cogunt, vt (inquit Baſilius) peruestigentur, & ſic varijs modis animus diſtrahitur.

Nitidus ſit in habitu Monachus.

Lib. 1. vitæ S. Ber. c. 2.

Et cucullæ, & tunicæ ſint aliquanto his, quas habere ſoliti ſunt, modicè meliores: quas exeuntes in viam accipiant de veſtiario, & reuertentes reſtituant. Stramenta autem lectorum ſufficiant matta, ſagum, lena & capitale.

Prodeun-

Prodeuntibus autem in publicum modicè meliores & honeſtiores veſtes decernit, ne nimis viles & ſordidi videantur, nam quemadmodum nimius cultus in Religioſo ſuperbiæ; ita nimiæ ſordes fictæ ſanctitatis & hypocriſis vel ignauiæ indicia eſſe ſolent.

Quæ tamen lecta ab Abbate frequenter ſcrutanda ſunt propter opus peculiare, ne inueniatur: & ſi cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauiſſimæ diſciplinæ ſubiaceat.

Poſtremò vult Abbatem Religioſorum ſuorum lectos ſeu cellas & loca quietis frequenter viſitare & ſcrutari, ne fortè proprij aliquid ibi reconditum & occultatum quis ſeruet, quod non ab ipſo Abbate dante vel aſſentiente, ſed peculiari ſuo labore, vel aliundè acceperit. Cuius viſitationis exemplum habemus apud Theodoretum de quodam Publio Monachorum Patre & Magiſtro, qui erat ſæpe domunculas Monachorum inuiſens, inquit, & perluſtrans, num quid præter vſum haberent repoſitum.

Sit cura Abbati viſitare cellas.

Hiſt. ſanctorum Patrum c. 5.

Et vt hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ ſunt neceſſaria, id eſt, cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium,

acus,

acus, mapula, tabulæ, vt omnis auferatur
Act. 4. *neceſſitatis excuſatio. A quo tamen Abbate ſemper conſideretur illa ſententia Actuũ Apoſtolorum: quia dabatur ſingulis prout cuique opus erat. Ita ergo & Abbas conſideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudicijs ſuis Dei retributionem cogitet.*

Ad Euſtochium epiſt. Audi filia. Quemadmodum ſcilicet, ſcribit S. Hieron. de œconomia & gubernatione cœnobitarum ſui temporis. Oeconimus, inquit, ita vniuerſa moderatur, vt nemo quod poſtulet, habeat.

De menſa Abbatis.

CAP. LVI.

Menſa Abbatis cum hoſpitibus & peregrinis ſit ſemper. Quotiens tamen minus ſunt hoſpites, quos vult de fratribus vocare, in ipſius ſit poteſtate. Seniores tamen vnum aut duos ſemper cũ fratribus dimittendum procuret propter diſciplinam.

Caput

CAput iſtud planum eſt, ita vt ſufficere videatur hic annotaſſe declarationē Patrum Caſſinēſium ad illud: *Quotiens tamen minus ſunt hoſpites,* &c. vel ſi eligit eſſe in refectorio cum fratribus magis laudamus. Deinde illa accubatio, & mutua Abbatis & fratrum in menſa coniunctio, animos quoque coniūgit, & paternum filialemque amorem conciliat.

De artificibus Monaſterij.

CAP. LVII.

Artifices ſi ſunt in Monaſterio, cum omni humilitate, faciant ipſas artes: ſi tamen iuſſerit Abbas. Quod ſi aliquis ex eis extollitur pro ſcientia artis ſuæ, eo quod videatur aliquid conferre Monaſterio, hic talis euellatur ab ipſa arte, & denuo per eam non tranſeat: niſi fortè humiliato ei iterum Abbas iubeat. Si quid verò ex operibus artificum venundandum eſt, videant ipſi per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem præſumant

inferre

Act. 5. *inferre. Memorentur ſemper Ananiæ & Saphiræ, ne fortè mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc iſti, vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus Monaſterij fecerint, in anima patiantur. In ipſis autem pretijs non ſubripiat auaritiæ malum; ſed ſemper aliquantulum vilius detur, quàm ab alijs ſæcularibus, vt in omnibus glorificetur Deus.*

FRatres artifices cum ea humilitate exercere debent artes ſuas, quemadmodum illi de quibus Caſſianus: Et cum tantos vnuſquiſque eorum quotidie de opere ac ſudore proprio reditus conferat Monaſterio, vt ex his ſuſtentare non ſolum ſuam valeat parcitatem, verum etiam vſibus poſſit exuberare multorum: in nullo tamen inflatur, nec ſibi de tanto operis ſui quæſtu ac ſudore blanditur: ſed præter duo paximacia, quæ tribus vix denarijs ibidem diſtrahuntur, nihil ſibimet amplius vnuſquiſque præſumit. Si verò quis pro humana fragilitate, aut malitiâ, extollitur ratione artis ſuæ, ſeu vtilitatis quã cõfert Monaſterio, debet illi ipſum artis exercitium interdici, quemadmodum hic mandat S. Benedictus & S. Baſilius reſponſ. 125. in regulis B. Si ex mercibus ſuis venale aliquid exponunt vult vt minoris id iudicent & vendant, quàm ſæculares vendituri id eſſent. Vt (inquit Smaragdus) agnoſcantur in hac parte ſpirituales à ſęcularibus actibus diſtantia

Lib. 4. inſti. Monaſt. ca. 4.

diſtantia ſeparari: cum negotij cauſa, quæ inimica eſt animæ, lucrum ſupra iuſtitiam non quærant, ſed etiam ab ipſa iuſtitia minus accipiendi pretij humanitate conſentiant, ne propter cupiditatem & auaritiam, artes operari credantur.

De diſciplina ſuſcipiendorum Fratrum.

CAP. LVIII.

Nouiter veniens quis ad conuerſionem, non ei facilis tribuatur ingreſſus. ſed ſicut ait Apoſtolus: Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt. Ergo veniens perſeuerauerit pulſans, & illatas ſibi iniurias, & difficultatẽ ingreſſus poſt quatuor aut quinque dies viſus fuerit patienter portare & perſiſtere petitioni ſuę; annuatur ei ingreſſus & ſit in cella hoſpitum paucis diebus. 1. Ioan. 4.

SI quis (inquit Smaragdus) fidei ardore ſuccenſus renuncians ſæculo, Monaſterium magnę diſpoſitionis elegerit expetendum, nouitati

tati eius non confeſtim licentia tribuatur intrandi: ſed primùm ſtudioſius indagatur, vtrum voluntariè, an neceſſitate aliqua coactus, aduenerit.
1. Ioan. 4. Sed dicente Apoſtolo: *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*: Diligenter probetur, ne fortè ſit de quibus Dominus ait: *Venient ad vos in veſtimentis ouium; intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Probatio enim diſcernit, vtrum eum tentatio diaboli, an vocatio ad Monaſterium aduexerit Chriſti. Et Caſſianus: Ambiens quis, inquit, intra Cœnobij recipi diſciplinam non ante prorſus admittatur, quàm diebus decem vel eo amplius pro foribus excubans, iudicium perſeuerantiæ ac deſiderij ſui, pariterque humilitatis ac patientiæ demonſtrauerit. Cúmque omnium prætereuntium fratrum genibus prouolutus, & ab vniuerſis de induſtria refutatus atque deſpectus, tanquam qui non Religionis, ſed neceſſitatis obtentu monaſterium optet intrare: iniurijs quoque, & exprobationibus, multis affectus experimentum dederit conſtantiæ ſuæ, qualiſque futurus ſit in tentationibus, opprobriorum tolerantia declarauerit, atque ita explorato mentis ardore, ſuſcipiatur. Sic ſanctus Baſilius quamuis dicat non ſine periculo reijci venientes ad Religionem, quia Dominus dixit: *Venite ad me omnes qui*, &c. Addit tamen non permittendum, vt quiuis illotis pedibus admittatur. Sed ad idoneas, inquit, duci exercitationes debent; ibique & adhibendo temporis ſpatio, & grauioribus imponendis laboribus, periculum faciendum de illorum natura, conſtantiáque, vt videlicet, ſi quid ineſſe in ipſis ſtabilitatis cognouerimus, eos tuto admittamus: ſin minus, dum

Lib. 4. de inſtit. monaſt. c. 3.

Modus antiquitus ſuſcipiendorũ fratrum.

Reſp. 10. in regul.

dum adhuc extra ſunt repudiemus; neque ex iſtiuſmodi periclitatione detrimentum vllum in fratres redundet. Eſt autem hęc diligens examinatio, an ſpiritus ex Deo ſint, neceſſaria: quia (vt inquit D. Gregorius) celeritas conuerſionis plerumque oritur ex præcipitatione concilij, non ex incremento deuotionis. Dilatione autem & difficultate ingreſſus ſancta deſideria non exſtingũtur, inquit, ſed creſcunt. Huius dilationis & duræ tentationis exemplum nobis mõſtratur in Symeone Eremita. Qui quinque dies non manducans, neque bibens iacuit ante fores monaſterij S. Tymothei. Et die quinta exiens Abbas Tymotheus interrogauit enim dicens: Vnde es fili? aut quos parentes habes, qui ſic afflictus iaces? aut quod eſt nomen tuum, ne fortè aliquid mali geſſeris, aut forſitan ſeruus ſis, & Dominum tuũ fugis. Tunc Symeon cum lachrymis dixit: Nequaquam Domine, ſed opto vt ſim ſeruus Dei, ſi ipſe voluerit, quia volo ſaluare animam meam perditam. Iube ergo me introire in monaſteriũ, & omnibus deſeruire. noli me foris diutius dimittere. Tunc apprehenſa manu eius, introduxit eum Abbas in monaſterium. Tantis igitur tentaminum moleſtijs probato ſpiritu, ſi ex Deo ſit:

Lib. 4. cap. 4. in lib. regum.

Vnde oritur celeritas cõuerſionis.

Symeonis Eremita conſtantia admirabilis.

Poſtea, autem ſit in cella nouitiorum, vbi meditetur & manducet, & dormiat.

Quaſi dicat, admittatur ad habitum religioſum & ad annum probationis. Ad annum autem probationis multa requiruntur. Primum vt ſit integer ex Concilio Tridentino: In quacumque, ait, reli-

Requiſita ad annum probationis.

Seſſione 25. c. 15. de regularibus.

religione, tam virorum quam mulierum profeſſio non fiat ante annum decimum ſextum completum: nec qui minore tempore quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem antea facta, ſit nulla, nullam inducat obligationem ad alicuius regulę vel religionis vel ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcumque effectus. Tollitur proinde per hoc decretum omnis profeſſio tacita, quæ fieri poſſit intra annum probationis. Qui autem ante annum probationis expletum admittit aliquem ad profeſſionem, peccat mortiferè, quia contra præceptum Cōcilij Tridentini in re graui. Secundò, debet annus probationis eſſe continuus. Ratio eſt, quia quando ius certum tempus, v. g. menſem vel annum, requirit, intelligendum eſt de tempore continuo. Deinde quia annus aſſignatur, vt nouitius experiatur auſteritates religionis: has autem experitur melius continuando, quam diuidendo. Denique ita habet conſuetudo. Parua tamen interpellatio (vt paucorum dierum) fortè non impediet. Tertiò, annus probationis computandus eſt à momento ad momentum. Vt ſi habitum acceperis primo Octobris poſt meridiem, non potes eodem die recurrente in termino anni profiteri ante meridiem, ſed expectandum eſt punctum ſuſcepti habitus. Similiter in ætate expectandum vt recurrat punctū natiuitatis. Quartò, debet probatio fieri in habitu religioſo: quia eſt pars auſteritatis ordinis. Qui mos nouus non eſt, ſed originem habet ab antiquis monachorum patribus, vt patet ex Caſſiano: Ita nudatur, inquit, quiſque cum receptus fuerit omni priſtina faculta-

Annus probationis debet eſſe continuus.

Annus probationis quomodo computandus.

Lib. 4. de inſt. monaſt. cap. 5.

facultate, vt ne ipſum quidem, quo opertus eſt, indumentum habere permittatur vlterius, ſed in concilio fratrum productus in medium exuatur proprijs, ac per manus Abbatis induatur monaſterij veſtimentis, vt per hoc ſe non ſolum vniuerſis rebus ſuis antiquis nouerit ſpoliatum, verum etiã omni faſtu depoſito mundiali, ad Chriſti paupertatem & inopiam deſcendiſſe, iamque opibus ſuſtentandum, non ſæculi arte quæſitis, nec de infidelitate priſtinâ reſeruatis; ſed de ſanctis ac pijs monaſterij largitionibus militię ſuæ ſtipendia percepturum: atque inde deinceps veſtiendum, alendumque cognoſcens, & nihil habere, & nihilominus de craſtino non eſſe ſollicitus ſecundum Euangelij diſcat ſententiam &c. Illa verò quæ depoſuit veſtimẽta œconomo cõſignata tamdiu reſeruantur, donec profectus, & conuerſationis eius ac tolerantiæ virtutem diuerſis tentationibus ac probationibus euidenter agnoſcant. Et ſi quidem poſſe eum inibi perdurare tempore procedente perſpexerint, & in eodem quo cæpit feruore perſiſtere, indigentibus eadem largiuntur: Sin verò quoddam ex eo murmurationis vitium, vel paruæ cuiuſlibet inobedientiæ culpã proceſſiſſe deprehenderint, exuentes eum monaſterij, quibus indutus fuerat, veſtimentis, & antiquis reueſtitum, quæ fuerant ſequeſtrata, depellunt. Nullum etenim fas eſt cum illis, quę accepit, abſcedere.

Cur veſtimenta ſæcularia deponantur?

Cap. 6. ibidem

Et ſenior ei talis deputetur, qui aptus ſit ad lucrandas animas: qui ſuper

 eum

eum omnino curioſè intendat, & ſollicitus ſit, ſi verè Deum quærit, ſi ſollicitus eſt ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria.

Qualis eligendus Magiſter Nouitiorum.

Hinc ſummus Pontifex Capitulo. Ne in agro Dominico: Nouitijs, inquit, fidelis deputatur inſtructor tam in diuinis officijs, quam in obſeruãtia regulari. Et Patres Caſſinenſes in declarationibus Regulæ ad Caput 21: Magiſtri nouitiorum, inquiunt, fiant moribus & ætate omninò maturi, apti ad lucrandas animas, ac inſtruendos Monachos, quo ad vtrumque hominem, inſtruendoſque diſcipulos, qui à ſæculo conuertũtur in monaſtica & regulari diſciplina, ac etiam in litteratura ſufficiẽti & neceſſaria, & fiant omninò adeò graues, ne ſint diſcipulis contemptibiles. Quæ omnia eò diligentius executioni mãdanda ſunt, quo cognoſcimus in his robur & fũdamentum obſeruantię regularis eſſe poſitum. In quibus autem magiſter diſcipulum nouitiũ potiſſimum exerceat & inſtruat bene monet Caſſianus: Cuius, inquit, (ſcilicet Senioris) hæc erit ſollicitudo & eruditio principalis per quam iunior introductus aſcendere conſequenter etiam culmina perfectionis ſumma præualeat, vt doceat eum primitùs ſuas vincere voluntates, quem ſtudioſè in his ac diligenter exercens, hæc illi ſẽper imperare de induſtria procurabit, quæ ſenſerit animo eius eſſe contraria. Multis ſiquidẽ experimẽtis edocti, tradunt Monachũ & maximè iuniores, ne voluptatem quidem concupiſcentiæ ſuæ refrenare poſſe, niſi prius mortificare per obediẽtiam ſuas didicerint voluntates. Ideoque pronunciant

Lib. 4. de inſtit. monaſt. c. 8.

In quibus exercendus potiſſimum Nouitius.

nunciant nullatenus præualere, vel iram, vel triſtitiam, vel ſpiritum fornicationis exſtinguere, ſed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatem perpetuam, nec firmam diuturnámque poſſe retinere concordiam, ſed nec in cœnobio quidem diutius permanere eum, qui priùs voluntates ſuas non didicerat ſuperare. Habet autem hæc propriæ voluntatis derelictio difficultatem & laborem, quæ ſunt dura & aſpera nouitio prædicanda, ideò aptè ſubdit S. Benedictus.

Prædicentur ei dura, & aſpera, per quæ itur ad Deum.

Quia *anguſta* enim *porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniant eam.* Quemadmodum igitur Apoſtolus prænunciat Theſſalonicenſibus cauſa religionis Chriſtianæ tribulationes impendere: Ita Nouitijs Monachis dura & aſpera ſunt commendanda & proponenda; vt nimirum ab initio his aſſueſcant, & toto vitæ ſuæ tempore ad ea parati ſint. Non enim exiſtimandum eſt, quod exerceatur Nouitius ad dura & aſpera in eum ſolum finem vt experimentum capiatur de ſpiritu, quo accedit & ſuſcipere cupit religionem, an ſcilicet ex Deo ſit: ſed etiam vt his aſſuefactus in nouitiatu, per totum vitæ ſuæ decursũ, ad ea ſubeũda ſit paratus. Neque enim vlla humanæ vitæ pars, & maximè & religioſi, immunis eſt à laboribus & aduerſis. Deinde abſurdum foret, ſi quis initio ętatis & conuerſionis ſuę ſit obediens, humilis, patiens, manſuetus, modeſtus

Matth. 7.

1. Theſ. 3.

Cur nouitijs dura & aſpera prædicanda.

ſtus &c: poſtea verò rebellis, ſuperbus, impatiēs iracūdus &c. inueniretur. Tales enim Paulus reprehendens, ait: *Sic ſtulti eſtis, vt cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſumemini?* Quin potius vice verſa cum annis ipſam quoque virtutem ita adoleſcere & creſcere decet, vt exactâ & conſummatâ iam ætate, virtus quoque cumulata ſit, & perfecta. Hinc enim Senectus venerabilis, quia ſanctis exculta & ornata virtutibus.

Gal. 3.

Et ſi promiſerit de ſtabilitate ſuâ perſeuerantiam, poſt duorum menſium curriculum legatur ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei. Ecce lex, ſub qua militare vis: ſi potes obſeruare, ingredere; ſi verò non potes, liber diſcede. Si adhuc perſtiterit, tunc ducatur in ſupradictam cellam nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et poſt ſex menſium curriculum relegatur ei regula, vt ſciat ad quod ingreditur. Et ſi adhuc ſtat, poſt quatuor menſes iterum relegatur ei eadem regula. Et ſi habitâ ſecum deliberatione promiſerit ſe omnia cuſtodire, & cuncta ſibi imperata ſeruare,

Hoc eſt, ſi ex præſcripto regulæ trina examinatione tentatus, tollerantiæ & perſeuerantiæ

ſuæ virtute oſtendit ſe promptum ad ſeruandum ea, quę ſunt regulæ & Ordinis; tunc ſuſcipiatur in congregatione, & publicâ profeſſione in corpus eius tranſeat. Ex trinâ autem hac examinatione diſtinctis vicibus & temporibus facienda (prima ſcilicet duobus menſibus expletis in probatione; ſecunda iterum ſex alijs menſibus euolutis; Tertia, poſt alios quatuor, qui omnes ſimul duodecim ſunt, & annum conficiunt) colligitur quod S. Benedictus probationem nouitij ante profeſſionem noluerit annum breuiorem eſſe, iuxta morem antiquorum monachorum, quem inſinuat Caſſianus lib. 4. de inſt. monaſt. cap. 7. & confirmatur auctoritate Concilij Tridentini ſeſſione 25. cap. 15. de regul. & monial. ſupra citatis. Expleto autem anno probationis ad profeſſionē (niſi quid obſtet admitti) poteſt. Vnde ſic Caſſianus: Cum, inquit, integro anno deſeruiens abſque vlla querela ſuum circa peregrinos (tunc enim in miniſterio peregrinorum probabantur nouitij) exhibuerit famulatum, imbutus per hoc prima inſtitutione humilitatis ac patientiæ, atque in ea longa exercitatione prȩcognitus, admiſcendus ex hoc congregationi fratrū, quod fit ſolemni profeſſione religioſorum. De qua admixtione ſic deinceps S. Benedictus.

Tunc ſuſcipiatur in congregatione.

Solemnem hanc admiſſionem & profeſſionem religionis non poſſe fieri ante annū ætatis 16. cōpletum, *Profeſſio non poteſt fieri ante annum 16. completum.*

pletum, conſtat ex conſtitutione Concilij Trid. paulò ante citata. Hinc ſequitur, ſi ætas 16. compleatur anno biſſexto 24. Februarij, non ſufficere vigeſimum quartum priorem, ſed addendum eſſe alterũ: bis enim tunc vigeſimus quartus numeratur, & bis dicitur, ſexto Calendas: vnde etiam annus biſſextus nomen accepit.

Sciens lege regulæ conſtitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monaſterio, nec collum excutere de ſub iugo regulæ, quam ſub tam moroſa deliberatione licuit excuſare.

Lege religionis monaſticæ conſtitutum eſt, vt qui publico, & ſolemni voto ſemel religionem ſuſcepit, deinceps deſerere non poſſit. Eſt enim vita monaſtica quoddam holocauſtum (vt dictũ eſt ſupra cap. 1. Reg. ex D. Gregorio) quò Religioſus non aliquot dies aut annos, ſed omne tẽpus vitę ſuæ Deo offert & conſecrat.

Suſcipiendus autem, in oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, & conuerſione morum ſuorum & obedientia coram Deo & ſanctis eius, vt ſi aliquando aliter fecerit, à Deo ſe damnandum ſciat quem irridet. De qua promiſſione

ſua

ſua faciat petitionem ad nomen ſanctorũ, quorum reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſentis. Quam petitionem manu ſuâ ſcribat: aut certè ſi non ſcit litteras, alter ab eo rogatus, ſcribat, & ille nouitius ſignum faciat: & manu ſua eam ſuper altare ponat. Quam cùm poſuerit, incipiat ipſe nouitius mox hunc verſum: Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum, & viuam, & ne confundas me ab expectatione mea. Quem verſum omnis congregatio tertiò reſpondeat, adiungentes Gloria patri. Tunc ipſe frater nouitius proſternatur ſingulorum pedibus, vt orent pro eo: & iam ex illa hora in congregatione reputetur.

Deſcribit formam profeſſionis, quæ frequenti vſu notior eſt, quàm vt explicatione egeat. Notandum tamen eſt hoc pertinere ad maius robur ipſius profeſſionis, quod dicit, petitionem, hoc eſt, chirographum ſeu ſcripturam profeſſionis, faciendam eſſe ad nomen ſanctorum, quorum reliquię ibi aſſeruantur, & ad nomen Abbatis: ne, ſcilicet, profeſſio vmquam impiè deſeratur aut violetur, quæ tantis coram teſtibus facta eſt: neque enim inſtitutum tam graue, tantique momenti, breuiter ſuſcipiendum eſt. Vnde profitens (teſte

(teſte Smaragdo) ſic Conuentui olim dicebat: Et vt profeſſionis meę petitio à vobis firmiter teneatur, ad nomen ſanctorum, quorum reliquiæ hic continentur, & præſentis Abbatis conſcriptam trado in perpetuum habendam, & manu meâ roboratam ſuper altare pono in hoc monaſterio perenniter reſeruandam. Et S. Bernardus de Abbate: Teſtis, inquit, adhibetur Abbas, non dictator profeſſionis; adiutor, non fraudator adimpletionis; vindex, non auctor pręuaricationis. Chirographum autem ſeu ſcripturam, qua formam ſuę profeſſionis comprehendit, petitionem vocare videtur, propterea, quod hac poſitâ ſuper altari, ſtatim hanc petitionem & ſupplicationem ad Deum facit. Vt ipſe tamquam communitatis præſes, Dominus ac Pater ſe in eam admittat, dicens: *Suſcipe me Domine &c.*

Forma profeſſionis antiquitus ornata.

Epiſt. 7.

Quid per petitionem ſignificatur.

Res ſi quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta ſolemniter donatione conferat Monaſterio, nihil ſibi reſeruans ex omnibus: quippe qui ex illa die, nec proprij corporis poteſtatem ſe habiturum ſciat.

Ex eo quod Dominus dicit; *Vade; & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, colligit S. Baſilius, eum, qui ſtatuit omnia ſua relinquere, vt nudus nudum ſequatur Chriſtum, non debere ea cognatis ſuis relinquere; nec ea tamen negligere: quia neutrum, inquit, periculo vacat: ſed veluti

Matth.
Reſp. 9. in Reg.

rem

rem Deo cõſecratam ſummâ cum religione ſiue per ſe, ſiue per alios, quos ad hoc expertus eſt, & nouit fideles & induſtrios, diſtribuere. Atque adeò nec vſibus quidem cænobij profuturas ſuſcipere ab eo pecunias acquieſcebant antiqui Monachorum Patres, referente Caſſiano: Ne, inquit, confidentia huius oblationis inflatus, nequaquam ſe pauperibus fratribus coæquare dignetur &c. Ideo hortatur S. Auguſtinus eos, qui communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerint, ne extollantur, nec de ſuis diuitijs magis ſuperbiant, quia eas monaſterio partiuntur, quam ſi eis in ſæculo fruerentur. Et quid prodeſt, inquit, diſpergere dando pauperibus, & pauperem fieri, cum anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contemnendo, quam fuerat poſſidendo? Peſſimo igitur hoc ſuperbiæ vitio curato, iſte antiquorum Patrum mos Canonum auctoritate mutatus eſt, & conſtitutum, vt eidem monaſterio, in quò profitentur, ſua bona relinquant, teſte S. Gregorio: Quia ingredientibus monaſterium, inquit, conuertendi gratia, vlterius nulla ſit teſtandi licentia, ſed vt res eorum eiuſdem monaſterij ſint, apertâ legis definitione decretum eſt. Et S. Auguſtinus: Qui aliquid habebant, inquit, in ſæculo, quando ingreſſi ſunt monaſterium, libenter velint illud eſſe commune. Eſt autem conſtitutio hæc rationi valde conſentanea. Primùm, quia par non eſt, vt dum quis ſe totum mancipat obſequio diuino, res ſuas faciat ſeruire mundo: & qui corpus ſuum tradit ad pænitentiam, bona ſua relinquat ſæcularibus ad luxum. Poſtulat enim ratio, vt non

Lib. 4. de inſt. monaſt. cap. 4.

Cap. 5. Reg

L. 7. Reg. ep. 7.

Cur bona ſua nouitius rectè det Monaſterio, quod ingreditur.

non ſolum ſe, ſed etiam omnia ſua Deo ſeruire faciat. Secundò, quia cum in monaſterio viuere, & ab eo alimenta percipere cupiat, par eſt, vt illi potiùs res eius cedant, quàm alijs, quibus nihil debet, & à quibus nihil expectat. Tertiò, quia cùm ſit conſilium Chriſti, vt dentur pauperibus, nullis pauperibus conuenientiùs dari poſſunt, quàm ijs, qui ſunt pauperes ſpiritu, quorum eſt regnum cęlorum; & qui poſſunt recipere in æterna tabernacula, quales ſunt Religioſi. Deinde quia ſic augetur cultus diuinus, & numerus Deo ſeruientium. Suffragatur regulæ auctoritas cap. 59. permittentis vt nobiles volentes facere eleemoſynam Monaſterio pro mercede ſua, faciant ex rebus, quas dare volunt monaſterio, donationem, reſeruato ſibi, (ſi ita voluerint) vſufructuario.

Mox ergo in oratorio exuatur rebus proprijs, quibus veſtitus eſt, & induatur rebus Monaſterij. Illa autem veſtimenta, quibus exuitur reponantur in veſtiario conſeruanda: vt ſi aliquando, ſuadente diabolo, conſenſerit vt egrediatur de Monaſterio (quod abſit) tunc exutus rebus monaſterij, proijciatur. Illam tamen petitionem, quam deſuper altare Abbas tulit, non recipiat, ſed in Monaſterio reſeruetur.

Olim

Olim (vt dictum eſt ſupra cap. 28. Regulæ) maleuoli & contumaces monaſterij eijciebantur etiam profeſſi, ne recti & ſimplices eorum vitijs inficerentur. Et in eum finem veſtes eorum ſæculares cuſtodiebantur. Sed nunc iſte mos mutatus eſt, ſicut ibidem declarauimus, ne ſcilicet quidã ſalutis ſuę immemores, hoc prætextu ad ſæculũ, velut ſus ad volutabrum luti, redeant. Cùm igitur olim in habitu ſuo ſæculari expellebantur, petitionem tamen, quam deſuper altare Abbas tulerat, non recipiebant, ſed in monaſterio reſeruabatur: vt per eam (inquit Smaragdus) etiam illo nolente, ſi voluerit Abbas, poſſit iterum in monaſterium reducere; ibique ſubiectũ tenere: aut ſi fortè dixiſſet, eſſe ſe non monachũ, ab illa petitione victus in monachatus redigeretur ſeruitium.

De filijs nobilium, vel pauperum quomodo ſuſcipiantur.

CAP. LIX.

Si quis fortè de nobilibus offert filium ſuum Deo in Monaſterio: ſi ipſe puer minori ætate eſt.

PRæſens capitulum olim locum habuit quando pueri & minorennes in monaſteria à parẽtibus

tibus tradebantur; vt ibi ad religionem informarentur (vt oſtendimus ſupra cap. 30. Reg. ex S. Baſilio) ad imitationem Annæ, quæ filium ſuum
1. *Reg.* 1. Samuelem adhuc infantulum obtulit Heli ſacerdoti in Sylo, & perpetuo Dei ſeruitio cõſecrauit, dicens: *Ego commendaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commendatus Domino*. Hortatur enim
Lib. 3. *aduerſus vitup. vitæ Monaſt.* D. Chryſoſthomus parentes, vt ad huius exemplum filios ſuos, in ipſis ſtatim ætatis initijs erudiendos tradãt Monachis, qui eos regere & moderari ſciant. Huiuſmodi autem filiorum oblatio ſolemni quadam profeſſione à parentibus fiebat, & proprio chyrographo eam cõfirmabant. Nam dicit S. Benedictus:

Parentes eius faciant petitionem, quã ſupra diximus, & cum oblatione ipſam petitionem & manum pueri inuoluant pallâ altaris, & ſic eum offerant. De rebus autem ſuis, aut in præſenti petitione promittant ſub iureiurando, quia numquam per ſe, numquam per ſuſpectã perſonam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occaſionem habendi. Vel certè ſi hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemoſynam Monaſterio pro mercede ſua; faciant ex rebus, quas dare volunt Monaſterio, donationẽ,

re-

reſeruato ſibi, ſi ita voluerint, vſufructuario. Atque ita omnia obſtruantur, vt nulla ſuſpicio remaneat puero, per quam deceptus perire poſsit (quod abſit) quod experimento didicimus. Similiter autem & pauperiores faciant. Qui verò ex toto nihil habent, ſimpliciter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium ſuum coram teſtibus.

Hæc autem puerorum deuotio & oblatio ſic facta cap. 58. rata erat & firma ex parte parentum, ita vt eam infringere non poſſent: qui oblationem factam firmabant, & manum pueri palla altaris inuoluentes, ſignificabant & declarabant ſe filios abſolutè Deo & eius miniſterio cõſecrare, nihilque iuris aut poteſtatis in filios ſibi reſeruare. Vnde S. Baſilius, qui ſub parẽtibus sũt &c. *Cap. 15. Reg. F.* Pueris tamen eam deſerendi, vel tenendi libertas relinquebatur, donec ad annos diſcretionis venerant. Neque enim profeſſio ante hos annos (ne tunc quidem) rata erat, vt colligitur ex S. Baſilio dicente: Vbi rationis vſus acceſſerit, & habitum illum rerum diiudicandarum ætas maior attulerit, admittenda eſt virginitatis profeſſio, tamquam firma iam, & eiuſmodi, quæ à proprio conſilio, iudicioque proficiſcatur, ratione iam probè adultâ. Verũ quia mos iſte offerẽdi pueros, iam exoleuit, quemadmodũ oſtendimus ſupra c. 30. Regulę, ideo pluribus ad huius

Ante diſcretionis annos olim nõ acceptabatur profeſſio.

loci

loci declarationem opus eſſe non videtur. Demum S. Benedictus periculo alieno edoctus, quã periculoſa, & à paupertate monaſticâ alienâ ſint munera, etiam à parentibus: mandat, nobiles & diuites iureiurando conſtringendos, ne filijs ſuis monachis, ſub vllo prætextu aliquid largiãtur, ne peculij alicuius poſſeſſione, vel vſurpatione, paupertatis votum violent; ſed ipſis communis vita, in victu & veſtitu ſufficiat, qui communitatis ſocietatem elegerũt. Similiter etiam pauperiores, hoc eſt, mediocres iureiurando à munerum largitione coercendi ſunt; & ſi quid offerre volunt, id non ſigillatim filijs ſuis, ſed generatim communitati dent. Inopes autem, à quibus nullum eſt periculum munerum, petitionem facient coram teſtibus, qui loco & tempore (ſi opus foret) filium Deo, & diuino cultui oblatũ, & conſecratum teſtentur. De quibus teſtibus, inquit, S. Baſilius cap. 15. Reg. F. Qui ſub parentibus ſunt &c. Ex qua conſtitutione S. Patris Benedicti, certò colligitur, quod monaſteria, non tantum diuitibus, ſed etiam pauperibus ad religionem idoneis patere debeant, vt videlicet (inquit S. Baſilius cap. 15. Reg. F.) qui orbati parẽtibus ſunt, eos noſtrapte ſponte ipſos aſſumamus, exemplo Iob, parentes pupillorum ſimus. Salua tamen conſtitutione Concilij Trid. ſeſſione 25. de regularibus cap. 3. Vt is tantum numerus religioſorum conſtituatur, qui vel ex reditibus proprijs Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.

De

De Sacerdotibus, qui voluerint in Monaſterio habitare.

CAPVT LX.

Si quis de ordine Sacerdotum in Monaſterio ſe ſuſcipi rogauerit, non ei citiùs quidem aſſentiatur. Tamen ſi omnino perſtiterit in hac ſupplicatione, ſciat ſe omnem regulæ diſciplinam ſeruaturum, nec aliquid ei relaxabitur, vt ſit ſicut ſcriptum eſt: Amicè ad quid veniſti? Matt. 26.

STATVIT quomodo admittantur, & recipiantur ſacerdotes, & cæteri clerici, qui deſiderio perfectius ſeruiendi Deo, è ſæculo ad monaſteria veniunt: nimirum vt idem ordo, & modus in difficultate ingreſſus, in rigore probationis, & forma profeſſionis ſeruetur ipſis, quem ſuprà cap. 58. præſcripſit.

Concedatur ei poſt Abbatem ſtare.

Scilicet, ante eos, qui necdum ſunt Sacerdotes, quamuis tempore, & ordine conuerſionis ipſis

ſint priores. Sacerdotium enim rationabilis cauſa eſt, propter quam Abbas vnum alteri poſſit præponere, quemadmodum dictum eſt capit. 2. Regulæ. Quibus tamen (inquiunt patres Caſſinenſes) propter hoc non intendimus præiudicare quoad tempus profeſſionis. Nam vbi illi ad Sacerdotij gradum quoque peruenerint, tunc priſtinum locum, & ordinem profeſſionis ſuæ recipiunt. Quemadmodum hodie apud nos fieri videmus.

Et benedicere, aut Miſſas tenere; ſi tamen iuſſerit ei Abbas. Sin aliàs; nullatenus aliquà præſumat, ſciens ſe diſciplinæ regulari ſubditum.

Communes benedictiones in templo, in menſâ dare ei permittitur; Item miſſæ officium peragere, ſi tamen ei iuſſerit Abbas: cuius nimirum eſt diligenter conſiderare, quis dignè diuino hoc munere fungatur. Inhibemus etiam plerumque (inquiunt patres Caſſinenſes) præfatis ſacerdotibus celebrationem miſſarum ad tempus, vt ex hoc eorum humilitas comprobetur, & vt eam etiam melius addiſcant: & tunc ipſi communicent cum Clericis.

Et magis humilitatis exemplar omnibus det.

Eccleſ. 3. Quia *quanto magnus es* (inquit Sapiens) *humilia te in omnibus.*

Si

Si fortè ordinationis, aut alicuius rei cauſa fuerit in Monaſterio, illum locum attendat, quando ingreſſus eſt monaſterium, non illum, qui ei pro reuerentiâ ſacerdotij conceſſus eſt. Clericorum autem ſiquis eodem deſiderio Monaſterio ſociari voluerit, loco mediocri collocetur; ſi promittit tamen ipſe de obſeruatione regulæ, vel propria ſtabilitate.

Quaſi dicat ſi fortè cauſa ſacerdotij in officio, aut dignitate aliqua conſtituatur, non propterea animo extollatur, nec ſuperbiat, ſed ita demiſsè ſe gerat, ne de primâ ſuâ humilitate quicquam remiſiſſe videatur: quia, *quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Eccleſ. 3.

 De mo-

De Monachis peregrinis quomodo ſuſcipiantur.

CAPVT LXI.

Si quis Monachus peregrinus de longinquis prouincijs ſuperuenerit, ſi pro hoſpite voluerit habitare in Monaſterio, & contentus fuerit conſuetudine loci, quam inuenerit, & non fortè ſuperfluitate ſuâ perturbat Monaſterium; ſed ſimpliciter contentus eſt quod inuenerit; ſuſcipiatur quanto tempore cupit.

ET *contentus fuerit conſuetudine loci*, ſcilicet in cibo (inquit Smaragdus) in potu, veſtimento, ſiue in laboribus, vel in aliarum rerum monaſterij conſuetudinibus: nec ſuperfluitate ſuâ conquerendo ſcilicet aut repræhendendo perturbat monaſterium, ſuſcipiatur quanto tempore cupit.

Si qua ſanè rationabiliter, & cum humilitate charitatis repræhendit, tractet Abbas

Abbas, ne fortè ad hoc ipſum Dominus eum direxerit. Si verò poſtea voluerit ſtabilitatem ſuam firmare, non renuatur talis voluntas; & maximè, quia tempore hoſpitalitatis potuit eius vita dignoſci. Quod ſi ſuperfluus, aut vitioſus repertus fuerit tempore hoſpitalitatis, non ſolùm non debet ſociari corpori Monaſterij; verùm etiam dicatur ei honeſtè vt diſcedat, ne eius miſeriâ etiam alij vitientur.

Hoc (inquit Smaragdus) de ſeruitio Dei, & obſeruationibus regulæ cuſtodiendis præceptis Domini dicit. De quibus omnibus ſi cum charitate aliquid repræhenderit hoſpes, aut emendare iuſſerit, libenter audiatur, & quę emendanda ſunt, citiùs emendentur: quia operanto Domino alius frequenter per alium emendatnr.

Quod ſi non fuerit talis, qui mereatur proijci; non ſolum ſi petierit, ſuſcipiatur congregationi ſociandus; verum etiam ſuadeatur, vt ſtet, vt eius exemplo alij erudiantur, & quia in omni loco vni Domino ſeruitur, vni regi militatur. *Pſalm. 2.*

Si religioſæ ſit conuerſationis, & boni exem-

Paulus diaconus Neapolit. in vita Mariæ Ægyptiacæ.

pli ſuadendum ei eſt, vt maneat. Cuius rei exemplum legimus de Zozima Abbate, quem monitu Dei, & ductu ſancti Angeli ingreſſum monaſterium quoddam iuxta Iordanem fluuium ad ſtabilitatem inuitauit Abbas his verbis: Quia Chriſti charitas te videre noſtram paupertatem inuitauit, commane nobiſcum, ſi pro hoc ad nos te adiungere feſtinaſti. Simul omnes nos ſatiabit Chriſti Dei gratia, idemque paſtor bonus, qui tradidit animam ſuam pro noſtra redemptione, vocauitque oues ſuas nominatim. Hæc cum diceret Zozimas humi faciem ſuam inclinauit, oranteſque pariter, celebrata oratione, dixerunt, Amen.

Quem ſi etiam talem eſſe perſpexerit Abbas, liceat eum in ſuperiori aliquantulum conſtituere loco. Non ſolum autem Monachum, ſed etiam de ſupra ſcriptis gradibus ſacerdotum, vel clericorum, ſtabilire poteſt Abbas in maiori, quam ingreditur loco; ſi eorum talem perſpexerit eße vitam.

Sine perſonarum acceptione honorandus Dei ſeruus.

Imo ſi Abbas peregrinum talem experiatur, qui altiorem locum mereatur, eum promoueat. Vitam enim ſanctam (inquit Smaragdus) atque probatam exaltari oportet in monaſterio, non nobilem perſonam, non ſecundum generoſitatem parentum, vel veſtimentorum cultum; ſed ſecundum vitæ meritum honorandus eſt Dei ſeruus.

Caueat

Caueat autem Abbas, ne aliquando de aliquo noto Monaſterio monachum ad habitandum ſuſcipiat ſine conſenſu Abbatis eius, aut litteris commendatitijs; quia ſcriptum eſt: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Tob. 4. Marc. 7.

Vetat autem S. Benedictus admitti, & recipi alienum Monachum de noto Monaſterio. De vicino (inquit S. Bernardus) prohibet, quod iubet de peregrino; ne vicinitas inter monaſteria fomes ſcandali, rixæ materia ſit, ſi alterutrum monachos accipere acquieuerint abſque mutuo dumtaxat conſenſu. Ideo ipſe S. Bernardus omnibus peregrinis monachis ad ſe venientibus primùm ſuaſit reditum ad ſuos, & ad ſtabilitatem in loco ſuæ profeſſionis: pulſantes autem, & importunè inſtantes de notis monaſterijs cum proprij Abbatis ſeu ſuperioris aſſenſu ſuſcepit, vt patet ex epiſtolis eius 252. & 293. Quanto autem ſtudio, quantâ ſuâ demiſſione, & humiliatione ſeſe excuſauerit Aluiſio Abbati Aquiſcintenſi, quod Goduinum eius monachum rogantem, pulſantem, ſupplicantem quidem; verùm ſine Abbatis ſui emancipatione, & dimiſſione recepiſſe videretur, oſtendit epiſt. eius 65. De ignoto Monaſterio venientem etiam ſine commendatitijs ſeu dimiſſorijs litteris recepiſſe videtur Monachum quendam Flauiacenſem. Cuius nos, inquit, videntes conſtantiam, audientes cauſam, De præcep. & diſpenſ. Epiſt. 67. 68

& nullam contra eum calumniam, annuimus introitum, probauimus ſuſceptum, aſtrinximus probatum, tenemus profeſſum; nec intrare compulimus, nec exire cogemus.

De Sacerdotibus Monaſterij.

CAPVT LXII.

Si quis Abbas ſibi preſbyterum, aut diaconum ordinari petierit de ſuis eligat qui dignus ſit ſacerdotio fungi.

IDEO volumus (inquiunt patres Caſſinenſes) quod patres monaſteriorum vnà cum ſenioribus prius diligentèr ad ſacros ordines, maximè vero ad ſacerdotium promouendos examinent ſuper ſufficientia, & litteratura, moreſque & vitam attentius conſiderent. Et ſi (humana tamen fragilitate conſiderata) fuerint iudicati idonei officium implere ad quod aſſumuntur: conſiderato quod in monachis, qui curam non habent animarum, non exigitur tanta ſufficientia, quanta in alijs, qui hanc curam habent.

Ordinatus autem caueat elationem aut ſuperbiam, nec quicquam præſumat

mat niſi quod ei ab Abbate præcipitur. Sciens ſe multò magis diſciplinæ regulari ſubditum. Nec occaſione Sacerdotij obliuiſcatur regulæ obedientiam, & diſciplinam; ſed magis, ac magis in Deum proficiat.

Eruditio regularis diſciplinæ (inquit Smaragdus ad capit. 60. Regulæ) in præceptis eiuſdem regulæ cuſtodiendis, & in caſtigationibus, & in increpationibus, & in varijs iudicijs conſtat. Sacris autem initiatus exiſtimare non debet, quòd dignitas ſacerdotij eum abſoluat, & liberet à lege, & obſeruatione regulæ, ſed ſacerdotij cauſa diligentius atque perfectius regulæ præcepta ſeruare debet; & ſi illa tranſgrediatur non liber à regulari caſtigatione erit, ſed acrius etiam corripendus. Quo enim gradus eſt altior, eo caſus grauior: tum ratione ſcandali, & mali exempli, quod magis noxium eſt à ſacerdote, quam à minore; tum ob violationem maioris dignitatis, & ordinis, quem gerit. *In quo conſiſtat diſciplina regularis.*

Locum verò illum ſemper attendat, quo ingreſſus eſt Monaſterium, præter officium altaris.

Quaſi dicat, meminerit quanta cum humilitate ad monaſterium venerit. Meminerit, quod noviſſi-

nouiſſimum inter religioſos locum non recuſauit, ſed gratulabundè accepit. Huius igitur loci meminerit, hunc teneat, *præter officium altaris*, hoc eſt, inquit, Smaragdus, niſi quando altario miniſtrat. Altario enim aſſiſtens primus ſtat, ſacrificat, & primus pro omnibus orat, etiamſi vltimus inueniatur in ordine. Et ideo nec locus ibi cuſtodiendus eſt, nec ordo tenendus.

Et ſi fortè electio congregationis, & voluntas Abbatis, pro vitæ merito eum promouere voluerit. Qui tamen regulam à Decanis, vel præpoſitis conſtitutam ſciat ſe ſeruare. Quod ſi aliter præſumpſerit, non ſacerdos, ſed rebellio iudicetur. Et ſæpè admonitus ſi non correxerit, etiam Epiſcopus adhibeatur in teſtimonium. Quod ſi nec ſic emendauerit, clareſcentibus culpis, proijciatur de Monaſterio: ſi tamen talis fuerit eius contumacia, vt ſubdi, aut obedire regulæ nolit.

Hoc eſt, ſi communi conſenſu fratrum, & voluntate Abbatis ad officium vel dignitatem promoueatur, cuius ratione alios antecedat. Quomodo contumax, & incorrigibilis proijciatur de Monaſterio vide explicatum ſupra cap. 28.

De

De ordine congregationis.

CAPVT LXIII.

Ordines ſuos in monaſterio ita conſeruent, vt conuerſionis tempus, & vitæ meritum diſcernit, vtque Abbas conſtituerit. Qui Abbas non conturbet gregem ſibi commiſſum, nec quaſi liberâ vtens poteſtate, iniuſtè diſponat aliquid; ſed cogitet ſemper, quia de omnibus iudicijs, & operibus ſuis redditurus eſt Deo rationem. Ergo ſecundùm ordines, quos conſtituerit, vel quos habuerint ipſi fratres ſic accedant ad pacem, ad communionem, ad Pſalmum imponendum, in choro ſtandum. Et in omnibus omninò locis ætas non diſcernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel, & Da- 1. Reg. 2. Daniel. 13. *niel pueri præſbyteros iudicauerunt. Ergo exceptis his, quos (vt diximus) altiori conſilio Abbas pertulerit, vel degradauerit*

dauerit certis ex cauſis, reliqui omnes vt conuertuntur ita ſint. Vt (verbi gratia) qui ſecunda diei hora venerit in Monaſterium, iuniorem ſe nouerit illius eſſe qui prima diei hora venit, cuiuſlibet ætatis, aut dignitatis ſit.

STATVIT vt omnes Religioſi, ad confuſionem in congregatione, & diſſentionem euitandam, ſemper, & vbique communiter, & ordinariè locum teneant, ſecundum ordinem, & tempus conuerſionis ſuæ. Vnde B. Fructuoſus citatus hic à Smaragdo: Qui primus, inquit, in monaſterio conuerſus fuerit, primus ambulet, primus ſedeat, primus eulogiam accipiat, primus communicet in eccleſia, primus loquatur cum interrogantur fratres, pro aliqua quæſtione, prior pſalmum dicat in choro, primus conſiſtat: hebdomadam prior faciat, manum in menſa prior extendat. Hoc perpetuum eſt in Monaſterio, niſi ob vitæ meritum aliquem alijs extraordinariè Abbas præponat; aut aliquem ad iuſtam, & debitam peccati ſui punitionem, iunioribus ſuis poſtponat: nam ordinis, & loci iſtam mutationem (legitimâ exiſtente cauſa) in poteſtate Abbatis conſtituit, aut conſtitutam eſſe ſignificauit S. Benedictus non ſemel, neque hic tantum, ſed ſæpiùs, vtpote ſuprà capit. 2, 60. & 61. Regulæ. Cui conſentit

Loci mutatio ſecūdum vitæ meritum in Abbatis eſt poteſtate.

Reſp. 170. *in Reg. B.*

ſentit doctrina Baſilij dicentis, quod digniore loco habendi ſunt illi, quorum in rectè factis maior viget induſtria. Quod, inquit, in presbyteris Apoſtolus præcipit cum dixit: *Qui benè præſunt præsbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* Hoc rectum arbitror vt in omnibus, qui iſtiuſmodi ſunt ſeruetur. Deinde addit: Si, inquit, inferior doleat, præſtantiorem in pietate ſibi anteponi, is in parabola Euangelij manifeſtè malignitatis damnatur: in qua parabola Dominus ait ad eos qui ægrè tulerant quoſdam pari præmio ſecum fuiſſe affectos: *An oculus tuus malignus eſt, quia ego bonus ſum?* Notandum verò quod nuſquam abſolutè, & ſine adiunctione ordo, & locus Religioſorum in Abbatis voluntate conſtituitur (quia ſi pro voluntate, & libitu non pro ratione alium alij præponit, & ordinem ſuæ congregationis inuertit, conturbat gregem ſibi commiſſum, & terrorem iudicij ſui exaggerat): ſed vel rationabilem ob cauſam, vel ob ſingulare vitæ meritum. Quem igitur perſpexerit Abbas magnis virtutibus præditum, rectæ vitæ exemplis, ſpectatum doctrinâ, ſapientiâ, morum probitate, ac modeſtia præſtantem, alijſque animi tot tantiſque ornatum dotibus, vt altiore conſilio, & feriâ rei conſideratione adhibita, iudicet, quod talis cum maiore vtilitate totius Congregationis promouebitur, quam ſi in inferiore loco conſiſtat, eum rectè conſtituet priore loco. Videtur autem eiuſmodi promotio non fore tantum ad tempus, vt nimirum iunior Priorem ſuum, & ſeniorem loco antecedat, quando eius prudentia, eius induſtria, eius conſilio, &c. pro

1. Timot. 5.

Reſp. 171. in Reg. B.

Matt. 20.

Quos licet Abbati prouere ad altiora?

Promotio ad altiora non temporanea, ſed perpetua eſt.

pro re nata, & negotiorum neceſſitate, opus eſt, & poſtea ad priſtinum locum deſcendat: ſed perpetua non obſtante, quod ſuprà capit. 60. ex conſtitutione Patrum Caſſinenſium diximus; quod ex eo quod ſacerdós veniens ad monaſterium præponitur alijs (ſcilicet non ſacerdotibus) non præiudicatur illis, quo ad tempus profeſſionis: quia nimirum ij, qui poſtpoſiti erant, iam quoque ſacerdotes facti, priſtinum locum recuperant; quemadmodum hodie apud nos fit. Illic enim tantùm cauſa ſacerdotij iunior præponebatur, quæ cauſa non eſt propria nec perpetua; quia poſtpoſiti cum tempore ſacerdotes quoque fiunt: Hic autem agitur de cauſa peculiari, quæ nec ſucceſſu temporis in alijs inuenitur, vt eſt præcipua pietas, prudentia, doctrina ſingularis. Quod autem eiuſmodi promotio nonnumquam poſſit eſſe perpetua, colligi videtur ex eo quod dicit S. Benedictus ſupra cap. 61. poſſe Abbatem ſtabilire monachum, ſacerdotem aut Clericum in maiore loco quam ingreditur, nam ſtabilitas iſta non breuis, nec ad tempus videtur intelligenda; ſed perpetua & conſtans. *Si*, inquit, *eorum talem perſpexerit vitam eſſe*, vt ſcilicet eorum promotio vel ad religionis augmentum, vel aliter profutura ſit, verbi gratia ſit pius, prudens, doctus, zelum animarum habens, & idoneus ad docendum, ad ſalutaribus monitis informandum alios: hoc enim cum maiore auctoritate, & ideo quoque cum maiore fructu faciet, conſiſtens in ſuperiori loco erga ſibi inferiores, quam in inferiore erga ſibi ſuperiores.

Pueris

Pueris verò per omnia ab omnibus diſciplina teneatur.

Pueri autem quibus vſque ad intelligibilem ætatem diſciplinam tenendam mandat, intelligendi ſunt ij, de quibus egimus capit. 30. Intelligibilem enim ætatem initium capere expleto anno ætatis 14. & incipiente 15. clarè indicat S. Benedictus infrà capite 70. Regulæ, cum dicit: *Infantibus vero vſque ad decimum quintum ætatis annum, &c.* *Quæ intelligibilis ætas.*

Iuniores igitur Priores ſuos honorent, Priores Iuniores ſuos diligant.

Non hic honor (inquit Smaragdus) exigitur, ſed reuerentia expetitur verborum & morum.

In ipſa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare; ſed Priores iuniores ſuos, Fratres nominent, Iuniores autem Priores ſuos nonnos vocent, quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem quia vices Chriſti agere creditur, Domnus, & Abbas vocetur; non ſua aſſumptione, ſed honore, & amore Chriſti. Ipſe autem cogitet,

cogitet, & ſic ſe exhibeat, vt dignis ſit tali honore.

Hoc enim ad mutuæ charitatis conciliationem, & conſeruationem pertinet. Eſt namque fratrum mutuo diligere. Patris quoque nomen beneuolentiæ, & charitatis eſt. Ac propterea Religioſi iuniores prioribus ſeu ſenioribus ſuis hoc nomen amoris, quo ad beneuolentiam excitentur, attribuunt. Deinde patres vocantur, vt in honore, & reuerentia ſint iunioribus. Patri enim honor, & reuerentia à filio debetur dicente Do-
Malach. 1. mino: *Si pater ego ſum, vbi eſt honor meus?*

Vbicumque autem ſibi obuiant fratres, iunior à priore benedictionem petat: tranſeunte maiore, minor aſſurgat, & det ei locum ſedendi: nec præſumat iunior conſedere, niſi ei præcipiat ſenior
Rom. 12. *ſuus, vt fiat quod ſcriptum eſt: Honore inuicem præuenientes. Pueri verò vel adoleſcentes in oratorio, vel ad menſas cum diſciplina ordines ſuos conſequantur; foris autem vel vbiubi cuſtodiam habeant, & diſciplinam, vſque dum ad intelligibilem ætatem perueniant.*

Bene-

Benedictionis petitionem quam facit iunior à Priore ſibi obuiò, magis intelligimus (inquiunt Patres Caſſinenſes) ſigno, quam verbo; ideo per capitis inclinationem fiat.

De ordinando Abbate.

CAP. LXIV.

In Abbatis ordinatione illa ſemper cõſideretur ratio, vt hic conſtituatur, quem ſibi omnis cohors Congregationis ſecũdum timorem Dei, ſiue etiam pars, quamuis parua congregationis ſaniori conſilio elegerit: Vitæ autem merito, & ſapientiæ doctrina eligatur qui ordinandus eſt, etiamſi vltimus fuerit in ordine congregationis.

QVoniam à bono, probo, & prudente Abbate totius monaſterij proſpera pendere ſolet gubernatio, ideo S. Benedictus ſolicitè hoc agit, vt dignus & idoneus Abbas conſtituatur. dũ illum eligendi ac promouendi modum qui eſt optimus, & ſacris canonibus conſentiens, præſcribit. Ratio autem cur ab omni congregatione *Totâ cõgregatione eligendus Abbas.*

eligi debeat, eſt: quia expedit vt is, qui præficiẽdus eſt, religioſis ſit gratiſſimus, vt eo libentiùs illi pareant. Gratior autem eſt, qui ipſorum ſuffragijs electus eſt, quam qui ignotus, & inuitis fortè daretur, & obtruderetur. Ad electionem autem ſecũdum Canones omnes Religioſi, qui ſunt de Monaſterio, debent conuocari, exceptis excommunicatis excommunicatione maiore, laicis ſeu conuerſis, & Nouitijs religionem nõdum profeſſis. Omnes autem reliqui adeò neceſſariè conuocari debent, vt vel vno præterito & contempto reſcindi & infirmari poſſit electio, inquit ſummus Pontifex tit. de electione & electi poteſtate Cap. 36. Quia fortè ille vnus abſens ſi fuiſſet præſens, potuiſſet vel omnes vel maiorem partem in ſuam ſententiam pertrahere. Omnibus igitur iam in vnum coactis, ſinguli ſua ſuffragia in ſcriptis mandanda ferant. Poſtremò omnium ſuffragiorum collatione factâ, quem maior & ſanior pars inuenietur deſignaſſe, is communiter ab omnibus eligetur. Quia niſi fiat illa omnium ſuffragiorum collatio, electio eſt irrita cap. 50. eodem tit. Non enim eſt electio illa, qua ſinguli ſecreto aliquem nominant, ſed illa demum eſt electio, quam communiter faciunt de aliquo, publicato iam ſcrutinio Cap. 51. eodem. In qua communi electione, quem maior & ſanior pars inuenitur nominaſſe, is cenſetur electus. Maior pars eſt, vbi eſt maior eligentium numerus. Sanior pars ſpectatur ex eligentium auctoritate & zelo & merito ex electi. Auctoritas cõſiſtit in ætate, dignitatibus, & maioribus ordinibus eligẽtium. Zelus ex eo conijcitur, quod non elegerint conſanguineos aut affines, ſed elegerint pro meritis

Qui arcendi ab electione Abbatis.

Qua electio valida.

Qua maior pars.

Qua ſanior.

ritis

ritis electi. Et hæc omnia in collatione ſuffragiorum ponderanda & æſtimanda ſunt. Quando verò vtrumque, & maior ſcilicet pars, & ſanior conuenire non videntur, tunc ita ſanioris partis ratio habenda eſt, vt etiamſi vltimum in ordine Congregationis pro vitæ merito, & ſapientiæ doctrina elegerit, præualeat. Quia, (inquit D. Gregorius) ante Deum ille prioris obtinet locum, qui in eiuſdem oculis, etiamſi hic abiectus ſit, bonæ actionis inſtrumento placuerit.

Quod ſi etiam omnis congregatio vitijs ſuis (quod quidem abſit) conſentientem perſonam pari conſilio elegerit: & vitia ipſa aliquatenus in notitiam peruenerint Epiſcopi (ad cuius diœceſim pertinet locus ipſe) vel Abbatibus aut Chriſtianis vicinis claruerint, prohibeant prauorum præualere conſenſum, & domui Dei dignum conſtituant diſpenſatorem, ſcientes pro hoc ſe recepturos mercedem bonam, ſi illud caſtè & zelo Dei faciãt, ſicut è diuerſo peccatum, ſe negligant.

Quemadmodũ Patres Caſſinenſes: Hodie, inquiunt, ex indulto Apoſtolico tota noſtra Congregatio, & monaſteria exempta ſunt ab omni

Ordinariorũ iuriſdictione, & immediatè Apoſtolicę, ſedi ſubiecta: quamobrem nullo modo recurrendum eſt ad præfatos Ordinarios: ita & nobis de ordine Ciſterciẽſi vniuerſo dicere licet.

Lucæ 16. *Ordinatus autem Abbas cogitet ſemper quale onus ſuſcepit, & cui redditurus eſt rationem villicationis ſuæ: ſciatque ſibi oportere prodeſſe magis, quam præeſſe. Oportet ergo, eum eſſe doctum lege diuinâ, vt ſciat & ſit vnde proferat noua & vetera, caſtum, ſobrium, miſericordem, humilem, & ſemper ſuper-exaltantem miſericordiam iudicio, vt idem ipſe conſequatur. Oderit vitia, diligat fratres. In ipſa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis: ne dum nimis cupit eradere eruginem, frangatur vas. Suamque fragilitatem ſemper ſuſpectus ſit, memineritque, calamum quaſſatum non conterendũ.* *Iſa. 42.* *In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia: ſed prudenter & cum charitate ea imputet, prout viderit cuique expedire, ſicut iam diximus, & ſtudeat plus amari, quam timeri. Non ſit turbulentus*

&

& anxius, non ſit nimius, & obſtinatus, non ſit zelotypus, & nimis ſuſpicioſus: quia numquam requieſcit.

Non ſit zelotypus, quia numquam requieſcet. Zelotypus (inquit Smaragdus) dicitur zelo ſolicitudinis plenus, & ſuſpicionis typo repletus. Qui etiam ea quæ non fiunt, fieri in abſentia ſuſpicatur, & ea, quæ nemo committit, committi in abſentia pertimeſcit, & ideo ſpiritus eum numquam quieſcit. *Quis zelotypus.*

In ipſis imperijs ſuis ſit prouidus & cõſideratus, ſiue ſecundum Deum, ſiue ſecundum ſæculum ſint. Opera quæ iniungit, diſcernat, & temperet, cogitans diſcretionem ſancti Iacob dicentes: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die. Hæc ergo aliaque teſtimonia diſcretionis matris virtutum ſumens, ſic omnia temperet, vt & fortes ſint qui cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè vt præſentem regulam in omnibus conſeruet: vt dum bene miniſtrauerit, audiat à Domino, quod ſeruus bonus, qui erogauit triticum conſeruis ſuis in tempore ſuo: Amen dico vobis, ait, *Gen. ſ. 33.* *Luca 12.*

 ſuper

ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

Quæ imperia ſecūdum ſæculum, quæ ſecundū Deum.

Secundum ſæcula ſunt imperia, quæ pertinent ad temporalem adminiſtrationem, v. g. de fodiendo, arando, coquendo, fabricando &c: Secundum Deum ſunt, quæ pertinent ad ſpiritualem adminiſtrationem. v. g. de abſtinendo, vigilando, orando, meditando &c. Cætera, quæ ad declarationem præſentis Capituli pertinere poſſe videntur, in explicatione Cap. 2. Regulæ ferè dicta ſunt. Quibus loco corollarij addi poteſt quod dicit Diuus Gregorius: Perpendo, inquit, quod omni cura vigilandum eſt, vt rector cogitatione ſit mundus, operatione præcipuus, diſcretus in ſilentio, vtilis in verbo, ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, bene agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus. Quæ videlicet cuncta dum ſubtili ſtudio, & inquiſitione perſcrutor, ipſa me in ſingulis latitudo conſiderationis anguſtat. Hęc ille, & plura ibidem.

L. 4. Regiſt. Epiſt. 24.

Qualis rector.

De

De Præpoſito Monaſterij.

CAP. LXV.

Sæpius quidem contingit, vt per ordinationem præpoſiti, ſcandala grauia in Monaſterijs oriantur: dum ſint aliqui maligno ſpiritu ſuperbiæ inflati, exiſtimantes ſe ſecundos Abbates eſſe, aſſumentes ſibi tyrannidem, ſcandala nutriunt, & diſſenſiones in congregatione faciunt, & maximè in illis locis, vbi ab eodem ſacerdote, vel ab eiſdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipſis etiam & præpoſitus ordinatur. Quod quam ſit abſurdum, facilè aduertitur: quia ab ipſo initio ordinationis materia ei datur ſuperbiendi: dũ ei ſuggeritur à cogitationibus ſuis exutũ eum eſſe à poteſtate Abbatis ſui: quia ab ipſis eſt ordinatus, à quibus & Abbas. Hinc ſuſcitantur inuidiæ, rixæ,

detractiones, æmulationes, diſſentiones, exordinationes: vt dum cōtraria ſibi Abbas, præpoſituſque ſentiunt; & ipſorum neceſſe eſt, ſub hac diſſenſione animas periclitari: & hi qui ſub ipſis ſunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illis reſpicit in capite, qui talibus in ordinatione ſe fecerunt auctores. Ideóque nos præuidemus expedire propter pacis, charitatiſque cuſtodiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monaſterij ſui: & ſi poteſt fieri, per decanos ordinetur (vt antè diſpoſuimus) omnis vtilitas Monaſterij prout Abbas diſpoſuerit: vt enim pluribus committitur, vnus non ſuperbiat. Quod ſi aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter cū humilitate, & Abbas iudicauerit expedire; quemcumque elegerit cum conſilio fratrum timentium Deum, ordinet ipſe ſibi præpoſitum. Qui tamen præpoſitus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate ſuo ei iniuncta fuerint: nihil contra Abbatis voluntatem, & ordinationem faciens: quia quan-

quantum Prælatus eſt cæteris, tantum eū oportet ſollicitè obſeruare præcepta regulæ. Qui præpoſitus ſi repertus fuerit vitioſus, aut elatione deceptus ſuperbiæ, aut contemptor ſanctæ regulæ fuerit cumprobatus; admoneatur verbis vſque quater: ſi non emendauerit; adhibeatur ei correctio diſciplinæ regularis. Quod ſi neque ſic correxerit; tunc deijciatur de ordine præpoſituræ: & alius, qui dignus eſt, in locum eius ſubrogetur. Quod etſi poſtea in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de Monaſterio expellatur. Cogitet tamen Abbas ſe de omnibus iudicijs ſuis Deo redditurum rationem: ne fortè inuidiæ, aut zeli flamma vrat animam.

PRæpoſitus (vt colligitur ex S. Baſilio) conſtituebatur ad hoc, vt abſente Abbate vel ægrotante, vel aliter impedito, curam Conuentus gereret, & vnius conſilio fratres gubernarentur; deinde vt eſſet, qui accedentibus hoſpitibus prudenter reſponderet. Cuius poteſtas præſente & exoccupato Abbate ceſſaſſe intelligi poſſe videtur ex ſecunda parte conſtitutionum Patrum Congregationis Caſſinenſis cap.3. Notat autem hic S. Benedictus abuſus, qui ex ordinatione præpoſiti oriri ſolēt, & eos ne in poſterum fiāt, cauet. *Reſp. 45. in Reg. F.* *Officium præpoſiti.*

Verum

Verum quia nomẽ Præpoſiti in Ordine noſtro Ciſtercienſi locum non habet; & quia ipſe textus regulę per ſe clarus eſt, vel ex antè dictis facilè intelligitur, ideo plura de hoc capite dicere neceſſe non videtur.

De oſtiario Monaſterij.

CAP. LXVI.

Ad portam monaſterij ponatur ſenex ſapiens.

Sapien. 4. NOn tam ætate, quam morum maturitate: iuxta Sapientem: *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque numerò annorum computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.*

Qui ſciat accipere reſponſum & reddere: cuius maturitas eum non ſinat vagari. Qui portarius cellam debet habere iuxta portam: vt venientes ſemper præſentem inueniant, à quo reſponſum accipiant.

Hinc antiqui patres Monachorum dixerunt, (inquit Smaragdus) oſtiario cura ſit, vt omnes venien-

venientes intra ianuas recipiat, dans ei reſponſum honeſtum cum humilitate & reuerentiâ, nũtians Abbati vel ſenioribus, quis venerit, & quid petierit. Si quid verò cuicũque de fratribus miſſũ vel mandatum fuerit, nihil ad ipſum perueniat, priuſquam Abbati, vel Senioribus indicetur.

Et mox vt aliquis pulſauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias reſpondeat, aut benedicat, & cum omni manſuetudine timoris Dei reddat reſponſum, feſtinãter cum feruore charitatis. Qui portarius ſi indiget ſolatio, iuniorem fratrem accipiat.

Eleganter hic (inquit Smaragdus) duas venientium perſonas poſuit S. Benedictus, vnam potentis, quæ ſi ianuam Monaſterij inuenerit clauſam, manu vel fuſte pulſet eam: Aliam verò pauperis poſuit perſonam, quæ non pulſat, ſed tantum humiliter clamat ad ianuam. Quibus & ſatis apta à portario reſpondenda compoſuit reſponſa, videlicet vt potenti occurrens obuiam, humiliter ab eo benedictionem petat: voce verò pauperis audita, Deo gratias agat. Hæc ille. Qui dicit: Deo gratias (inquit S. Auguſtinus) gratias agit Deo. Vnde ſi non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem ſuum: non enim eſt locus gratulationis quando ſeinuicem vident, qui habitant in Chriſto? *In Pſal. 132*

Monaſte-

Monaſterium autem, ſi poßit fieri, ita debet conſtrui: vt omnia neceſſaria, id eſt, aqua, molendinum, hortus, piſtrinum, vel artes diuerſæ intra monaſterium exerceãtur: vt non ſit neceßitas monachis vagandi foras:

Vidimus (inquit S. Hieronymus) apud Thebaidam etiam Iſidori nominatiſſimum monaſterium, ampliſſimis ſpatijs circumſpectum, muroque circundatum. In quò habitantibus viris larga præbebãtur habitacula. Intrinſecus, putei plures, horti irrigui, omniumque pomorum, arborumque paradiſi, & quęcumque neceſſaria vſibus erant ſufficienter, & abundanter prouiſa, ob hoc, vt nulli monachorum habitantium intrinſecus neceſſitas vlla fuerit exeundi foras, ad aliquid acquirendum. Sic videmus antiquiora quoque & celebriora Ordinis noſtri Monaſteria, omnibus & præcipuis & maximè neceſſarijs officinis inſtructa.

Quia omninò non expedit animabus eorum.

Qui enim *tangit picem inquinabitur ab ea.* Vident Religioſi foris, & audiunt ſęcularia, vana, ne dicam, praua. Quid enim homines ſæculares niſi ſęcularia loquantur & agant? Tractant fabrilia

fabri-

fabri. Audiunt, inquam, foris, & vident quæ domi mentis quietem & vnitatem turbant & diſſipant, imò graues cogitationes concitant.

Hanc autem regulam ſæpiùs volumus in congregatione legi, ne quis fratrum ſe de ignorantia excuſet.

Sic & S. Auguſtinus Regulam ſuam concludens, ait: vt vos in hoc libello, tamquam in ſpeculo poſſitis inſpicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, ſemel in ſeptimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea, quæ ſcripta ſunt facientes: agite gratias Deo bonorum omnium largitori. Vbi autem ſibi quicumque veſtrum viderit aliquid deeſſe, doleat de præterito, caueat de futuro, orans vt & ſibi debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen.

De fratribus in viam directis.

CAP. LXVII.

Dirigendi Fratres in viam, omnium fratrum, vel Abbatis orationi ſe commendent.

VSu quotidiano planũ eſt, id quod dicitur de fratribus exeuntibus & reuertentibus.

Et

Et ſemper ad orationem vltimam operis Dei, commemoratio omnium abſentium fiat.

Hac de cauſa additur in fine collectæ ſingularum horarum. *Et famulos tuos ab omni aduerſitate cuſtodi.*

Reuertentes autem de via fratres, ipſo die, quo redeunt.

Clarum hoc facit ipſa praxis.

Per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, proſtrati ſolo oratorij, ab omnibus petant orationem propter exceſſus: ne quid fortè ſubripuerit in via viſus, aut auditus malæ rei, aut otioſi ſermonis.

Hoc eſt, non per ſingulas horas canonicas, vt ſepties in die, iuxta numerum horarum id faciāt, ſed ſemel in quacumque horarum.

Nec præſumat quiſquam alijs referre, quæcumque foris Monaſterium viderit aut audierit, quia plurima deſtructio eſt. Quod ſi quis præſumpſerit, vindictæ regulari ſubiaceat. Similiter & qui præſumpſe-

ſumpſerit clauſtra Monaſterij egredi, vel quocumque ire, vel quippiam quamuis parum, ſine Abbatis iuſsione facere.

Hanc partem regulæ (inquiunt Patres Caſſinenſes) ſtudeant patres obſeruari facere, & trãſgreſſores grauiter punire: *quia plurima deſtructio eſt.* Quapropter ſi quis in hoc notabiliter exceſſerit, dicat ſuam culpam in Capitulo, & comedat in terra, in pane & aquâ, arbitrio Prælati, toties quoties contrauenerit. Cui pænę ſubditi quoq; ſint pari lege, qui referre foris auſi fuerint, quæ in Monaſterio audierint. *Pœna narrantiũ, quæ foris viderunt, & cõtra.*

Si fratri impoſsibilia iunguntur.

CAP. LXVIII.

Si cui fratri aliqua forte grauia, aut impoſsibilia iniunguntur, ſuſcipiat quidem iubentis imperium cum omni manſuetudine, & obedientiâ.

QVamuis ſupra cap. 5. de obedientiâ monaſticâ abũdè dixiſſe cuiquam videri poſſit S. Bene-

Benedictus: tamen quia non ignorabat obedientiam eſſe neruum totius monaſtices, ita vt illa ſalua, hæc vigeret: & contra iſtâ neglectâ totum corpus monaſticę religionis diſſolueretur. Ideo iterum illam commendat, & tam ſollicitè, tam integrè atque perfectè ſeruandam oſtendit, vt ne in rebus quidem difficillimis, atque adeò ne in impoſſibilibus deferatur. Vnde ſupra quoque dictum eſt tertiam bonę obedientiæ conditionem eſſe, vt ſit fortis, ne recuſet difficilia. Notandum autem hic eſt ex D. Ambroſio plures impoſſibilitatis eſſe cauſas, & modos. Primùm enim impoſſibile eſt aliquid per naturam. v. g. vt auis ratiocinetur, vt lapis ambulet, vt homo volet, aut ſuper aquas ambulet &c. Secundò, per infirmitatem, ſcilicet vt debilis luctando ſternat robuſtũ, puer gigantem, vt homo vnus gerat molarem lapidem &c. Tertiò, per imperitiam aut impotentiam, ſcilicet vt rudis litterarum litteras colligat, vt expers artis fabrilis domum extruat, vt ſeruus Domini ſui mandato domi detentus peregrinetur, vt Tantalus (iuxta Poetarum fabulas) pomũ ſupra pendens mordicus apprehendat, aut aquam infra fluentem guſtet &c. Quartò, per definitionem immutabilis propoſiti, & conſtantis perſeuerantiam voluntatis, atque amicitiæ fidem: ſic illi, qui firmiter ſecum ſtatuit, nón ſe loco mouere, impoſſibile eſt, vt vnum milliare ambulet, ſtante videlicet ac durãte hoc propoſito. Quamuis autem videbitur homini animali, & obedientiæ virtutem ignoranti mandatum de impoſſibili irrationale & intolerabile, obedienti volũtas ſtulta, & conatus vanus: tamen viri ſpirituales, & virtutem Dei non ignorantes aliter ſenſerunt.

Lib 4. de fide ad Gratianũ c. 3.

Varij impoſſibilitatis modi.

Nam

Nam S. Maurus mandante S. Benedicto, virtute obedientiæ ambulauit contra naturam, ſuper aquas. Sic nonnunquam iuniores Monachi, non conſideratâ humani corporis infirmitate, etiam impoſſibilia ſibimet imperata (inquit Caſſianus) ea fide ac deuotione, ſuſcipiebant, vt totâ virtute ac ſine vlla cordis hæſitatione perficere ea, aut conſummare niterentur: Et ne impoſſibilitatem quidem præcepti, pro ſenioris ſui reuerentia metiebantur. Veluti Ioannes quidam ad imperium ſenioris ſui, ſaxum immane, quod turbę multæ hominum, vel mouere non poſſent, applicita nunc ceruice, nunc toto pectore, tanto niſu atque conatu prouoluere contendebat, vt ſudore omnium membrorum ſuorum non ſolum totum infunderet veſtimentum, ſed etiam ſaxum ipſum ſuis ceruicibus humectaret, in hoc quoque parum metiens impoſſibilitatem præcepti vel facti, pro reuerentia Senioris & obſequij ſimplicitatis ſincera, qua credebat ſenem tota fide nihil poſſe incaſſum, ac ſine ratione pręcipere. Quis ſanus igitur dicat, hæc & ſimilia impoſſibilia mandata à ſanctis irrationabiliter & imprudenter fuiſſe data, & à bonis obedientiæ diſcipulis temerè ac fruſtra accepta, in quorum fælici impletione, & Dei gloria illuſtratur, & virtus obedientię monſtratur & commendatur?

Greg. lib. 2. dial. cap. 7.

Lib. 4. inſt. Monaſt. cap. 10.

Cap. 26. ibidem.

Etiam impoſſibilia præcepta, tẽtentur fieri.

Quod ſi omnino virium ſuarũ menſuram viderit pondus oneris excedere, impoßibilitatis ſuæ cauſas ei, qui ſibi præeſt, patienter, & opportunè ſuggerat, non ſuperbien-

perbiẽdo, aut reſiſtẽdo, vel contradicendo.

Quando grauia vel viribus noſtris imparia imperantur, quãuis obediendi, & mandata exequẽdi difficultatem, ſeu impoſſibilitatem ſuperiori, & imperanti humiliter indicare, & iuſſa à nobis deprecari, rogando humeris amouere liceat: non tamen ſuperbiendo illa abijcere & contemnere, non reſiſtendo in faciem, renuere, non contradicendo altâ voce reclamare debemus. Antiſtitis imperium, (inquit S. Baſilius) detractare, & verbis aduerſum iuſſa ipſius litigare, magno iudicio eſt, eum, qui id faciat, multis vitijs laborare, fidei debilitate, ſpei ambiguitate, arrogantia morum atque ſuperbia.

Reſp. 28. in Reg. F.

Quod ſi poſt ſuggeſtionem ſuam, in ſua ſententia Prioris imperiũ perdurauerit.

Poſtquam indicauit Abbati Religioſus ſuam impotentiam, imo impoſſibilitatem implendi operis ſibi imperati, & nihilominus Abbas nihil relaxat de imperio, ſed in eodem perſiſtit: tunc bono & obedienti religioſo ſufficere non debet animi præparatio, hoc eſt, vt ita animo affectus ſit, vt illud implere velit, ſi humanitus fieri poſſit: ſed etiam manum operi adhibere debet, captiuans intellectũ, & ſubdens voluntatẽ ſub mandato Superioris, cogitando hoc vel ſimili modo: quamuis id videatur mihi factu impoſſibile, tamen Superiori imperanti fortè aliquid diuinitus reuelatum eſt, quo agnouit hoc mihi fore nõ impoſſibile, ſed poſſibile. & propterea putauit imperan-

perandum tamquam mihi ſalutare. Sic Ioannes ille apud Caſſianum ſupra citatus, cui pręcipiebat ſenior vt ingens ſaxum quantocius aduolueret, credebat tota fide ſenem nihil poſſe incaſſum, ac ſine ratione præcipere. Hoc enim eſt quod ſubdit S. Benedictus.

Sciat iunior ita ſibi expedire: & ex charitate confidẽs de adiutorio Dei, obediat.

Quaſi dicat, obediat iunior quamuis difficile imò impoſſibile fortaſſe ſit id quod imperatur, firmiter ſibi perſuadens, quod Superior hoc præcepit, & in ſententia perſiſtit ex charitate, vt nimirum ſic probetur, & purgetur, & meritis obedientiæ iunior creſcat, & confidens, quod Superior ex charitate precibus ſuis infirmitatem ſuam iuuabit, & de adiutorio Dei ſibi vires exequendi mandatum impetrabit. Sic legitur de Euſraxia, cui Abbatiſſa iuſſerat vt aceruum lapidum tranſportaret, in quò lapides erant, quos duæ ſorores voluere vix poterant, quod cum fiduciâ per obedientiam adimpleuit iuſſionem. Ita igitur perfectè & abſolutè debet Religioſus proprium iudicium, & voluntatem abdicare, & à nutu Superioris pendere, vt etiam in rebus difficillimis, imò impoſſibilibus, obediat. Vnde S. Baſilius: vbi quis ſemel, inquit, ſe in reliquum fratrum corpus coaptandum tradiderit, is ſi membrum poſtea ad miniſtrandum aptum iudicatum fuerit, eſto quod ipſi impoſitum ſit, vires ipſius videatur ſuperare, de iudicij periculo prorſus illum eſſe ſollicitum ſinito, qui ea imperet, quibus vires ſuæ pares eſſe non poſſint: ipſe autem

Euſraxia obedientia in impoſſibilibus.

Vbi ſupra.

autem parcendo, obediendoque alacritatem pro virili declaret ſtudij ſui vſq; ad mortē, memoria
Philip. 2. aſſiduè Dominum tenens, qui *factus fuit obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*. Tam pretioſa enim atque eximia eſt virtus obedientia, atque ita, (inquit Smaragdus) omnibus virtutibus pręferri debet, vt huic omnia poſtponantur, & vniuerſa diſpendia Monachus ſubire contentus ſit, dummodo hoc bonum in nullo violare videatur exemplo Chriſti, qui vitam dedit, vt obedientiam retineret.

Vt in Monaſterio non præſumat alter alterum defendere.

CAP. LXIX.

Præcauendum eſt, ne quauis occaſione præſumat alius alium defendere Monachum in Monaſterio, aut quaſi tueri: etiamſi qualibet conſanguinitatis propinquitate iungantur. Nec quolibet modo id à Monachis præſumatur.

Non debet alter alterum defendere, ſeu excuſare pertinaciter & contentiosè, in ſuo errore ſeu

ſeu vitio etiam minimo, dum arguitur ſeu corripitur.

Quia exinde grauiſsima occaſio ſcandalorum oriri poteſt. Quod ſi quis hæc tranſgreſsus fuerit, acriùs coerceatur.

Dum enim delinquentes ſentiunt patrocinium ſuę vel infirmitatis, vel negligentiæ, vel malitię, non ſolum ab emendatione & ſaniore mente retardantur; verumetiam in errore ſuo confirmantur, & occaſionem ſuperbiendi, murmurandi, & rebellandi ſuperioribus ac maioribus ſuis accipiunt. Ideo S. Benedictus non patitur eiuſmodi malorum & delinquentium patronos ac defenſores impunes. Nemo proinde iuſtè correptum, & pro delicto ſuo patientem temerè defendat, ſed pijs monitis ad patientiam & emendationem potius prouocet.

Vt non præſumat aliquis alium cædere.

CAP. LXX

Vetetur in Monaſterio omnis præſūptionis occaſio. Ordinamus, atque conſtituimus,

mus, vt nulli liceat quemquam fratrum ſuorum excommunicare.

Quis poteſt excommunicare.

NEmo enim poteſt alterum excommunicare, niſi ſit eccleſiaſtica perſona, habēs eccleſiaſticā iuriſdictionē in foro exteriori, non impeditā. Et ideo qui excommunicat, cum non poſſit, peccat grauiter: quia vſurpat ſibi iudicium, cum non habeat poteſtatem.

Aut cædere.

Quia omnis qui violētas manus inijcit in Clericum, vel Monachum, excommunicationem incurrit, ex conſtitutione Innocentij ſecundi. 17. q. 4. cap. Si quis ſuadente diabolo.

Niſi cui poteſtas ab Abbate data fuerit.

Licet tamen proinde Abbati cædere ſubditū ſuum cauſa diſciplinæ, & poteſtatem cædendi alteri dare. Dat autem hanc poteſtatem alteri, quādo alicui officium confert, cui annectitur correctio fratrum: vel quando alicuius particularis & priuatæ perſonæ opera vtitur ad corporalem caſtigationem. Non enim ſuis manibus cædere debet (Cap. Non licet Epiſcopo diſt. 86. ex conſtitutione Concilij Agatenſis:) niſi quando deeſt miniſter ad hoc idoneus. Nō enim quælibet perſona idonea eſt, per quam ſuos verberet, ſeu caſtiget. Quia Clericū per Clericum, Monachum per Monachum verberare debet. Gloſſa ad Cap. Non liceat Epiſcopo. diſt. 86. Nā ſi laicus iuſſu

Abba-

Abbatis, in Clericum, vel conuerſum, vel Monachum etiam ſubſiſtente cauſa, manus iniecerit, tam iubens quam verberans ſententiam excommunicationis incurrit. Cap. Vniuerſitatis. de ſententia excommunicationis.

Laicus conſenſu Superioris manus inijciens in Monachũ excommunicationem incurrit.

Peccantes autem corã omnibus arguantur, vt cæteri metum habeant.

Hæc enim ratio eſt, cur publicè & in cõſpectu omnium ſupplicia fieri ſolent, vt eiuſmodi exemplo ſpectatores à malefactis abſterreantur.

Infantibus verò vſque ad decimumquintum annũ ætatis, diſciplinæ diligẽtia ſit, & cuſtodia adhibeatur ab omnibus.

Ex hoc loco fit clarum, quos paſſim in regula, vtpote Cap. 30. 31. 39. 45. 59. 63. ſanctus Benedictus infantes & pueros intelligat, ſcilicet eos, qui necdum exegerunt annum ætatis 14, nec ingreſſi ſunt decimum quintum: quemadmodum annotauimus ad Cap. 30. Regulę ex Iſidoro.

Qui infantes.

Sed & hoc cum omni menſura & ratione.

Hi igitur iuniores quamuis verberentur etiam pro leuibus culpis, vt dicit Gloſſa ad Cap. Cum Beatus Apoſtolus diſt. 45. Et confirmatur auctoritate Regulæ S. Benedicti Cap. 30. & 45. tamen ſecundum temperantiã debent caſtigari (inquit

Gloſſa ibidem) ſicut à patre filius, à magiſtro diſcipulus. Quia ætati aliquid indulgendum, inquit Summus Pontifex de delictis puerorum. Cap. 1. Sed maiores clerici (inquit Gloſſa iam citata) non ſunt verberandi, niſi pro grauioribus culpis. Vnde Magiſter quidam Monachorum apud Smaragdum: Infantulos, inquit, vſque ad 15. annum non excommunicari, ſed præcipimus vapulari pro culpis; poſt quindecim verò annos, iam non vapulare, ſed excommunicare condecet. Quia iam intelligunt quomodo pænitere & emendare debeant. Et hoc eſt quod ſubdit S. Benedictus de fortiori ętate.

Nam in fortiori ætate, qui præſumpſerit aliquatenus ſine præcepto Abbatis, vel in ipſis infantibus ſine diſcretione exarſerit; diſciplinæ regulari ſubiaceat: quia ſcriptum eſt: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

Tobiæ 4.

Quæ fortior ætas.

In fortiori ætate eſſe intelligit eos, qui iam è pueris & infantibus exceſſerunt. Qui quamuis verberibus caſtigari poſſint, etiam ſacerdotes vt notat Panormitanus ad Cap. vniuerſitatis. De ſententia excommunicationis: tamen ad verbera contra ipſos veniendum non eſt, niſi ſeruato ordine à S. Benedicto ſupra cap. 28. præſcripto. Vt videlicet quando nec pijs monitis, non precibus, non minis, non exhortationum vnguentis, non diuinarum ſcripturarum medicamentis, non adustione

duſtione

duſtione excommunicationis ſanantur; tunc demum ad plagas virgarum procedatur. Nam & ipſa regula paſſim verberum vindictam ferè conſtituit, aut contemptui, aut contumaciæ, aut ſimili delicto, vt videre eſt cap. 23.28.71. Quam ſuam conſtitutionem S. Benedictus etiam facto & exemplo oſtendit, & confirmauit, dum monachum, qui ad orationem ſtare non poterat, de quo à proprio Abbate ſæpe admonitus, & tandem à viro Dei Sancto Benedicto vehementer increpatus, non tamen emendatus, poſtremò pro cæcitate cordis virgâ percuſſus, & ſanatus eſt. Quamdiu igitur maiores Clerici, & è pueris egreſſi non oſtendunt ſe contumaces, & alijs remedijs curari poſſe putantur, virgæ abeſſe debẽt; niſi in capitalium criminum punitione, videlicet fornicationis, adulterij & ſimilium, quæ nullo modo, niſi corporali pęnitentia ſecundum auctoritatem Canonicam, purgantur. Ad hanc in corrigendo modeſtiam hortatur, & à nimio rigore reuocat Præfectos eccleſiaſticos S. Leo. epiſt. 84. Cap. 1. relatus diſt. 45. Cap. Licet nonnunquam, ſic dicens: Plus erga corrigendos agat beneuolentia quam ſeueritas; plus cohortatio, quam commotio; plus charitas quam poteſtas. Sed ab his, qui quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, facilè ab hac lege diſceditur, & dũ dominari magis, quam conſulere ſubditis quærunt, placet honor, inflat ſuperbia, & quod prouiſum eſt ad concordiam, tendit ad noxam. Hæc ille. Et S. Gregorius dicit veram iuſtitiam compaſſionem habere, falſam vero atque Phariſaicam dedignationẽ; & hanc à typo ſuperbiæ, illam verò à zelo diſciplinæ proficiſci. Iuſti, inquit, peccato-

Greg. l. 2. dial. c. 4.

Quando in virgâ veniendum.

Hom. 34. in Euang.

peccatoribus dedignantur, ſed non dedignantes, deſperant, ſed non deſperantes; perſecutionem commouent ſed amantes. Quia & ſi foris increpationes per diſciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem ſeruant, præponunt ſibi in animo ipſos plerumque quos corrigunt, meliores exiſtimant eos quoque quos iudicant. Quod videlicet agentes, & per diſciplinam ſubditos, & per humilitatem cuſtodiunt ſemetipſos. His cõſonat Concilium Braccarenſe relatum diſt. 45. Cap. Cùm Beatus Apoſtolus. Leuiter caſtigatus, inquit, reuerentiam exhibet caſtiganti: aſperitatis autem nimiæ increpatio, nec increpationem recipit, nec ſalutem. Hinc & S. Benedictus ſupra cap. 64. dicit, quod oportet Abbatem ſemper ſuperexaltare miſericordiam iudicio. Ipſa autem animi amaritudo in caſtigante periculoſa eſt. Quia ſi Superior Clericum vel Monachum percutiat, etiam prætextu correctionis, ſed non ob correctionem, ſed ex odio vel vindictâ, vel alia mala intentione, incurrit excommunicationem. Sylueſter verbo excõmunicatio 6. parag. 6. Quia poteſtas percutiendi Clericum, vel Monachum non aliter conceſſa eſt, quam cauſa diſciplinæ & correctionis. Diligenter proinde notetur, quod hic monet Smaragdus: Ad eos, inquit, quos aliquis increpat, talem debet affectum ſeruare, qualem pater ad filium, aut medicus ad ęgrotum.

Vt obedientes ſint ſibi inuicem fratres.

CAP. LXXI.

Obedientiæ bonum non ſolum Abbati exhibendum eſt, ſed etiam ſibi inuicem ita obediant fratres, ſcientes per hanc obedientiæ viam, ſe ituros ad Deum. Præmiſſo ergo Abbatis, aut præpoſitorum, qui ab eo conſtituuntur, imperio, cui non permittimus priuata imperia præponi; de cætero omnes iuniores prioribus ſuis omni charitate, & ſollicitudine obediant. Quod ſi quis contentioſus reperitur, corripiatur.

STatuit ad maiorem & firmiorem vnitatem, & concordiam Congregationis, vt Religioſi obediant non tantum vni & ſupremo Prępoſito, quod debent ex vi voti: ſed etiam inferioribus, ſeu ſibi inuicem, quamuis non neceſſitate voti, ſtudio tamen & affectu charitatis. Nihil vobis prodiderit filioli (inquit Pachomius fratribus ſuis in vnum collectis) ſi diligitis inuicem, & non vultis inuicem obedire. Quæ obedientia tam eximia & pręſtans eſt, vt per cam

eam (teſtante S. Benedicto) eatur ad Deum, qui eſt charitas præſentis peregrinationis, & gloria beatæ viſionis. Ea tamen quæ Prælato præſtatur excellentior eſt & maioris meriti, quia non ſimplex, ſed pia & religioſa hæc obedientia eſt. proficiſcitur enim ex voto, quo Religioſus Deo vouit morem gerere, & obedire vni Superiori in Congregatione. Eſt namque religio, qua ipſe Deus colitur, omnium virtutum princeps. Concurſus proinde religionis ſicut auget obedientiæ perfectionem, ita & meritum. Ex his notatur diſtinctus in obediendo modus & ordo. Modus, quia Prælato obediendum eſt tamquam Deo, cuius loco præſidet, & cuius poteſtate gubernat. Ideo Christus Præpoſitis: *Qui*, inquit, *vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Ceteris autem obeditur tamquam Dominis à ſeruis dicente S. Baſilio: Alij alijs obedientiam præſtabimus inter nos tamquam ſerui aduerſus Dominos: conuenienter illi præcepto Domini. Qui vult in vobis eſſe magnus, ſit omnium vltimus, & ſeruus omnium &c. Ordo quoque vt Abbati præ omnibus obediatur, deinde præſidibus ab eo conſtitutis, & illi ſubſeruientibus. Poſtremò priuatis, hoc eſt, ſenioribus à ſuis iunioribus.

Pralato tãquam Deo obediẽdum.

In Reg. b. reſp. 115.

Si quis autem frater pro quauis minima cauſa ab Abbate, vel à quocumque Priore ſuo corripitur quolibet modo.

Qui verò ab Abbate, vel ſeniore arguitur, humi ſe abijcit, quod vſus quotidianus docet, cum Religioſis maximè in Capitulo, toties humi ſe

demittit,

demittit, quoties nouo delicto grauatur.

Vel ſi leuiter ſenſerit animum prioris cuiuſcumque contra ſe iratum, vel commotum, quamuis modice; mox ſine mora tamdiu proſtratus in terra ante pedes eius iaceat ſatisfaciens, vſque dum benedictione ſanetur illa commotio. Quod ſi quis cõtempſerit facere, aut corporali vindictæ ſubiaceat, aut ſi contumax fuerit, de Monaſterio expellatur.

Qui iam ſeniorem ſuum offenſum ſentit, ſimiliter ipſe ſtatim ad pedes ſupplex accidat. Verum hanc iram (inquiunt Patres Caſſinenſes) vel commotionem maximè ex iniuſta cauſa, quantum fieri poteſt, ſuperiores euitent. Qui tamen ſi commouebuntur, & (vt Regula pręcipit) eorum inferiores genuflexi ſatisfecerint, benigniſſimè agnoſcant, ac eis benedicant, ſicut Regula dicit. Si tamen eorum exceſſus pænitentiam merebitur, nullus eam niſi Prælatus, aut aliqui Superiorum ad quos ſpectat, iniungere pænitentias, imponat. Sic & S. Auguſtinus: Quicumque conuitio, inquit, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læſit, meminerit ſatisfactione quãtocius curare, quod fecit; & ille qui læſus eſt, ſine diſceptatione dimittere: ſi autem ſeinuicem læſerunt, inuicem ſibi delicta relaxare debebunt, propter orationes veſtras, quas vtique quantò crebrio- *Cap. 38. Regulæ.*

crebriores habetis, tanto ſaniores habere debetis. Melior eſt autem qui quamuis irâ ſępe tentatur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam, quam qui tardiùs iraſcitur, & ad veniam petendam tardiùs inclinatur. Qui autem non vult dimittere fratri, non ſperet accipere orationis effectum. Qui autem numquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, ſine cauſa eſt in Monaſterio, etiam ſi inde non proijciatur. proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, vnde facta ſunt vulnera. Hæc S. Auguſtinus.

Cap. 39. ibidem.

De zelo bono, quem debent habere Monachi.

CAP. LXXII.

Iacobi 3. *Sicut eſt zelus amaritudinis malus, qui ſeparat à Deo, & ducit ad infernum: ita & zelus bonus, qui ſeparat à vitijs, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam.* *Rom. 12.* *Hũc ergo zelum feruẽtiſſimo amore exerceant Monachi, id eſt, vt honore ſeinuicem præueniant. Infirmitates ſuas ſiue corporum*

rum, ſiue morum patientiſsimè tolerent: obedientiam ſibi certatim impendãt. Nullus quod ſibi vtile iudicat, ſequatur, ſed quod magis alij. Charitatem fraternitatis caſto impendant amore; Deum timeant, Abbatem ſuum ſincera, & humili charitate diligant; Chriſto omnino nihil præponant: qui nos pariter ad vitam æternam perducat. Amen.

Philip. 2.

1. Petri 1.

Eccleſ. 12.

Zelus amaritudinis ſeu malus eſt, quò quis proximo malè cupit. Iſte zelus ſepãrat à Deo, in primis ipſum zelatorem malum, deinde proximum, cuius ſaluti inuidet, & quam, quod in ipſo eſt, impedit. Zelus bonus eſt amor ſalutis proximi. Hic ſeparat à vitijs, primò ipſum bonum zelatorem, deinde proximum: quia errantem omni ſtudio, verbis, exemplis, alijſque quibus poteſt rationibus reuocare ſtudet. De quo bono zelo Sanctus Gregorius: Nullum, inquit, Omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum, hoc eſt, amor, deſiderium, ſtudium, conatus animarum ſaluandarum. Et Sanctus Proſper: Perfectum, inquit, odium eſt, quod nec iuſtitia, nec ſcientia caret, id eſt, vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Rectè ergo in malis odimus malitiam, & diligimus creaturam, vt nec propter vitium, natura damnetur; nec propter naturam, vitium diligatur. Hunc zelum bonum

Quis zelus malus.

Zelus bonus.

Rom. 12. in Ezech.

Sent. 65.

bonum vult S. Benedictus vigere in Monaſterijs, vt mutuam ſalutem ament & deſiderent, & quã-tum poſſint promoueant Monachi, vitia proſe-quendo. Quod quibus potiſſimum modis fiat o-ſtendit, ſcilicet præueniendo ſeinuicem honore, infirmitates mutuas ferendo, inuicem obedien-do &c. His enim & ſimilibus charitatis & humi-litatis officijs, vitia profligantur, ſalus animarum certiſſimè procuratur, & vita æterna acquiritur.

De eo, quod non omnis obſeruatio iuſtitiæ in hac regula ſit conſtituta.

CAP. LXXIII.

Regulam hanc deſcripſimus, vt eam obſeruãtes in Monaſterijs aliquatenus vel honeſtatem morum, aut initium conuer-ſationis nos demonſtremus habere. Cæterũ ad perfectionem cõuerſationis qui feſtinat, ſunt doctrinæ ſanctorum patrum: quarum obſeruatio perducit hominem ad celſitudi-nem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis ſermo diuinæ auctoritatis veteris ac

noui

noui teſtamenti non eſt rectiſſima norma vitæ humanæ? aut quis liber ſanctorum Catholicorum Patrum hoc non reſonat? vt recto curſu perueniamus ad Creatorem noſtrum? Nec non & collationes patrum, & inſtituta, & vita eorum, & regula ſancti patris noſtri Baſilij, quid aliud ſũt, niſi bene viuentium, & obedientium Monachorum exempla & inſtrumenta virtutum? Nobis autem deſidioſis, & malè viuentibus, atque negligentibus rubor confuſionis eſt. Quiſquis ergo ad patriam cæleſtem feſtinas, hanc minimam inchoationis regulam deſcriptam adiuuante Chriſto perfice.

QVamuis dicat S. Benedictus regulam ſuam initium tantum honeſtæ & piæ conuerſationis monſtrare, diligentem tamen obſeruatorem, ad vitæ perfectionem certò perducet. Verum hoc dixiſſe videtur, propterea quod ipſe cõmunitati leges conſtituens, & infirmitati multitudinis, in multis eas accommodans, abſtinentiam cibi & potus, aſperitatem veſtium, rigorem vigiliarum, & ſimilium tantum ſuis diſcipulis nõ impoſuit, quantum multi ſanctorum in ſacra ſcriptura, in collationibus Patrum, & alibi paſſim leguntur, ſeruaſſe. Neque enim particularia

ſingulorum facta (quæ ſubinde magis miranda ſunt, quam imitanda) in legem communem aptè trahuntur, ne infirmioribus laqueus pręuaricationis ponatur. Verum hoc nobis infirmioribus conſolationi eſt, quod vel hanc ſaltem regulam ſeruantibus patriam cæleſtem Pater ſanctus non negat, ſed per eam illuc feſtinari afirmat.

Et tunc demum ad maiora, quæ ſupra commendauimus, doctrinæ, virtutumque culmina Deo protegente peruenies.

Hoc eſt quod ſupra cap. 1. Regulæ docet, ad anachoreticam vitam non leuiter, nec initio conuerſionis accedendum eſſe, ſed meditatè & poſt diligentem animi & corporis exercitationem in vita Cænobitica factam. Eſt enim vita Cænobitica præparatio quædam & gradus ad eremiticã, quæ auſterioribus viuendi legibus aſtringitur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Quicumque hanc regulam ſecuti fuerint pax ſuper illos & miſericordia. Gal. 6.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

ABbatis officium paternum. 68.
Omnibus virtute & ſapientia præſtet. 64.
Nihil quod doctrinæ & mandatis Chriſti aduerſetur, iubeat. ibid.
In monaſterio Chriſti agit vices. ibid.
Abbas tamquam paſtor verus cuſtodiat vigilias ſuper gregem ſuum. 67.
Ad docendum verbo exhortationis, & exemplo bonæ operationis valeat. 69.
Gallum gallinaceum imitetur. 72.
Plus facto, quam verbis mouet. 70.
Abbas perſonarum acceptionem in monaſterio vitet. 73.
In tribus illi perſonarum acceptio vitanda. ibid.
In delictorum punitione æquitas ſeruanda. 78.
Abbas doctrinam ſuam malo exemplo euertit. 72.
Abbas meliorem fratrem plus diligat. 76.
Cauſa ob quam Religioſos amet. 74.
Abbatis cura circa infirmum fratrem. 75.
Abbas peccantibus fratribus non ſit durus & aſper, ſed mitis & lenis pro delicti varietate. 82.
In correptione ſua imitetur agricolam ſeminantē. 81.
Delinquentium peccata ne diſſimulet. 84.

Pro ingeniorum varietate ſuam temperet doctrinam. 79.
Delinquentes fratres non eodem modo corrigat. 85.
Abbas bonorum communitatis adminiſtrator. 317. 405.
De temporalibus curam habebit 92. 93.
Prima ipſius cura ſit ſpiritualium. 91.
Abbas quando ferro abſciſsionis vti debeat. 289.
Qualiter infirmum fratrem tractabit. 290.
Abbas omnibus omnia fiat. 90.
Eius conuerſatio & doctrina omnibus ſapiat. 89.
De iudicijs ſuis æquiſsimo iudici redditurus eſt rationem. 96.
Abbatis cura circa excommunicatos. 282. 284. 285.
Abbatis cura erga infirmos. 332.
Abbas cur omnium fratrum conſilium audire debeat. 97. 102.
In rebus grauioribus omnium omnino conſilium audiat. 99.
Omnium auditarum opinionum eſt arbiter. 100.
Abbas ſuper habenda proprietate non poteſt cum aliquo diſpenſare. 310.
Pro voluntate nihil in Regula mutet. 101.
Regulæ ſubiectus ſit. 102.
Abbati in rebus agendis conſilium vtile. ibid.
in Abbatis arbitrio diuinorum officiorũ diſpoſitio. 374.
Abbati ſit cura viſitare cellas. 411.
Abbas à tota Congregatione eligendus. 449.
Qui ab electione arcendi. 450.
Abbati licet cædere ſubditum cauſa diſciplinæ. 470.
Abbreuiatio lectionum quomodo facienda. 212.
Abnegatio ſui ipſius. 109.
Acceptio perſonarum omnium vitiorum in congregatione ſeminarium. 73.
Acceptio perſonarum quando committitur. 324. 74.
Ex ſuo

Ex ſuo genere peccatum mortale. ibid.
Actus ſæculi qui dicendi. 112.
Admiſsio ad profeſsionem cum conſenſu Capituli fieri debet. 64.
Admonitio doctoris loquentis. 8.
Adoleſcentes à tenera ætate in ſpontanea delictorum ſuorum confeſsione ſunt exercendi. 187. 188.
Ad Euangelium cur ſtandum. 221.
Ad perfectam religioſorum humilitatem requiſita. 179.
Altare quid ſit. 388.
Alleluia quando cantandum. 228.
Quando omittendum ibidem.
Cur cantetur ibidem.
Ambroſianum quid. 217.
Amor cupiditatis, radix proprietatis. 310.
Amor caſtitatis bonorum operum fæcundus. 128.
Anachoretę qui dicuntur. 55.
Eorum initium à Cænobitis. ibid.
Anachoretica vita abſque pręcedenti exercitio, pericu-loſa. 57.
ad *Anachoreticam vitam qui idonei.* 56.
Eorum ardua vita. ibid.
ad *Annum probationis requiſita.* 417. 423.
Annus probationis debet eſſe continuus. 418.
Quomodo computandus. ibid.
Angelorum erga cantantes & orantes affectus. 244.
Angelus cantantes obſeruat. ibidem.
Anguſtam viam, qui eligunt. 30.
Ante orationem præpara animam tuam. 215. 376. 378.
Antidotus malarum cogitationum. 123.
Apoſtatarum punitio & pæna. 294.
Ars artium regere animas. 87.
Ars nulla ſine magiſtro diſcitur. 51.
Arſenius ſomnum fugit. 113.

Artifices Monaſterij qualiter artes ſuas exerceant. 414.
Attentio in oratione multiplex. 247.
Quæ omnium optima. ibid.
Attentio dupliciter violatur. 248.
Attentus eſto loquens Deo iudici tuo. 249.
Auaritia cæca dicenda. 314.
Auditionis attentæ fructus. 10.
Auſcultare quid ſit. 1.
Auxilium diuinum quærendum inſtanter. 10.

B

Balſamum. 172.
Beatus quis dicitur. 103.
Benedictiones quæ intelligendæ. 223.
S. Bernardi laus in ſingularitate in congregatione vitanda. 200.
S. Bernardi in veſtibus nitor. 410.
S. Bernardi humilitas. 439.
Biberies quid ſit. 330.
Breuis quid ſignificet 308.

C.

Canere diuinum officium attentè. 242.
Carnes non manducare cur bonum. 343.
Cantoris officium. 371.
Caſtitas. 40.
Cauſſa erroris Sarabaitarum. 60.
Cauſſa latens peccati, quæ dicenda. 368.
Quomodo aperienda. ibid.
Celeritas conuerſionis vnde oriatur. 417.
Cellerarius quis dicendus. 299.
Cellerarij qualitas. 306.

Qualis

Qualis eligendus. 300.
Non debet conſtitui ignarus & vitijs deditus. ibid.
Cellerarius quaſi Monaſterij pater. ibid.
Cellerarius quantum ex bona adminiſtratione mereatur. 301.
Cellerarius ſine venia Abbatis nihil faciat. 94. 302.
Sic tranſeat per bona temporalia vt non amittat æterna. 303.
Cænobium quid ſignificet. 50.
Cænobitæ quales. ibid.
Cænobitica vita perutilis. 51.
Cænobitarum fortiſſimum genus quale. 62.
Charitatis præſtantia. 106.
Charitas primum bonorum operum inſtrumentum. 105.
Charitatis opera quomodo proximo impendenda. 76.
Chriſtiani abnegare debent propriam voluntatem. 135.
Cibus qualis Monachis & religioſis apparandus & apponendus. 339.
Ciborum luxuria vitanda. 340.
Ciſtercienſes ab Ordinariorum iuriſdictione ſunt exẽpti. (451.
Collatio vnde dicitur. 354.
Collationes SS. Patrum cur in collatione ſerotina legantur. 354.
Concupiſcentia. 108.
Codices cur certi in quadrageſima legendi. 378.
Conditiones boni & fructuoſi ſermonis. 204.
de Colore cauſari non debet Monachus. 407.
Confeſſio malarum cogitationum religioſo vtilis. 186.
Confeſſio peccati eſt diaboli eiectio. 190.
Congregatio maior quæ dicenda. 234.
Communis modus ſilentij ſecundum regulam quis dicendus. 161.
Corpus quomodo caſtigandum. 110.
Correptio fraterna. 262.

in Correptione quales teſtes adhibendi. ibidem.
Correptio fraterna quomodo facienda. 272.
Contentio quando laudabilis. 129.
Contendere quid ſit. ibid.
Continuare quid ſignificet. 351.
Contumax quomodo de monaſterio proijciendus. 289. & 442.
Conſilium fratres dant cum humilitate. 99.
Conſuetudo cur altera natura. 31.
Comparatur currui. ibidem.
Conuerſatio ſancta quando progreſſum habet. 31.
Conuocatio fratrum ad conſilium. 98.
poſt Completorium cur tacendum. 357.
Crucis ſignum haſtile validum. 215.
Culpa leuis quæ dicenda. 268.
Quomodo expianda. ibid.
Culpa grauis quę dicenda. 271.

D

D*Amaſus Papa auctor glorię ad pſalmos.* 216.
Dæmonis aſtutia ad capiendas animas. 123.
Decanus quis dicendus. 255.
in Deo, non in hominibus ſperandum. 120.
Defenſio alterius in Monaſterio illicita. 469.
Occaſiones quare. ibidem.
Delectatio in quauis re, eſt confirmatio. 32.
Deliciæ fugiendæ. 110.
Detractio quid ſit. 119.
Fit octo modis. 120.
Detrimentum pecoris paſtoris ignominia. 67.
Deus maior omni laude. 240.
Cur cum iniquis patienter agit. ibidem.
Cur hominum vitam & dies prorogat. 24.
Dies obitus ſanctorum, eſt natalis eorum. 226.

Diffe-

Differentia holocauſti & ſacrificij. 37.
Differentia inter eiectum & fugitiuum. 293.
Differentia odij & inuidiæ. 128.
Differentia trium votorum eſſentialium. 58.
Digreſsio ad laxiorem ordinem quando licita. 293.
Digreſsionis ad latiorem ordinem iuſtæ cauſæ. ibid.
Dilectio proximi. 107.
Dilectio inimici. 116.
Dilectio mutua. 448.
Diſciplina quid ſit. 100.
Diſciplina pſallendi in quo conſiſtat. 242.
Diſciplina pſallenti ſeruanda. 243.
Diſciplina omni ætati adhibenda. 297.
Diſciplina regularis in quo conſiſtat. 441.
Diuerſitas religioſorum Ordinum vnde proueniat. 47.
Diuitiæ quibus fugiendæ. 315.
Doctrina Dei quæ dicenda. 32.
Domini ouilia quę dicuntur. 59.
Domeſtici fidei qui cenſendi. 391.
Dotes quibus prędιti ſint Abbates & ſenes. 369.

E

EGredientium de Monaſterio genera tria. 292.
Elatio generat iactantiam. 129.
Elatio mentis pernitioſa. 196.
Electi pauci. 15.
Electio Abbatis. 450.
Quæ valida, quæ non. ibidem.
Eufraxiæ obedientia in impoſsibilibus. 467.
Error notabilis in choro quis ſit. 365.
Eulogiæ quid. 405.
Excommunicatio omnium pœnarum grauiſsima. 262.
Excommunicationis gladius ſobriè exerendus. 263.
Excommunicatio maior, & minor. ibid.

Excom-

Excommunicatio ſemper reſpicit mortaliter peccantem. 271.
Excommunicatus quibus priuetur. 273. 274.
Excommunicationis finis. 278. 279.
Excõmunicatus quare dicitur tradi ſathanæ. 275. 276. 277.
Excommunicato ſe iungens, quomodo excommunicetur. 280.
Excommunicatus ſollicitè curandus. 283.
cum Excommunicatis in quibus conuerſandum. 286.
pro Excommunicato orandum qualiter. 288. 289.
Excommunicati olim à dæmone corporaliter vexabantur. 275.
Excommunicare, quis poteſt. 470.
Exemplum ſilentij. 156.
Exemplum fallaciæ, diabolicæ fraudis. 189.
Exemplum pœnitentiæ. ibid.
Exemplum Euſebij oculos cuſtodientis. 206.
Exemplum Arnulphi Monachi Claræuallenſis ad Gloria patri &c. caput inclinantis. 217.
Exemplum Angelorum cantantes obſeruantium. 245.
Exemplum abſtinentię, & obſeruationis religioſæ. 361.
Exemplum voluntariæ confeſsionis capitularis. 367.
Exemplum Zozimæ Abbatis deuotè in via horas Canonicas perſoluentis. 384.
Exemplum Ioannis cuiuſdam obedientiæ. 463.

F

FAlſum teſtimonium quis dicit. 168.
Fatuitas quorundam præpoſitorum. 284.
Fermentum vnde dictum. 65.
Fortior ætas quæ. 472.
Figura vitæ cænobiticæ. 52.

Filij

Filij Dei qui. 11.
Fulgentiſsima eſt victoria, iniuriarum tolerantia. 116.
Fugitiui & Apoſtatæ non ſine ſatisfactione ſunt recipiendi. 293.
Fugitiui quomodo recipiendi. 295.
Quoties recipiendi. 296.
Furtum contra paupertatis votum. 317.

G

G*Ehenna damnatorum locus.* 27.
Eius duplex pæna. ibidem.
Gloria patri & filio &c. cur ad ſingulos pſalmos additur. 216.
Gradus humilitatis. 178. 179.
Gradus humilitatis quo fructu illos Religioſus aſcendet. 207.
Gaſtrimargia vitanda. 118.
Gyrouagi vnde dicti. 61.
Cur Circumcelliones vocentur. ibid.
Eorum officium. ibid.
Gyrouagi deteriores Sarabaitis. 162.

H

H*Eli Sacerdos ob filiorum conniuentiam morte punitus.* 65.
Heptateucum vnde dicitur. 355.
Hora veſpertina cur non legatur. ibid.
Hemina vini quę dicenda. 348.
Honorare omnes homines. 109.
Horę incompetentes, quæ dicuntur. 306. 379.
Horæ competentes quæ. 379.
Horis omnibus cur præponatur, Deus *in adiutoriũ,&c.* 215.

Cur

Cur cum formatione crucis. ibidem.
Hora collationis, quæ. 356.
Horarum Canonicarum lex obligat omnes religioſos non tantum in choro, ſed etiam extra. 383.
Hoſpites antiqui meliores nouis. 388.
Hoſpitalitas in veteri & nouo teſtamẽto cõmẽdata. 389.
Hoſpitalitatis exemplum. ibid.
Hoſpites debent reuerenter excipi. 390. 392. 396.
Hoſpites quali menſa à Religioſis ſint excipiendi. 391.
Hoſpites ad orationẽ cur primitus ducãtur. 393. & 394.
Hoſpiti lex diuina in menſa adhibeatur. 394.
Hoſpitalitas Deo grata. 389. & 395.
Hoſpite aduentante licet ſoluere ieiunium, & quale. 396. & 397.
Pro quibus frangendum. ibidem.
Hoſpitibus olim pedes abluebantur. 399.
Quibus Hoſpitibus hæc pedum lotio impẽdenda. ibid.
Quomodo facienda. 400. (ibid.
Hoſpitis pedes quomodo omnes fratres lauare dicũtur.
Hoſpitalitas magis pauperibus & peregrinis, quam diuitibus adhibenda. 401.
Hoſpitibus, quis perficiendus. 403.
Humilitatis eſt intueri mala propria & aliorũ bona. 190.
Humilitas vnde deducta. 168.
Eius definitio. ibidem.
Qualis ſectanda. 174.
Humilitas S. P. noſtri Bernardi in dando conſilio. 99.
Humilitas omniũ virtutũ ſtabile fundamentũ. 171. 172.
Illa in omnibus operibus ſeruanda. 23.
Humilibus Deus dat gratiam. 172.
Humilitas conditio bonæ orationis. 210.
Humilitas Publicani euangelici. 206.
Verę & falſæ diſtinctio. 175.
Humilis verus, ſummè magnanimus. 193.

Humili-

Humilitas ſui amantem exaltat. 195.
Quę dicitur perfecta. 194.
Quę ſumma. 182.
Humilitas corrigenti ſuperiori oſtendenda. 477.

I

IActans quis ſit. 198.
Idiotæ pſalmorum verba nec myſteria intelligentes, quos meditationis articulos ſibi proponant. 230.231.
Ieiunandum nunquam dominica die. 350.
Ieiunandum à Pẽtecoſte vſque ad Idus Sept. quãdo.351.
In ieiunio diſpenſandum, quando. 352.
Ieiunium, diabolo murus. ibid.
Ieiunij laus. ibid.
Ieiunium ab Idibus Septembris vſque ad caput quadrageſimæ. 352.
Impedientia hominum ſalutem. 39.
Imperia quæ ſecundum ſæculum, quæ ſecundũ Deũ.454.
Impoſsibilitatis varij modi. 464.
Impoſsibilia quomodo implenda. 465. & 466.
Incarceratio melior, quam eiectio. 289. 290.
Incorrigibiles, non eijciendi, ſed incarcerandi ſunt. 291.
Induciæ quid ſint. 24.
Infantia & pueritia quando finiuntur. 298.
Infames ad religionem non admittuntur. ibid.
Infantes & ſenes infirmis aſsimilantur, in quibus. 333.
Infantes qui ſint. 30. & 471.
Infantibus quomodo diſciplina adhibenda. 472.
Infirmorum cura ſuper omnia habenda. 331. 332.
Initia Monaſtices dura & grauia. 29.
Inobedientia duplex. 8.
Inobedientes naſcimur. ibid.
Inquietus grex quis ſit. 68.

Ira cauenda. 113.
Inſtrumenta bonorum operum vnde dicta. 103.
Inſtrumenta artis ſpiritualis. 104.
Intelligibilis ætas quæ. 447.
Iudæorum error de odio inimici. 116.
Iuramentum quando homini periculoſum. 115.

L

LAus taciturnitatis Religioſorum S. Bertini. 160.
Laus taciturnitatis in Clara Valle. 161.
Laudare Deum creaturis conuenit. 210.
Lectiſternia Monachorum qualia. 258.
Lectio ſacræ ſcripturæ., & aliarum ſcientiarum in Monaſterio eſt habenda. 371. & 372.
Lectio ſacra menſæ fratrum adhibenda. 335.
Rationes, quare. ibid.
Lectio certa vtilis. 378.
Lingua doloſa. 16.
Linguæ malum. 155.
Ea religioſo quare maximè cuſtodienda. ibid.
Lingua effrenis maximorum malorum cauſa. 156. 154.
Locus Religioſorum qualiter in Abbatis poteſtate conſtituatur. 445.
Locus tenendus ſecundum tempus conuerſionis. 444.
Eiuſque mutatio ſecundum vitę meritum in Abbatis eſt poteſtate. 444.
Loquacitas animo Religioſo contraria. 156.
Eiuſque ſpecies octo. 154.

M

MAgiſter quis. 2. & 3.
Magiſter vnde dicitur. 2.

Magiſter

Magiſter Nouitiorum qualis eligendus. 410.
Manducare extra Monaſterium cur illicitum. 385.
Matutini quo tempore agendi tã hyeme quam æſtate. 212.
S. Maurus virtute obediẽtiæ ſuper aquas ambulat. 465.
Medicus aliorum vitiorum, qualis. 87.
Media ad perfectionem neceſſaria. 4.
Meditatio Religioſo conueniens. 34.
Menſura panis vnde accipiatur. 341.
ad Menſuram panis, ſi quid addendum, penes Abbatem ſit. 342.
Menſura panis, eſt vna libra. ibid.
Menſa Abbatis cum hoſpitibus ſit ſemper. 412.
Militia S. Benedicti. 48.
Miſericordia erga pauperes Deo grata. 111.
à Miniſterio menſæ conuentualis nemo excuſetur. 327. 328.
Mixtum quid ſit. 338.
Mixti quantitas. 33.
Modus tendendi ad perfectionem. 58.
Modus diſtribuendi res neceſſarias. 324.
Modus antiquus ſuſcipiendorum fratrum. 416.
Monachi peregrini quomodo ſuſcipiantur. 436.
Monachi ſunt verè qui labore manuum viuunt. 374.
Monachi qui ſint. 35.
Monachus interius & exterius humilis. 205.
Monachorum varia nomina. 36.
Monacho vſque ad mortem in Monaſterio perſeuerandum. 32.
Qua de cauſa licet Monaſterio egredi. 33.
Monachorum de noto monaſterio, ad religionem admiſſio illicita. 439.
Monachus hypocrita, quis ſit. 198.
Monachi cur bibant vtraque manu. 349.
Cur veſtiti dormiant. 258.

Monachi

Monachi cur veſpere reficiantur. 355.
Monaſterium officina bonorum operum. 132.
Virtutum ſchola. 28.
Vt in hac ſchola religioſus proficiat, quid opus. ibid.
Monaſtica inſtitutio ad quid tradita. 29.
Monaſteria non tantum diuitibus, ſed etiam pauperibus ad Religionem idoneis patere debent. 432.
Morbidi actus qui ſint. 68.
Mortuus in peccatis quis dicitur. 289.
Multitudo regendorum, eſt beſtia multorum capitum. 87.
Munus præfecturæ difficile. ibid.
Murmuratio multiplex. 119.
Murmuratio religioſo vitanda. ibidem. & 325.
Murmur Chore, Dathan, & Abiron. ibidem.
Murmurator peccat. 151.
Myſteria nocturnas vigilias commendantia. 210.
Myſteria ſeptem canonicarum horarum. 231. 232.

N

N*Azarei erant typus noſtrorum religioſorum.* 37.
Negligentia diuini officij maledicta. 245.
Negotijs ſecularibus parcè ſe implicet religioſus. 112.
Noli vinci à malo. 115.
Nomen Monachi vnde ſumitur. 36.
Nomen Monachi quibus conuenit. ibid.
Nomen Monachi S. Benedictus communiter ſumit pro quouis religioſo. 119.
Non cuncta tempora doctrinæ ſunt congrua. 81.
Nonus humilitatis gradus quibus maximè conuenit. 201.
Nomine operis Dei, quid ſignificetur. 359.
Nouitius in quibus potiſsimum exercendus. 420.
Nouitijs cur dura & aſpera prędicanda. 421.
Nouitius quando ad profeſsionem admittendus. 423.
Nouitius cur bona ſua det Monaſterio quod ingreditur. 427. & 428.

Obedien-

O

OBediendum Deo omni tempore. 11.
Obedientiæ arma. 9. 134.
Obedientia quomodo primus humilitatis gradus dicenda.
Obedientia virtutum præſtantiſsima. 138 & 468.
Eius definitio. 135.
In quo fundatur. ibid.
Obediētiæ promptæ exemplum Abrahā Patriarchę. 140.
Obedientię promptæ exemplum Marci, diſcipuli Syluani Abbatis. 141.
Obedientia quædam cur cęca. 139.
Obedientiæ religioſæ comites. ibid.
Obedientia cęca cur commendabilis. 142.
Obedientia prompta. 145. 146.
Obedientia ſine mora quomodo accipienda. 144.
Obedientia perfecta, quæ ſit. 146.
Quæ fortis. 148. 149.
Obedientia fortis, ad religioſam vitam ducendā vtilis.
Obedientia monaſtica in quibus difficilis. 185.
Obedientes obſecrandi vt in melius proficiant. 80.
Obedientiæ quatuor gradus. 150.
Obedientia neruus totius Monaſtices. 464.
Obedientia non tantum ſuperiori, ſed etiam inferioribus exhibenda. 475
Obedientiæ ordo & modus. 476.
Obligatio quanta Regulæ S. Benedicti. 3.
Oculi Domini ſuper nos duas ob cauſas. 17.
Octaua hora noctis, quæ dicenda. 211.
Qua hora noctis ſurgendum. ibid.
Odium perfectum, quod. 479.
Officium nullum in Monaſterio ſtabile. 256.
ad Opus diuinū ſūma cū feſtinatione accedendū eſt. 360.
Operarius prauus mercede indignus. 16.
Orationem, Ante thronum &c. quis compoſuit. 387.

Oratorium ad quid conſtructum. 386.
Orationes cur vocentur miſſæ. 234.
Oratio. 248.
Pura quæ dicitur. 250.
Orandum cum reuerentia & animi demiſsione. ibid.
in Oratione, quæ petenda. ibid.
ab Oratione abſit multiloquium. 251. & 252.
Oratio efficaciſsima quæ ſit. ibid.
Oratio ſit breuis & feruens. 252.
Cur in Conuentu abbreuianda? ibid.
Oratio multorum efficacior. 288.
Orandum pro excommunicatis, quomodo. 288. & 289.
Orandum cum reuerentia. 245.
Ordinationes etiã non præceptiuæ, non ſunt negligẽdæ. 7.
Ordinum varij colores. 407.
Oſtiarij officium. 458. & 459.
Otioſitas inimica animæ, ideoque vitanda. 372.

P

PAter Noſter cur alta voce dicatur in matutinis & veſpertinis horis. 225.
Patientia Dei ad pænitentiam homines adducit. 24.
Pauli Abbatis honorificum morientis teſtimonium. 375.
Paupertatis triplex genus. 312. & 313.
Paupertas perfecta, quæ. 313.
Paupertas voluntaria, quæ. 314.
Eius commoda. 314. & 315.
Paupertatis Monaſticę tres gradus. 318.
Pauperes ſpiritu qui verè ſint. 320.
Paupertatem voluntariam quis perfectè habet. ibid.
Eius magna Chriſti imitatio. 40.
Paximacia quæ ſint. 341.
Peccare ex contemptu, quid. 6.
Peccatum ante relinquendum, quã bonum faciendum. 16.
Peccanti quæ via facilior. 52.

Peccatores quomodo ſeparandi. 267.
Peccatum occultum grauius puniendum. 367.
Per petitionem quid ſignificetur. 426.
Perfectum nolle eſſe, quid. 3.
Perfectio Religionis in quo conſiſtit. 37.
Perfectiſſima iuſtitia, quæ ſit. 197.
Perſecutio propter iuſtitiam ſuſtinenda. 117.
Periculoſum Monacho egredi clauſtro. 132.
Peregrini qui ſint. 392.
Peregrinus quali honore afficiendus. 438.
Præceptum, quid. 6.
Prælatura non ambienda. 146.
Pœnitentia. 24.
Pœnitentię publicę deſcriptio. 363.
Pœnis corporalibus qui caſtigandi. 265.
Præſentia Dei in omni loco. 122.
Præuaricatio legis, quę. 261.
Pœna narrantium in Monaſterio quæ foris viderūt. 463.
Pons quo mundi mare tranſitur, ex tribus cōpingitur. 39.
Poteſtas incorporandi religioni penes prælatum. 45.
Prior quis intelligendus Cap. 6. Reg. 164.
Prioris officium. 355.
Qualis conſtituendus. ibid.
Habet poteſtatem in menſa loquendi. 337.
Primitiua Eccleſia fuit Monaſticæ vitæ forma. 53.
Primi motus concupiſcentię non ſunt prohibiti. 108.
Profeſsio olim ante diſcretionis ānos nō admittebatur. 431
Profeſsio non poteſt fieri ante annum 16. impletum. 423.
Profeſsionis forma. 425. 424.
Quæ antiquitus ſeruata. 426.
Profeſsionis admiſsio Capituli conſilio explenda. 26.
De iure communi irrita aliter facta. ibid.
Promotio ad altiora, non temporanea, ſed perpetua. 445.
Pro qualitate audientium formetur ſermo doctorum. 79.

Pro inimicis orandum. 130.
Præpoſiti officium. 457.
Proprietas omnis, Religioſo interdicta. 310.
Proprietas in quo conſiſtit. 311.
Etiam in minimis conſiſtere poteſt. ibid.
Proprietatis ſigna. Meum, & Tuum è *Monaſterio prorſus eliminanda.* ibid.
Proprietarius quomodo caſtigandus. ibid.
Prouidentia diuina erga Religioſos voto paupertatis obſtrictos. 323.
Pſalmorum duodenarius numerus diuinitus inſtitutus, & Angeli Miniſterio traditus. 219.
Pſalterij vel lectionum aliquid quis indigere dicitur. 213
Pſalterium ſingulis ſeptimanis abſoluendum, quare? 239.
Pſalterium alter paradiſus. 240.
Pſalteriũ plenã diuinæ laudis formã nobis preſcribit. ib.
Pſalterium cur amplectendum. 241.
Pſallendi ratio ſapiens. 246.
Pueri qui dicuntur. 298. 343.
Puerorum à parentibus in Monaſterio oblatio. 431.
Publica confeſsio Monacho ſalutaris. ibid.
Puro charitatis affectu Deo ſeruire, quis dicitur. 209.
Pueri Monachis ſunt tradendi ad erudiendũ in via virtutis. 430.

Q

IN *Quadrageſimis ſanctius viuendum.* 381. & 382.
Quadrupedum voce, quid intelligatur. 344.
Quattuor hominis nouiſsima ſæpius recogitanda. 121.
Quartus humilitatis gradus. 183. & 184.
Quintus humilitatis gradus. ibid.

R

RECtor qualis. 454.
Regula cur ſæpius in Cõgregatione legi debeat. 461.

Regula

Regula cur tantũ initiũ pię conuerſationis dicatur. 481.
Religioſus vi paupertatis voto, ad quid tenetur. 315. 316.
Eius tranſgreſſor quando cenſendus. 321.
Religioſi ſtatus requiſita. 55.
Religio, via perfectionis & charitatis. 39.
Ad quam aſſequendam, quæ conducunt. ibid.
Religiones varię Eccleſiam ornant. 49.
Religionũ ordinũ diuerſitas, vnde proueniat. 47. & 48.
Religionũ approbatio sũmo Põtifici reſeruata, quare. 47.
Religioſa vita, cum hoſte & carne & mundo lucta continua. 26.
Religioſorum poſt nocturnas officium. 213.
Regularium ordinationum non obſeruatio quando venialis, quando mortalis. 4. (429.
Reprobi & contumaces non ſunt Monaſterio expellendi.
Res Monaſterij, quibus committendæ. 308.
Reſponſoria quid ſignificent. 217.
Cur cum lectionibus cantanda. ibid.
Reuerentia orationis vnde naſcatur. 249.
Riſus moderatus. 125.
Quis interdictus. ibidem.

S

SAcerdotio digni, qui cenſendi. 440.
Sacerdotum ad religionem admiſsio. 433.
Sacerdotij dignitas. 434.
Sacerdotij dignitas neminem à iugo regulę liberat. 444.
Sacriſtę eſt excitare ad diuinum officium. 370.
Sarabaitæ vnde dicantur. 58.
Valdè ignobiles & obſcuri. ibid.
Sarabaitæ cur ſæculo fidem ſeruant. 59.
Eorumque mores. ibid.
Satisfactionis delinquentium ordo & modus. 363.
Satisfactio excitantis tardè ad ad officium diuinum. 223.
Status religionis quid ſit. 3.

Status religioſus occaſio virtutum. 33.
Status religioſus holocauſtum. 38.
Quæ, vt holocauſtum fiat requiruntur. 50.
Statuta & præcepta diſtinguuntur. 4.
Stabilitas in Monaſterio vtilis. ibid.
Scala erecta, eſt vita noſtra in ſæculo. 174.
Scapulare ad quid vtile. 407.
Scurilitas, quæ ſit. 167.
Senectus honorabilis. 130.
Senes qui intelligendi. 333.
Senes à quibus eximuntur. 334.
Seniores in quibus conſulendum. 164.
Senipetæ, qui ſint. 285.
Senex ad portam qualis ponendus. 458.
Securius in Monaſterio, quam ſolitariè viuitur. 51.
Secundus humilitatis gradus, quis. 180. & 181.
Septimanarij coquinę, qui. 327.
Eorum officium. ibid.
Septimanarij coquinæ ante horam refectionis accipient mixtum, quare. 330. (229.
Septimanarius numerus horarũ Canonicarũ myſterioſus.
Sextus humilitatis gradus, quis. 191.
Signum ad horas diuini officij cur bis datur. 376.
Signa ſuperbiæ. 205.
Schola quid ſignificet. 28.
Silentij laus. 154.
Silentium cuſtos religionis. ibid.
Silentium nocturnis horis maximè ſeruandum. 354.
Silentium Religioſos maximè decet. 155.
Ad quid vtile. 156.
Silentium S. Patris noſtri Bernardi arctiſsimum in feſto Natiuitatis B. Mariæ. 157. & 158.
Silentium negotioſum, quod. 158.
Quod otioſum. 159. 160.

Silen-

Silentium Suſannæ laudabile. 159.
Cur in menſa ſeruandum. 336.
in Silentio non eſt otium quærendum. ibid.
Contemplationis ſeges. ibid.
Negotioſum & vtile ſilentium, quale. ibid.
Silentium virtutum mater. 160.
Silētij diſciplina laudabilis Ægyptiorũ Monachorũ. 162.
Notabile eius documentum. 202.
Singularitatis monaſticę amator quis dicendus. 198.
Eiuſque reprehenſio. ibidem.
Singularitas in congregatione vitanda. 199. & 200.
Societas humana multiplex. 266.
Solemnitas votorum iuris eſt Eccleſiaſtici. 42.
In quo conſiſtit. 41.
Solitudo cui competit. 57.
Somnus quare Religioſo vitandus. 212.
In cantu cauendus. 245.
Somnus animę, quis. 12.
Spes Deo grata. 131.
Suffragia Eccleſię ad quid valent. 274.
Superior ad quid poteſt ſubditos ſuos obligare. 146.
Superbiæ ſpecies. 118.
Superbia vitanda. ibid.
Superbus quidquid magnũ & glorioſũ ſibi proponit. 203.
Superborum proprietas ibidem.
Superbus quomodo curandus. 82. (317. 324.
Superfluitas in Religioſo paupertatem profeſſo vitanda.
Quare? 324. 325.
Synaxis quid ſignificet. 235.
Symeonis conſtantia admirabilis. 417.

T

Taciturnitas quæ bona, quæ mala. 153.
Tardè ad chorum venienti, officiũ ſupplendũ. 213.
quibus Temporibus lectioni vacandum. 374.

Tertius humilitatis gradus, quis. 132.
Tempus redimere, quis dicitur. 314.
Tempus præſens merendi. 27.
Timor duplex. 14.
Tonſuræ ſignificatio. 59.
Tonſio capillorum, abiectio terrenorum. 93.
Tranſitus de vno ad aliud Monaſteriũ, quãdo licitus. 33.
Tria diſcipulorum genera. 80.
Typus quid ſignificet. 305.
Sine typo quis dare dicitur. ibid.

V

VAſa Monaſterij ſancta, ſanctè tractanda. 304.
Verba ſcurrilia in omnibus locis æternâ clauſurâ damnanda. 165.
Verus humilis quis dicendus. 169.
Verus humilis ſua crimina prodit. 191.
Veſtimenta poſt profeſsionẽ ſæcularibus deponantur. 119.
Veſtis Monachi qualis ſit & eſſe debeat. 409. & 410.
Vinum non eſt Monachorum. 347.
Vinolentia cauenda. ibidem.
Vinum luxurioſa res. ibid.
Vinum purum cur non ſemper bibendum. 348.
Virga, quando, & quomodo vtendum. 473.
Vitæ cænobiticę vtilitas. 51.
Vita Monaſtica, quę. 381.
Vita cęnobitica, quæ. 482.
Voluntas propria, quæ ſit. 126.
non Voluntas propria, ſed Domini facienda. 181.
Vota quæ ſolemnia, quæ ſimplicia. 41.

Z

ZElotypus quis. 453.
Zelus malus quis. 472.
Quis bonus. ibid.
Zelus animarum, Deo ſacrificium. ibid.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google